Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXX
B
40
NAPOLI

XXX
B
40

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

De paradoxis & erroribus novæ Sectæ Sennerto-Paracelſicæ

DISPVTATIO SEPTIMA,

Continens declarationem eorum quæ in diſputationibus de rerum naturalium principiis materialibus ſeu Elementis prolixius ſed obſcurius tradita ſunt:

QVAM.

SVB PRÆSIDE

IOHANNE FREITAGIO M. D.
& in celeberrima Illuſtrium Groningæ & Omlandiæ Ordinum Academiâ ejuſdem facultatis Profeſſore P.

Reſpondendo tuebitur

HERMANNVS BRANTZIVS
Steinfurto Weſtphal.

POSITIO I.

SCiendum ante omnia nos hic agere de principiis rerum generationi & corruptioni obnoxiarum materialibus, quatenus illa omnibus dictis rebus per miſtionem ſuppeditant materiam ad generationem.

II. Ma-

II. Materiam hanc communem diximus ſuppeditare ſola quatuor elementa, formis ſuis incorruptis, ſed ita comparatis, ut potentialitatem quandam induere, & vicem materiæ ſubire, poſitoque rigore nobilium formarum dominio ſeſe ſubmittere valeant.

III. Manent enim formæ, licet ita domitæ; quod iis pereuntibus res recideret in materiam primam, quæ nec generabilis, nec corruptibilis; imo quæ ſine iis exſiſtere nequeat. Manere demonſtrant qualitates ab eorum formis immediatè tanquam prima cauſa dependentes: neceſſariò manere demonſtratur, quia hæ qualitates mixtionis & generationis ſunt prima & perpetua, ſolaque inſtrumenta, in quibus primarium eſt calor. Manere in re ad extremum, demonſtrat ipſa rei ſolutio & corruptio, uti enim ex iis res quælibet primo erat genita, ita in hæc elementa ultimò viciſſim reſolvitur. Neque enim per generationem formæ eorum pereunt, alioquin in ea reſolvi nequeant, niſi velis abſurde ſtatuere per corruptionem eaſdem recuperari.

IV. Manent autem hæ Elementorum formæ, ſub omnibus omnium rerum formis ſeu univerſalibus ſeu particularibus. Vbi notandum quod, etiamſi philoſophis ſpeculativis dicantur formæ quædam univerſales, nulla tamen forma ſubſtantialis exſiſtentialiter detur, quæ non ſit ſingularis & ſpecifica. Et quod illa forma ſit principium rei cujusvis ſpeciale, quemadmodum materia principium rerum omnium univerſale. Forma enim eſt principium contrahibilitatis ad ſpeciem & exſiſtentiam, materiam univerſalem vel communem ad certam entis ſpeciem

ciem determinans, eique naturam, eſſentiam, quidditatem & proprietates largiens.

V. Formæ itaque dicuntur aliæ communes vel univerſales & elementorum, quæ tamen formalitatis rationem deponunt in mixto, & potentialitatem, materiæque vicem ut communiter inſint recipiunt. Et uti ea ratione qua omnibus inſunt dicuntur communes vel univerſales in conceptu mentali, ſeu notione mentis ſecunda, & conceptis conceptuum uti vocant; Sic ex elementis generantur primò mixta, dein viventia, ſentientia, &c. horum omnium univerſalis quædam eſt convenientia formalis in conceptu mentali, nulla tamen ſeorſim exſtat forma communis quæ ex æquo omnibus largiatur eſſentiam formalem & quidditatem particularem, omne enim quod exiſtit, eo ipſo quod exiſtit ſingulare eſt, atque tale eſt per formam ſuam ſpecificam. Vnde eſt diſtinctio de univerſalibus ante multa, in multis & poſt multa, quorum primum in mente creatoris omnium, ultimum in mente formalitatem genericam abſtrahentis, medium vero univerſale reale exiſtens dari nequit, niſi in materia univerſali & communi ſubjectivè.

VI. Cum itaque de rerum principiis univerſalibus, quatenus ſuppeditant rebus materiam, & formis promiſcuè omnibus ſuppoſitum præſtant, agamus, id fuit in quæſtione, an præter illa quatuor ab antiquitate principia materialia ſeu elementa, danda forent alia, quod ex iis omnia per miſtionem generari nequeant.

VII. Affirmativam defendunt Paracelſici propter quintam quandam in rebus eſſentiam ex teſtimonio

monio Scaligeri, tum propter qualitates quæ immediatè ex omnibus Elementis, eorumque mixtione ſola oriri nequeant: idcircò tria alia & quaſi formaliora nobis adducunt principia, videlicet tria Chymicorum.

VIII. Ex quibus an illa, propter quæ rejiciunt prima, generari & produci poſſint ut videamus neceſſum.

IX. Fatentur in rebus eſſe eſſentias, quas etiam quintas in gratiam eorum nominare libet, verum has cum ipſo Scaligero nominant formas rerum. An itaque has affirmabunt ex trium principiorum coagmentatione naſci. Abſurdum ſane dictu hoc eſt, imo cogitatu. Formarum enim non eſt ex principiorum coalitu generatio. Neque enim ex coagmentatione vel materierum vel formarum conſuuntur & conſtruuntur, quod primo & per ſe ſint indiviſibiles, quodque nullæ dantur formæ univerſales, ex quarum coalitu naſcantur formæ ſpecificæ & exſiſtentiales, quemadmodum ex univerſalibus materiebus per miſtionem & coalitum res omnes materialiter generentur.

X. Aut igitur ſunt danda principia alia, ex quibus quintæ illæ eſſentiæ ſeu formæ generentur, aut propterea quod tales dentur & inſint rebus, illa quatuor Elementa rebus omnibus materiam communem dare, non eſt negandum.

XI. Et ſanè cum quæritur de principiis rerum materialibus, ſtultum eſt reſpondere de formali & particulari, & dicere, Datur quædam quinta eſſentia & forma, quę ex materiæ Elementorum coalitu non eſt nata, ergo non ſunt rerum omnium materia.

Forma enim eſt materiæ contradiſtinctum principium, & principiorum eſt ex ſe mutuo non componi; deinde omnis forma eſt principium ſpeciale, materia verò commune & univerſale.

XII. Cum verò ex hoc argumento rejiciant noſtra quatuor, quod ex iis non comparentur quintæ eſſentiæ, neceſſum eſt eum ſtatuere ex ſuis tribus, quæ ob hanc cauſam ſurrogat & ſubſtituit noſtris quatuor, illas generari, aut ſi id fieri nequeat, eadem ratione elidi & rejici è principiorum ſtatione debere.

XIII. Quomodo vero propter qualitates ſeu occultas ſeu manifeſtas ex Elementis particulariter & immediatè non dependentibus, non ſint nova comminiſcenda principia, in theſium contextu dilucidè ſatis explicatum eſt.

XIIII. Tandem & hoc examinatum eſt, quod D. Senn. dicit ſua principia habere formas peculiares, ex hoc vult arceſſere & docere, quod cum rerum omnium virtutes elementis ſuperiores non proveniant à formis Elementaribus, neceſſariò eſſe ejuſmodi danda principia, quę talibus conſtent formis unde hæ exoriri poſſint.

XV. Sed hic viciſſim multipliciter erratur: neque enim occultarum qualitatum ratio ab his dependet, neque vires purgantium & innumeræ aliæ facultates, propter quam cauſam, ſi noſtra quatuor releganda forent, hæc quoque tria rejicienda ſint. Adde, quod ſi qualitatibus principiorum virtus omnis adſcribenda fuerit, formæ ſpecificæ, à quibus tamen omnium recte philoſophantium judicio, peculiares qualitates & virtutes & proprietates in ſubjecto generantur, & deinde exercen-

centur, quæ immediate ab Elementorum virtute proficiſci nequeunt, ſint fruſtra & otioſæ.

XV. Quod verò præter Elementa quatuor, aliis formis conſtantia principia nequaquam mixtionis generationiſque materia eſſe queant, demonſtratum eſt eo, quod nullæ aliæ formæ, adeo intimè & firmiter adhæreant ſuæ materiæ ut aliis venientibus non cedant, quodque illæ per naturam cedere non poſſint, ſiquidem prima materia, cui immediatè inſint, ſine his nec eſſe, nec miſcibilis & quaſi materiabilis rebus omnibus fieri queat, & harum beneficio omnibus materiam præbeat, unde has cum ad generationem per miſtionem natura progreditur, materiæ vicem ſubire & potentialitatem quandam tolerare neceſſe eſt.

XVII. Cum itaque nullæ aliæ formæ in materia ad mixtionem concurrente, ut nova fiat generatio, forma nova adveniente in ſuppoſito, quatenus id homogeneum & ex miſtione elementari natum & productum eſt, præter elementares permanere poſſint, ſequitur ex tribus illis principiis, nequaquam res aliquas generari poſſe. Neque enim formæ ullæ principiorum materialium actu puro in ulla re ſub alia ſpecifica forma manere, neque ullæ aliæ iſtam potentialitatem induere poſſunt ut maneant.

XVIII. Etſi enim rerum vel partium ex miſtione Elementorum genitarum uti integrantium & ſimilarium corpus animantis conſtituentium & componentium formæ ſub formæ totius dominio eſſe poſſint, tamen nullæ principiorum formæ in generatione homogenearum (quibus proprie competit generatio per miſtionem) præterquam Elementorum

eſſe

eſſe poſſunt. Non enim fit generatio, cum partes jam per miſtionem ex Elementis genitæ, & formis ſuis conſtantes componunt corpus, vel per cohæſionem & coadunationem id conſtruitur, ſed cum totum omnes partes complectens univerſali temperie calidi innati per omnia donatur, in qua totius forma & vita fundetur.

XIX. Cum itaque Clariſſ. Sennertus ſtatuat ſua principia eſſe prima miſta, vel ex varie miſtis Elementis conſtare, eoque à noſtris differre, quod habeant peculiares formas, & hæ formæ in rerum miſtione & generatione manere nequeant, ſequitur ſola noſtra relinqui Elementa, quæ ſint generandarum materia communis, uti & ex illo patet, quod omnes iſtæ probationes, quas pro demonſtratione ſuorum principiorum adfert, magis noſtra quatuor aſſerant, quam ſua tria confirment.

XX. Siquidem quod ex inflammabilitate rerum vult demonſtrare, res conſtare ex ſulphure, quia ſulphur prompte ardeat & flammam concipiat; negare nobis non poteſt, id ſulphuri idcirco accidere, quia multum ignei aëreique principii participet, unde in ignem, ex quo primo genitus eſt, promptiſſimè & ultimo vertitur. Quodque ceteræ res omnes flammam concipientes & ardentes idcirco non ardeant, quod conſtent principio ſulphureo, ſed ex igneo eodem, propter quod ſulphur ardet & in quod convertitur. Idem de ſale & mercurio eſt judicium, prompteque deduci poteſt.

XXI. Non enim mediantibus hiſce principiorum formis, natura ex elementis res omnes demum creat, ſed & hæc & res omnes immediatè ex elemen-

tis quod probatum ſit & illorum formas in mixtis manere ſub aliis formis non poſſe, imo quod nec omnia miſta, ipſorum etiam chymicorum confeſſione ex ipſis conſtent, nec in illa reſolvantur.

XXII. Cum negant omnia conſtare, ex Elementis, hoc nixi ratiocinio quod in rebus teſte Scal. dentur quintæ eſſentiæ, æquum eſt ut deſpiciamus quintarum eſſentiarum naturam.

XXIII. Si enim, ajunt, in rebus quippiam inveniatur quod non ſit ex quatuor Elementis coalitum & natum, elementorumque conditionem viribus ſuis & qualitatibus excedat, id neceſſe eſt eſſe quintam eſſentiam. Hanc agnoſcere non dedignatus eſt Scal. in adamante rebuſque aliis.

XXIV. Verum enimverò Scal. teſtimonium valde inpertinenter huc pertrahitur. Vir enim acutiſſimus ſeſe ipſum explicat, dum ait per quintam in rebus eſſentiam ſeſe intelligere earundem formas. Nobis erat quæſtio de principiis ex quorum coalitu & miſtione res generantur. Si itaque quiſpiam concludere velit, dari alia in rebus principia, præter quatuor Elementa ex quibus componantur, quæ conſtent quintis rerum eſſentiis, eum fateri oportet quintas eſſentias eſſe compoſitum quid ex tribus iſtis chymicorum principiis; atque Scal. totique philoſophorum ab omni ævo cohorti nunquam in mentem venit, formas rerum ſpecificas eſſe ex aliorum principiorum coalitu coagmentatas. Sunt enim principia toto genere & eſſentia diverſa à materia ex qua res per mixtionem & compoſitionem reſultat, expertia omnis quantitatis & diviſibilitatis per ſe, quorum materiatæ, excepta anima rationali, nequaquam

uſpiam

uſpiã excipi nec ſine materiæ ſubjecto exſiſtere poſſunt, cujus temperie corrupta & in elementa ſolutione & dacriſi incidente neceſſariò pereant, adeo ut nuſquam dentur quintæ ſeorſim eſſentiæ exſiſtentes.

XXV. Et ſi cum neotericis Chymicorum vel Paracelſicorum loquamur, nequaquam illi putant quintas eſſentias eſſe aliquod corpus compoſitum vel ex quatuor Ariſtotelicis vel ex tribus Chymicorum principiis, ſed individuum quid & ſimilare, divinum, cœleſte, primitus à Creatore rebus omnibus inditum, nec interire poſſe ex corruptione ſubjecti, nec in tria Chymicorum aut ulla alia abire principia, poſt rei corruptionem.

XXVI. Et, uti ſupra probatum cum generatio proprie & primo ſit ſimiliarium, hæc vero fiat per Elementorum miſtionem, quæ potiſſimum & proximè inſtrumento caloris & qualitatum Elementarium perficitur, quomodo poteſt ex iis principiis & eſſentiis aliquid generari, quæ qualitatibus ad miſtionem & generationem omnino neceſſariis deſtituuntur? miſtio enim & conſequens generatio quædam perficeretur ſine calore humidum cum ſicco determinante & Elementa uniente, unionemque conſervante.

XXVII. Ex quo diſcurſu patet & vanitas iſtius ratiocinacionis quâ principia tria diverſa corpora ab Elementis eſſe contendunt, hac de cauſa quod primę qualitates ſint ab elementis & non à tribus chymicorum principiis & è contrario colores, odores, ſapores ab his tribus & non ab Ariſtotelicorum quatuor, cum tamen non minus qualitates primæ

tribus chymicorum licet mediatè, quam calor & qualitates ſecundæ inſint Elementis Ariſtotelicorum quatuor: liquiditatem etiam & humiditatem aſſignant mercurio: ſulphur humidum & pingue nominant. Humiditas verò eſt qualitas prima elementaris. Hæc non minus communis eſt principiis chymicorum quam Ariſtot. Pari modo ſiccitas, durities, ſoliditas, chymicis ſunt proprietates ſalis: atqui hæc quoque ſunt proprietates Elementorum. Demum Elementis ineptè denegantur colores.

XXVIII. Pari laborant imbecillitate argumenta quæ de fœtore, fumo & flamma ac cinere producunt, dum prætendunt de fœtore nos dicere, id quod exhalet non eſſe purum aërem vel ignem, ſed longe diverſum aliquid, ſiquidem alium emittat odorem cadaver equi, alium canis, qui ſane elementis attribui nequeat. Secundo fumum & flammam non eſſe purum aërem vel ignem quod alembicis concepta non pura elementa ſed mixta adhuc & altioris indolis quam elementa eſſe cognoſcantur. Aliamque naturam eſſe fumi ſulphurei, aliam ilicis, aliam juglandis: Et tertio cinerem, non eſſe meram terram, cum ſal qui aquæ affuſione educitur à terra maximè differat, uti ex hoc apparet quod ſal in humido liqueſcat, terra non item.

XXIX. Ad quæ ut reſpondeamus pariter neceſſe eſt. Primo fœtorem nemo dixerit aërem purum vel ignem: imo nequaquam elementum vocari, ſed qualitatem quæ ſit ſpecies odoris. Illa vero non hæret in puro elemento ſed corpore miſto, quod eſt vapor exhalans, repræſentans naturam corporis putreſcentis unde emittitur, diverſus pro diverſitate corporum

rum corruptorum. Male itaque concluditur, fœtor non eſt purus aër, ergo non eſt ex Elementis, & conſequenter ex peculiaribus principiis: cum fœtor ſit accidens miſtorum & miſta conflentur ex Elementis..

XXX. Eadem lege ut ad ſecundum argnmentum reſpondeamus: ignis diaconici flamma vel fumus eſt corpus miſtum ex Elementis oriundum, qui ab alio tantum differt quantum corpora pro diverſa miſtione inter ſe diſcrepant, ex quibus proſiliunt.

XXXI. Ad tertium argumentum in eundem modum reſpondetur, videlicet cinerem eſſe corpus compoſitum.

Si itaque rerum omnium proprietates naturales & etiam illæ quas tribus, his adſcribunt Chymici, ab Elementis deduci & derivari poſſunt, habeantque elementa tot dotes nobis adhuc ignotas, eorumque coalitu oriantur multa incognita & indicibilia, fruſtra Elementorum contemptores eorum naturam parum accurate ſcrutantes nova aliaque ſomniant & obtrundunt nobis principia.

Tt 3 CORO.

CORONIDIS
vice hoc ſerviat.

AN rectè quærat Riolanus, quod cum principia artium ſint apodictica, nec probari debeant ne progreſſus fiat in infinitum, quodque contra negantem principia non ſit diſputandum, quia plus negaret aſinus quam probaret Philoſophus, ſi Harvetus ſibi tantam ſumat licentiam ut non tantum mixta appellet principia ſed etiam eadem, quia ſunt activa nominat formam, æquali ne lege & jure ipſum Hervetum liceat nominare aſinum? Et ſi non ex conſilio ſed pro arbitrio imponantur nomina, primique auctores non conſiderata rerum proprietate eadem impoſuerint, an non citra omnem temeritatem, ſed cum bona ratione Harvetus propter cognationem poſſit nominari Mulus patris. Vide conſuram Ioh. Riol.fil.contra Harvetum. c.3.fol.11.

De

De paradoxis & erroribus novæ Sectæ Sennerto-Paracelſicæ

DISPVTATIO OCTAVA,

Continens & defendens veritatem Galenicæ & Ariſtotelicæ doctrinæ

DE CALIDO INNATO

Oppoſita neo-Paracelſicorum corruptelis & falſimoniis.

A IOHANNE FREITAGIO M. D.
& in celeberrima Illuſtrium Groningæ & Omlandiæ Ordinum Academiâ ejuſdem facultatis Profeſſore P.

Reſpondente

CONRADO WALTHERO
Med. cand.

THESIS I.

TRiplicis caloris, videlicet Innati, Ætherei & Ignei apud auctores fit mentio, quos ſpecie & origine differre, quidam non obſcurè profitentur, quod ut falſum eſſe demonſtrem, rem penſiculatius examinabo, exordium ducens ab anatomiâ caloris nativi.

II. Animalibus duplex ineſt calor, quorum unus σύμφυτος ſeu connatus, alter ἔμφυτος ſeu innatus dicitur. Hic proximum eſt animæ inſtrumentum, nec niſi vitâ præditis ineſt: hic animal ab initio formavit, deinde ad juſtam magnitudinem perduxit, & ad vitæ finem porrò ſuſtentat. *Conſideratur ut ſubſtantia vel qualitas; ut ſubſtantia conſtituitur juxta Gale. lib. 1. Aph. com. 15. ex ſemine & materno ſanguine atque ſpiritu, quo ſemen exundat, quibus in utero unitis, facta fermentatione, reſultat ſpiritus inſitus, ſeu Calidum innatum, conſtans ſpiritu vitali flammâ igniculato, & humore, in quo reſidet, quoque alitur, aëreo, perfectiore & pinguiore.* Hic ab initio membra corporis format, *unde plaſticus dicitur,* ſeſeque ut pars & velut entelechia omnibus altius inſinuat, *copioſius autem & efficacius in corde fundatur, unde Cor fons & origo* caloris nominatur. Pro diverſitate igitur rerum, ex quibus conſtituitur humidum radicale, *ſpiritus primigenius, calor nativus & calidum innatum, archigonumque vocatur,* & quia omnibus membris altius inſedit, eorumque naturam determinavit, *communis omnium facultatum cuſtos & inſtrumentum, cæterorumque corpus regentium & influentium ſpirituum auctor eſt.* Nullæ enim, ut vult Galenus, ſine ſpiritu actiones fieri dicuntur. Calor iſte accenſus eſt in ſpirituoſo corpore, & inſtar flammulæ nutritur eo, cui inſidet, humido, quod ſenſim depaſcit, & quantum poteſt reſtaurare annititur, ex qua actione & vita & omnium virium integritas dependet.

III. Quia vero flamma iſta caloris innati, hæret in ſpirituoſo corpore, ſeu eſt ipſe ſpiritus ſuaviter igniculatus, humidum in quo reſidet ſenſim depaſcens, continua indiget, quatenus flamma eſt, eventatione,

ne, ne ſupra modum igneſcens, humidum juſto celerius exhauriat, vel ipſemet ſuffocetur; & aëratione ut reficiatur ſpiritus in quo hæret, & humidi pinguioris nutritione, perditique reſtauratione, ex quo pabuli juſti jugis continuatio & ſuggeſtio indeſinens.

Vti enim Flamma continuò agit in humidum, *ita nutritio, quæ eſt perditi reſtauratio, ſemper eſt in actu ſecundo, quo opere vita carere nequit.* Quatenus autem flammula ſpirituoſa à conſortio aëris, ne per momenta excludi poteſt, & quatenus humido paſcitur, continuò indiget ejuſdem regeneratione.

IV. Caloris iſta continua reſtauratio & conſervatio perficitur in corde; ubi novus jugiter generatur ſpiritus & humor, eum, qui & ipſi cordi copioſius & toti corpori inſitus eſt, nutriens, reficiens & conſervans. *Ex quo liquet ſpiritum alium eſſe inſitum, alium influentem, & illum hujus auctorem:* In corde, tanquam in fonte innati caloris, ſanguis attenuatur, vaporque excitatur, qui dilatatione cordis in ſiniſtrum ejus ſinum attrahitur & colligitur, ubi cum attracto aëre ex reſpiratione & arteriarum dilatatione permiſcetur, & vi inſita cordis in flammeam ſubſtantiam convertitur, qui ſpiritus vitalis dicitur.

V. Cor quam diu animal vivit movetur. *Movens non motum,* inquit Scaliger, *eſt anima: motum non movens eſt corpus, movens & motum eſt ſpiritus: Cordi peculiariter ineſt virtus vivifica pulſifica juncta,* qua & attrahitur aër & ſanguis, ut vitalis ſpiritus & formalior ſanguis elaboretur, atque in totum corpus diffundatur, fuligines & recrementa expellantur. Totum corpus indiget conſervatione caloris per arterias

 ſpiritu

ſpiritu influente & ſanguine formaliore, in corde elaborato, atque nutritione ſimul per venas, ut & natura temperieſque & ratio partium defendatur, vires & facultates conſerventur. Spiritus ille influens non tantum innatum nutriendo reſtaurat, ſed cum illo determinatur & unitur, ut facultas conſervetur & actiones vitales perficiantur.

VI. Spiritus vitalis in Cerebrum dimiſſus, ibique cum novo aêre, virtute Cerebri miſtus & elaboratus, acquirit rationem inſtrumenti facultatum principum & ſenſuum interiorum, novâque ibidem inſignitur vi ſenſus & motus, quem per nervos in univerſum corpus defert. Virtus illa partibus non erat connata, ſed ex Cerebro influit, debet tamen ſpiritus ille uniri & determinari cum connato inſito vitali, ut ſenſatio & motus perficiatur. Sic ſpiritus animalis viſivus, per nervum influens, determinatur & unitur cum inſito vitali in cryſtallino humore, ut perficiatur actus videndi. Ex quo apparet cur partes propter influxum ſpiritus animalis interceptum ſenſu & motu deſtitutæ, tandem etiam labaſcant, & caloris vivifici orbitatem experiantur. Id enim fit, quia ſpiritus animalis, cujus irradiatione continua gaudere debebant, magnam partem ex vitali conſtet vitalemque vim animali quodammodò junctam habeat.

VII. Hinc *differentia etiam elucet quæ eſt inter calorem emphytum & ſymphytum.* Hic connatus & complantatus mixtis homogeneis, & partibus ſimilaribus eſt proprius, mixtum totum omneſque ejus partes unius facit eſſe temperiei, & ineſt miſtis quatenus miſta ſunt & inanimata, eorumque ſubſtantiam

tiam definitione & conſervatione humidi cum ſicco tuetur. Ille innatus eſt & vivificus, corpori animato proprius, vi plaſticâ ſeminis in primâ generatione productus, *ut proximum ſit animæ inſtrumentum*, ab illa dirigitur & toti corpori conſtanti ex diverſis partibus ſimilaribus, ſuam ſtructuram & temperiem peculiarem, ob diverſum calorem connatum mixtis proprium habentibus, unum largitur & commune temperamentũ, quale illa animalis ſpecies poſtulat, in quo calor & humor dominatur, à quo vita & actiones vitales, unde animalia calida & humida dicuntur.

VIII. Differunt itaque calor miſti & animati ſeu ſymphytus & emphytus, quamvis ſpecie non diſcrepent, ratione diverſorum principiorum, à quibus diriguntur: Hic ſiquidem ab animâ tamquam proximum ejus inſtrumentum uſurpatur: ille à formâ miſti. Deinde ratione ſubjecti: Hic in humido radicali per omnes partes, ſed abundantiſſimè in corde diffuſo, ſtabulatur, ille in mixti corpore tanquam miſto. Tertio ratione functionis: Hic proximum animæ inſtrumentum vitales actiones perficit, format, nutrit, vegetat, auget, & ex actione in humidum primigenium vitam ad extremum conſervat, ſed continuâ depaſtione, quam quidem reſtauratione nutrimentali continuâ reſarcire molitur, ex accidenti ſuiipſius & animalis interitus cauſa eſt: ille humidum ſuum in miſto tuetur, & ejus diſſolutionem & ſeparationem à ſicco pro viribus arcet, verum nec vivificus eſt, nec partibus ineſt animatis, quatenus tales, ſiquidem ignis nullum animal gignit vel nutrit, pyrauſtarum Salamandrarumque exemplum reponimus.

Calor

IX. Calor innatus univerſo animalis corpori, diverſis diverſarum temperierum partibus conſtanti, unum largitur temperamentum, iſti ſpeciei peculiare, in quo vita & actionum vitalium virtus, ejusque intemperies propriè morbus eſt; non enim patitur animal primo ut miſtum, ſed ut vivens & vitali temperie præditum. Omnia in humano corpore exſiſtentia, ſeu communi anima & vita prædita, uti partes propriè dictæ, deinde contenta & miſta inanimata ſeu humores & ſpiritus etiam quatenus miſta ſunt ab innato calore reguntur & conſervantur, adeo ut hoc extincto vitaque recedente mixta , quotquot ſubdita fuerunt calori vitali, nequeant ſuo peculiari miſti, qui ſymphytus dicitur, calore integritatem, rationemque miſti (alia eſt ratio miſtorum inanimatorum) tueri, ſed ſenſim ad interitum vergant, quod videmus in plantarum & animalium cadaveribus, Corpus humanum quod ſupremum miſtionis gradum eſt adeptum, veluti ex actionibus temperiem exactiſſimam ſequentibus, patet, exſtincto calore nativo, ubi cadaver factum eſt, miſti calore exiguo tempore vix conſervatur; quid de cæteris dicemus? in vivo corpore calor animalis eo deficere nequit, ut ſimul ſit ſuperſtes, & partes ſubditas, mixtionis ſuæ integritate conſtantes, non gubernet: has enim deſtitutas vivifico calore tam inſito quam influente comprotenus interire, aut gangræna corripi neceſſe eſt. Patitur proinde corpus animalis primò non quatenus ex primorum conſtat miſtione, ſed quatenus vitali temperie præditum; hac conſervatur & vivit dominante; hac læſa languet & extinctâ moritur, priuſquam miſti calor per ſe magnoperè

perè afficiatur, & ſic ad interitum vitalis vel una ſtatim, ut in gangræna, vel paulo poſt ut in cadavere, interit, partibus mollioribus putredine diffluentibus, & durioribus ſiccioribusque, qualia ſunt oſſa, carie ſenſim reſolutis.

X. Quomodo calor innatus temperiem animalis pro cujuſque natura peculiariter definiat, proximumque ſit animæ inſtrumentum, vitam & actiones vitales conſervans perficienſque, atque influentem ſpiritum pro conſervatione totius in corde gignat, vidimus, ſupereſt ut de calore videamus quatenus ſubſtantia nuncupatur, & quomodo hac ratione à qualitate diſtinguatur.

XI. Propriiſſimè ſubſtantia caloris nativi dicitur Gal. lib. 1. Aph. comm. 15. id corpus quod ex ſpiritu primigenio ſanguine & ſeminali humiditate initio genitum eſt, corporiſque partes formavit, iiſque ceu formalis ratio & quaſi entelechia quædam earum inſidet, ſed copioſius in corde, facultatum cuſtos & proximum animæ inſtrumentum, illud Hipp. Aph. 14. ſ. 1. copioſum ineſſe iis qui creſcunt, & Galenus humidum illud copioſum ineſſe *pueris* dictabat, & calidum illud nativum maximè abundare quo humidior eſt noſtra ſubſtantia, ſiquidem ex humido ortus noſtri principium: ipſi vero recens nati quo ex ſubſtantia aquea & aërea plus participant, eo amplius calidi innati habere dicuntur; ingeniti enim caloris ſubſtantia magis eſt aërea & aquea, quæ quanto magis fuerit imminuta, auctiorque facta terrena; tanto minus ſubſtantiæ caloris innati poſſidebunt. Quum itaque quotidiano augmento animalis corpus ſiccius terrenumque magis evadit, etiamſi

etiamſi tum valde calidum & igneum exiſtat, pauciſſimam tamen habet calidi nativi ſubſtantiam, alioquin diceremus, febricitantes habere calidi genuini plurimum, qui tantum abeſt quod copioſiorem, ut ne parem quidem & integrum eum quem habebant, obtinent, ſiquidem ſubſtantia caloris genuini temperata, & ignea eſt adventitii.

XII. *In juvenibus* itaque præpollet terrena ſiccitas, minor eſt ſubſtantia aquea & aerea: Et quamvis tantum ignis quantum in pueris inſit, tamen humida eſt puerorum, & ſicca juvenum ſubſtantia. *Senibus* autem parum eſt calidi; ſive ad qualitatem ſive ad ſubſtantiam reſpicias, ſiquidem & qualitatis imbecillitas & ſubſtantiæ ineſt paucitas: hactenus Gal. citato loco. *Ex quibus apparet nos humidi calidique primigenii ſubſtantiâ, quatenus pueri & ortui noſtro viciniores ſimus, ubertim diffluere, in juvenibus plus eſſe qualitatis acrioris & igneæ, minus ſubſtantiæ caloris; in ſenibus & qualitatis & ſubſtantiæ paupertatem & imbecillitatem.*

XIII. Vera itaque & proprie dicta hæc eſt calidi nativi ſubſtantia, quæ inſiti & innati calidi nomine recte inſignitur. Id autem nominis & *ſpiritui influenti*, quatenus in corde primo generatur, & alimentario ſanguinis humori, accommodatur, ſed non ita propriè, quia nec parti uti eſſentiam ejus perficiens & conſervans ineſt, ſed in proxima eſt potentia, ut in eam vertatur. Gal. lib. 3. de temperam: ait, *eam debere eſſe nutrientis ſubſtantiæ cum nutrito ſimilitudinem & naturæ communionem, ut illa huic aſſimilari & in hoc converti poſſit*; omne vero alimentum, quatenus corporum calidorum

rum fiat nutrimentum , eorum inſitum calorem augere , uti ligna in ignem converſa eundem augent, & nutrimenta omnia , quatenus à calore noſtro vincantur, eundem augere, quatenus non vincantur, frigefacere; omnem proinde cibum ſeu frigidum in ſanguinem verſum naturalem calorem æqualiter augere ; *unde tantum vulgo dicimur habere caloris quantum ſanguinis*, & ſect. 1. Aph. 15. *Ventres hyeme & vere natura ſunt calidiſſimi*, nosque per id tempus habere plus caloris nativi ab Hippoc. aſſeritu.

XIV. Hactenus calidi innati naturam conſideravimus, quatenus ſubjectum connotatur in quo illa caliditas, unde ſuſtantiæ nomen ſibi vendicat, hæret. *Diſtinguitur calor ut ſubſtantia à caliditate, quatenus hac ut accidens ſubſtantiæ ineſt.* Calor itaque ut accidens ſuæ naturæ & eſſentiæ & originis ratione, non eſt alius in miſto , atque alius in animato , neque horum uterque diverſus eſt ab æthereo vel cœleſti.

XV. Quomodo animalis calor tam ſit ex elementis quam miſti , ſuperius ſatis perſpeximus. Calor enim animalis , uti flammulam refert in ſubjecto corpore accenſam , opus habet nutritione, & jugi converſione idoneæ ſubſtantiæ nutrimentalis in ſuam naturam inſtar ignis noſtri diaconici ut hic apud nos conſervetur. Cæleſtis ſi foret , elementari corruptibilique alimento non indigeret, nec ipſe demum exſtingueretur, principii ſui naturam retinens & redolens. Deinde quia ab elementari calore accenditur, & frigore remittitur ac planè perimitur , neceſſariò

ejus-

ejuſdem eſt generis, quod latius in ſequentibus demonſtratur. Tandem an æthereus vel cœleſtis, ab animali & miſti ſeu elementari calore differat, videndum.

XVI. Cœlum ſeu aſtra & cæleſtia corpora, etiamſi calida non ſint, tamen calorem producunt in orbe elementari, idque rapidiſſimo motu vel lumine & radiis: motu cœleſtium corporum pars orbis elementaris ſuperior, radiis ſolaribus & aſtrorum inferior, magis concaleſcit. Generatur autem iſte calor in aëre major, ſeu ex potentia ejus educitur motu & radiis, quatenus hæc atterunt, attenuant & rarefaciunt: extenuatione enim & rarefactione aer magis ad igneam accedit naturam, majoriſque caloris gradum acquirit, vel planè demum in ignem vertitur. Rarefactionem itaque & extenuationem ſequitur calor. Ignis cum ſit elementum rariſſimum ex nullo alio corpore proximè & immediatè potius fit, quam ex eo, quod raritate ſua proximè ad ignem accedit, qualis eſt aer, in habentibus Symbolum, facilior tranſitus.

XVII. Neque eſt quod huic ſententiæ ab inſtantiis, quæ nullius momenti ſunt, metuamus. Etſi enim ſubtilitatum Magiſter Excer. 23. videatur negare, cæleſtia corpora per motus velocitatem calefacere, neque calorem à ſtellis attrito aëre & earum motu provenire, tamen ibidem nec cœlum nec cœli partes & ſydera eſſe calida, & nihilominus calorem à ſyderibus præſtantiſſimum, qui non ſit in illis, ſed ab illis & in his noſtris, & calorem à non calido evenire adſtruit.

Proinde ſi cœlum cœlique partes non ſint calidæ, &

& nihilominus calor à cœlo generetur, inevitabili neceſſitatis conſequentia ſtatuendum, calorem cœli ſobolem æquivocam eſſe. Quo pacto autem à cœlo non calido generetur calor in inferioribus? Idem excercitatione 16 ait, ſe ſeriò ſentire non fieri calorem niſi propter aëris attenuationem, qui propterea igniatur, fierique eundem non ſolum à corporibus ſolidis, ſed quoque à fluidis, cujuſmodi ſunt nubes, quarum motu fit eliſio, in ſolidis tamen id celerius & frequentius contingere, quod aër, qui ea intercedat, primo momento igneſcat. Vnde concludit fatendum eſſe, ex aëre moto atque eliſo atque attenuato calorem generari, qui ſi procedat, ad ignis ſubſtantiam pertranſeat, idque propter partium attritionem. Motus itaque quo celerior, quo major & validior, eò proclivius, citius, majorque generabitur calor. Atqui cœli motus celerrimus & omnium validiſſimus, cæterorumque inferiorum motuum auctor & conſervator eſt: *idcirco, enim ait ille Exerc. 6. movemur, quia moventur illa*, quis igitur illum motum vi generandi calorem ſpoliabit? Cœleſtium corporum motui generationem rerum ſublunarium, & facultatem generandi per calorem adimere, eſt proximo ei & maximè neceſſario generationis inſtrumento privare. Quinimo ipſe Scaliger. Exerc. 16. *motum in igne generare calorem accidentalem largitur.* Non inducit itaque cœlum calorem, quippe quod per ſe calidum non ſit, ſed educet, veluti fit in aëre rarefacto & trito. Calor itaque ille per motum generatus elementaris eſt ex Elementis productus.

XVIII. Inferioris mundi calor, cujus reſpectu æſtas & hyems apud nos formatur, ex Solis aſtrorum-

vè lumine & radiis potiſſimum exoritur; unde pro vario acceſſu & receſſu ſolis, varioque poſitu & reſpectu luminis aliorumque aſtrorum, etiamſi cœlum ejuſque corpora per ſe non ſint calida, in aëre generatur. Radii ſolares aſtrorumque eadem ratione, qua motus calorem producunt, videlicet extenuatione & rarefactione, & quemadmodum non omnis motus aërem atterit, & calorem in eo generat, ſed is tantum, qui validus & velox; ita etiam non quodlibet lumen, ſed magnum tantum & vehemens in aëre ſolo attritionem facit. Atterunt autem radii, cum incidentes in corpus ſolidum & in terram repercutiuntur & in aëre duplicantur. Projectio radiorum ſi fiat perpendiculariter & ad angulos rectos ſole à puncto noſtro verticali remotius non exſiſtente, ſic reflectuntur in ſe ipſos ut maxima fiat colliſio projectorum, & reflexorum unio; aëriſque attritio, unde conſequitur calor vehementiſſimus, quod ſecus evenit cum non ad perpendiculum cadunt & ad angulos inæquales, ut reflexi cum incidentibus non uniantur, ſed disjungantur.

XIX. Ex his omnibus liquidò apparet calorem cœleſtem, Animalem & Elementarem ſpecie non differre, ſed unum idemque eſſe. Cœleſtis enim calor vi aſtrorum formaliter non calidorum in aëre producitur, aërii caloris intenſione & accenſione, à quo igneus non differt; niſi gradu excellentiore: aër enim fit ignis non mutato ſed exaltato uno eodemque calore: ab iis non differt animalis, quia & ab illo intenditur, & à contrario frigore elementari remittitur & alteratur & exſtinguitur: Contraria vero ſunt unius generis.

XX. Diffe-

XX. Differunt autem hi calores, quod pro diverſa à qua reguntur cauſa principali, diverſas edant operas; ille qui cæleſtis eſt, à cœlo dirigitur, & in hoc cum animali convenit, quod in quadam facultate ei ſimilis exſiſtat, ea nimirum, quod uterque vim gignendi obtineat, quamvis in generationis facultate plurimum differant. Vnde Ariſt. dicebat lib. 2. de generat.animal.cap.3. *eſſe aliquid in ſemine animatum, quod proportione elemento ſtellarum reſpondeat.* Differunt autem iſti calores, quod, qui in animantum ſemine eſt, habeat facultatem producendi ſuæ, cui inſervit, ſpeciei ſimile & univocè, cœleſtis vero æquivocè generet: Dein quod ille actu ſit in animali, hic vero actu non ſit in aſtris, licet ab iis producatur; quod ille fæcunda ſuæ, cui ineſt, ſpeciei ſimilia producat, hic res apud inferiora, etiam alias præter animalia, efficiat, quodque ille ſubtracto alimento ſtatim pereat, hic eodem non indigeat. Animalis & cœleſtis ab elementari differunt, *quod hic juxta Ariſtotelem nullum animal generet,* proinde à forma elementari directus id præſtare nequit, quod ab animantis & cœli forma uſurpatus poteſt.

Calor vero cœleſtis cum animali concurrens, generationem fœcundorum animalium, & perfectam præſtat; Vnde illud Ariſt. *Sol & homo generant hominem.* Calor elementaris mixto proprius eſt, neque nutrimento indiget, quia ineſt ei per elementum, ex quo velut parte miſtum conſtat, à cujus forma proximè & indiviſivè generatus, dependet: animalis calor ab elementari ſpecie non differens, proximum quidem animæ inſtrumentum eſt, tamen quia ab ea non dependet, ut cauſa ſuæ eſſentiæ, indiget nutri-

mento, quo velut flamma in elychnio nutriatur & conſervetur & in corpore retineatur. *Ex his liquet calores hos à ſe invicem ſpecie non differre, omneſque ad unum elementarem reduci.*

XXI. Hactenus venerandæ antiquitatis de calidó nativo explicata & ſincerè propoſita eſt ſententia, cui è diametro repugnat Clariſſ. Sennertus cum Neoparacelſicis, contendens, illud nec cœleſtis originis, nec elementaris eſſe conditionis, ſed tamen cum cœleſti corpore analogiam quandam habere, ſimulque ſuperelementaris eſſe naturæ, & propagari per ſemina tanquam traduces, quæ non ſint ex elementis compoſita, ſed elementis vel elementatis jam conſtitutis ex prima creatione indita & concreata, nutriri porrò non rebus elementaribus, aut cibo ex elementorum concretione genito, ſed interiore ſeminum, ſtirpium, radicũ, carniumque humido radicali & calido inſito; in illo occultarum qualitatum rationem, naturam & potentiam eſſe ſitam.

Verum enimvero hæc opinio, in Paracelſicis quinteſſentiarum ergaſtulis & fornaculis aut alibi proſata, multas involvit difficultates, quantumque à ſyncera antiquitate, tantum à veritate aberrat, quod evidenter & ad oculum ibimus probatum.

XXII. Calidum innatum conſtat calore, ut qualitate, & ſpiritu, in quo calor hæret, quo velut flammulam vitalem conſtituit, quæ humido per cujus omnes partes uniformiter & accuratiſſimè miſta eſt, ceu pabulo convenientiſſimo nutritur.

In hoc *tria conſideranda; videlicet ſpiritus ut ſubſtantiale vel corporeum quid, & calor ſeu caliditas ut accidens, & humidum vel humor* quo calore quaſi igniculatus iſte

iſte ſpiritus nutritur; quæ omnia ſi inveniantur eſſe elementaris naturæ & conditionis, ſanè cœleſte aut diverſum ab elementari indole opificium conſtituere nequeunt.

XXIII. De ſpiritu itaque vitali & innato primò videndum an is ſit ex Elementis. Hic reſpondemus affirmative, quia etiam juxta Sennertum in phyſ. fol. 608. *ex aëre attracto & tenuiore ſanguinis portione generetur*. Deinde *quod omne calidum ſecundum Hipp. nutriatur frigido*: Nutriens vero & nutritum quatenus tale uti unius ſunt generis, ita quod hoc eſt actu id illud eſt in potentia, quod ipſum ſummi Fernelii ratio luculenta comprobat, & auctoritas teſtatur, lib. 4. phyſiol. cap. 2. cum inquit:

Spiritum noſtrum quidem æthereum, ſed ex elementorum tenuiorum permiſtione concretum eſſe. Hujus fovendi gratia reſpiratione aërem ducimus ut eo nutriatur. Niſi enim ſpirituoſa hæc ineſſet ſubſtantia, vix ulla neceſſitas ad inſpirandum compelleret. Tanta vero ejus eſt neceſſitas ut ne minimo quidem temporis ſpatio eo vita carere poſſit: hactenus Fernel.

XXIV. Progrediamur ad calorem ſeu caliditatem in hac ſubſtantia inhærentem. Is ab ipſomet Sennerto elementaris eſſe naturæ non negatur, ſiquidem calor nativus ab Elementari intenditur, hoc eſt, ulteriores gradus recipit, & ad talem pervenit immoderationem, ut intemperatus fiat & ineptus, ad actiones animæ & naturæ inidoneus & improportionatus. Fiunt autem actiones à calore commenſurato, quam menſuram & moderationem cum excedit, intemperies oritur, & fit calor morboſus, incipitque ad perficiendum naturales actiones fieri ineptus,

 adeò,

adeò, ut quo fuerit factus intenſior, eo ad igneam propius redeat naturam, igniſque quam animæ operationibus perficiendis reddatur accommodatior. Hinc eſt quod à *Galeno definitur febris per caloris nativi in igneum converſionem, quo ſignificatur calorem nativum pluribus gradibus auctum & intenſum, propius ad originem ſuam igneam accedere, in qua, uti ad operationes naturæ eſt ineptus, ita ignea opera, naturæ contraria, propter immoderationem perficit.*

Quatenus itaque adeò moderatus & legitimè commenſuratus eſt, qualem videlicet natura determinavit ad ſuas perficiendum actiones vitales, ſuique conſervationem, eatenus & nativus eſt & naturalis dicitur, ſanitatemque & vitam conſervat; quatenus vero gradibus ulterioribus intenditur, uti ad originem ſuam igneam magis redit, ita noſtræ naturæ minus aptus, hujus operationes potius deſtruit, igniſque actiones magis perficit.

XXV. Ex his liquido apparet, quod & Clariſſ. Sennertus negare non poteſt, caliditatem illam, propter quam innatum calidum ſubſtantiale caloris nativi nomen adipiſcitur, eſſe elementarem, quia ab elementari, tanquam ſimili, recipiendo ulteriores gradus intenditur, neque tamen ſpecie diverſus fiat, quodque eadem frigida medicamenta, quæ retundendo & abolendo gradus caloris ignei, additos nativo, exhibentur, ſi iiſdem remotis & intemperie abacta, immoderatius uſurpentur, ipſum etiam calorem nativum oppugnent, minuant, & demum ſuperent. Si itaque *juxta D. Sennertum, actiones ſint contrariorum unius generis, neceſſario calor nativus, quod ab elementari frigore perimatur, elementaris erit.*

XXVI. Quod

XXVI. Quod ipſum ipſemet Clariſſ. Sennertus citato loco fatetur, ubi non concedit in febre calores ſpecie diverſos eſſe, ſed nativum à morboſo gradibus ſaltem differre, & gradus caloris ſupervenientis febri formalitatem tribuere aſſerit: atque ſic ratione graduum, quatenus propter hos diverſos, diverſæ fiant operationes, formaliter diſcrepare, materialiter vero convenire, ad inſtar numerorum, quorum ultimus, etiamſi omnes quoad materiam ſint unum, quaſi formam conſtituit. Ex quo liquet, quod, uti collectio unitatum conſtituit numerum qui ab illius eſſentia non differt, ita quoque gradus caloris, unus pluresve commenſuratum ad actiones naturæ calorem definiunt, exſuperantes vero eundem præternaturalem & igneum reddunt, qui tamen calores naturales & præternaturales facti, eſſentiæ unius, ejuſdemque ſunt proſapiæ.

XXVII. Sennertus itaque malè involvit ſtudioſos, quod caliditatem, cujus merito ſpiritus & humidum primigenium dicuntur calida, aſſerat elementarem, & nihilominus prædicet, calidum hoc eſſe ſupra elementi conditionem, ex hoc, quod ſpiritus ille, in quo hæret, & humidum, quo paſcitur, ſint non ex elementis, ſed longe alia ſubſtantia, elementis vel elementatis concreata vel connata alterius generis, naturæ & indolis, ſimulque allegetlib. 1. de feb. c. 1. fol. 8. pro ſe ſibi contrarium Fernel. aſſerentem, calorem quo ad qualitatem alium eſſe cœleſtem, alium elementarem. Illum nunquam exſuperare, & ab eo omnes actiones primario proficiſci: hunc in moderatione conſtitutum, eſſe illius adjutorem, immoderatum vero hoſtem fieri, eumque oppugnare &

demum perimere. Quo ipſo adſtruit, calorem nativum quoad qualitatem eſſe cœleſtem, & juxta ſpiritum cui inhæret elementaris naturæ, quia is in ſubtilium elementorum miſtione ſit prognatus. *Uti itaque juxta Fernel. qualitas calidi nativi ſeu illa caliditas eſt cœleſtis & ſpiritus Elementaris originis, ita Sennerto caliditas eſt elementaris, & ſpiritus quinteſſentialis & ſupernaturalis. Atque hic eſt pulcher ille conſenſus, appoſiteque ſcilicet pro D. Sennerto allegatur Fernel.*

Ille concedit febrem eſſe caliditatis vel caloris nativi in igneum converſionem, hoc pacto, quod hic, plures acquirendo gradus, ſic intendatur, ut à naturali proportione excidens, igneus, naturæ contrarius, ejuſdem actionibus ineptus fiat, adeoque duos non eſſe in corpore calores, naturalem & præternaturalem diverſi generis: Ex quo ſequitur, non ſpecie, ſed gradibus eos differre, ſeu ut ſupra dictum materialiter convenire. Et hujus rei ratio manifeſta eſt. Quod intenditur & augetur, id à ſimili accipit, nec enim à contrario res augetur vel intenditur, aut gradus aut ſui amplificationem recipit, ſed oppugnatur & deſtruitur. Si itaque nativus calor intenditur ab Elementari, & ei ſimilis, cumque eodem ſpecie unus eſt.

XXVIII. Quo pacto itaque D. Sennertus aſſerit, caliditatem innatam eſſe elementarem, & ſimul recipit opinionem Fernelii, quę & ipſi è diametro contraria & variis difficultatibus, ne dicam abſurditatibus, implicata. Febris ſiquidem definitur caloris nativi, non quatenus ab elementari diverſus ſit, in igneum cõverſio. Deinde de morbi natura eſt, quod actiones vitæ neceſſarias primo, & per ſe ſenſibiliter

lædat.

lædat. Hæ autem perficiuntur à calore nativo tanquam proximo & immediato animæ inſtrumento: poſito, quod in febri (juxta Fernel.) primo accenderetur calor elementaris, à quo dein accendatur & infeſtetur nativus, homo primò pateretur ut miſtum: Verum calor elementaris, ut eſt Symphytos & miſti proprius, velut in homine illam temperiem non conſtituit, à qua actiones vitæ neceſſariæ perficiuntur, neque animalis temperaturam & proximum animæ inſtrumentum conſtituit; ita in vivo homine, ſalvo calore nativo, qui eum defendit & tuetur, nihil patitur primo & per ſe, cumque ejus actio ſit miſti conſervatio, quatenus videlicet partium in miſto vinculum eſt, neceſſariò ejus paſſio ejuſdem deſtructionem ſeu putredinem conciliabit, qualis vivo vitalique corpori accidere nequit. *Morbus autem eſt viventis ex calore animato, non mixti corporis quatenus miſtum ſit, paſſio.* Quinimo morbus ſimilaris eſſet duplex, iſque ratione temperiei, quatenus ea conſtat calore elementari, vel quatenus cœleſti perficitur.

XXIX. Cæterum calor cœleſtis vel eſt impatibilis (parcite manes Ciceroniani) & ſic homo perpetuum vivet, quia in ejus integritate vita fundatur: vel eſt patibilis, & ſic patietur à contrario potiſſimum. Contraria vero, in ſe mutuo agentia, juxta D. Sennertum, ſunt unius generis. Patitur autem à frigore elementari, & à calore elementari immoderato igniculatur, & labefactatur, & hac ratione juxta qualitatem patitur. Secundum ſubſtantiam humidum ſeu pabulum ejus exhauritur, ſpirituſque diſſipantur. Cum igitur hæc patiatur ſecundum ſubſtantiam &

qualitates, totus eſt ex elementis, vi adducti ex contrariis argumenti. Et quid opus eſt cum Fernelio ſtatuere, primo accendi calorem elementarem in homine connatum, ut ille innatum deſtruat, cum hic ab externo elementari, violenter agente & incidente, æque celeriter igniculari & inflammari aut corrumpi poſſit.

XXX. Demum calor nativus patietur ab Elementari, quatenus hic ſubjectum illius, videlicet ſpiritus, & humidum archigonon depeculatur, vel ipſam caliditatem igniculet, vel diſſipet & corrumpat. Hanc vehemens & ignea caliditas depaſcit, quatenus illam & frequenter cum ea ipſos ſpiritus ſubitò & violenter in ſuam naturam convertit & demum abſumit.

XXXI. Subſtantiam porro amplius conſumit, quatenus innatum accendit Elementaris & externus, ut violenter depaſcat ſuum ſubjectum, quod in febri hectica uſu venire ſolet, ubi, ſi dicas calorem nativum non accendi, ut agat in humidum radicale violenter, neceſſum erit, alium ſpecie diverſum elementarem id patrare, aſſeras, & ſic aget res Elementaris in ſuperelementarem, quod eſt contra principium D. Sennerti, quo aſtruit, actiones eſſe contrariorum unius generis. Verum ſi conſumitur humidum à nativo calore naturali naturaliter & à calore præternaturali, qui ipſis Elementariæ ſortis, violenter, quomodo non eadem actio intenſa vel remiſſa ab eadem ſpecie cauſa, intenſius remiſſiuſque, ſecundum qualitatum gradus agente, proficiſcitur? Calor proinde nativus naturaliter habens ſubjectum ſuum tarde & ex naturæ ordine depaſcit, quod præternaturaliter affe-

affectus violenter facit. Quare commentitium eſt humidum radicale, ſi naturaliter tardiuſque, & juxta ætates annorumque decurſum exhauriatur à calore nativo & ſi violenter pereat à calore ſpecie diverſo, qui præternaturalis ſit, conſumi. *Ab iis enim quibus conſtamus & generamur, etiam conſumimur & perimus.* Vnde juxta Gal. lib. de marcore cap. 2. *opera naturæ ſunt inevitabilia, certumque ſuæ generationis & interitus ordinem ſervant.*

XXXII. Etſi vero adductis hactenus rationibus ſatis demonſtratum ſit, humidum, quod calori in pabulum cedit, elementaris eſſe conditionis, tamen ulterius majorique indagatione quærendum, an humidum alimentare quo reficitur nativum ſit rebus connatum concreatum, atque ita ſuperelementare quid, num vero ex cibis in corpore humano generetur. Et quamvis facilè & appoſitè reſponderi poſſit, neceſſariò ejuſdem eſſe naturæ cum eo, in cujus ſubſtantiam convertitur, quod elementare eſſe demonſtravimus, tamen in gratiam juniorum rem prolixius & penetralius inſpiciemus.

XXXIII. Si connaſcitur, organa concoctionis ex cibo non per converſionem & mutationem ſubſtantiæ, quæ fit concoctione & nova miſtione, generant chylum, chymum, ſanguinem & ſemen, in quo eſt humidum radicale, ſed per nudam ſeparationem humidi alimentalis, deliteſcentis ſub involucris & corticibus elementorum: conſtat enim juxta Sennertum, uti & ipſa ſemina ſua propria forma. *Atque hæc eſt ſententia verè abſurditatum Monarchæ Paracelſi, qui omnia in omnibus ſtatuit, actuque ſanguinem & cibum terræ cujuſcunque portioni ineſſe, ſolaque ſepara-*

ſeparatione, vi ventriculi facta, educi cornicatur, favetque hæc opinio, ut in abſurditatum ſerie & curſu permaneant, formarum per ſui diviſionem multiplicationi.

XXXIV. Si enim formæ ſui propagatione multiplicantur, neceſſum eſt in cibo formas chyli, chymi, ſanguinis & ſeminis eſſe, quia non generantur illis æquivocè ſed univocè per ſui propagationem, & non educuntur è potentia materiæ. At quo pacto hæc convenient cum eodem D. Sennerto ſtatuente ſecundum Galenum, chyli & ſanguinis generationem fieri beneficio ventriculi & epatis, tanquam organis naturæ, cibos in talem ſubſtantiam convertentibus? Verum ſi reponant materiam peculiarem, elementis tamen ſuperiorem, rebus connaſci, ex qua alimentum vi naturæ convertentis fiat, quomodo non ſanguinis forma & chyli & ſeminis è potentia materiæ cibalis educitur? Nec enim concoctio fit ſeparatione iſtius rei formatæ, quæ jam ineſt, ſed per converſionem cibi in alimentum & altum, per novæ formæ quæ prius non erat introductionem. Quocirca peculiarem ſubſtantiam elementis ſuperiorem, rebus congenitam dari quæ ſit alimentalis, inſtarque calidi innati, ex ſequentibus probabitur eſſe falſum.

XXXV. *Nutritio eſt conſumptæ & in perpetuo fluore conſtitutæ ſubſtantiæ reparatio, quæ ſemper eſt in actu ſecundo.* Hac ipſa duo reparantur, videlicet ipſum humidum radicale, in quo ſpiritus calorque vitalis ceu flammula hæret & paſcitur, cujus opera omnes actiones vitæ neceſſariæ & ipſa vita perficitur, ſimulque ſubſtantia eo ipſo vivificata & gubernata in perenni pariter fluore conſtituta, reficitur. Illa vero triplex

plex eſt juxta Galenum lib. xi. meth. med. ſpirituoſa, carnoſa & verè ſolida, ſeu ſpermatica, in cujus debita quantitate & qualitate, vires & vita determinatur. Qualitas hæc, eſt temperies ex Elementorum miſtione nata, in qua dominium tenet calor, non alienus, ſed ejuſdem cum cæteris primis qualitatibus generis, alioquin ab iis nec pati, nec in eaſdem agere poſſet, ut ſupra probatum eſt.

XXXVI. In hac temperie debita ſanitas & vita, indebita morbus ſimilaris & mortis ratio conſiſtit, quod ipſum ipſe D. Sennertus in Inſtitut. & paſſim docet. Ea temperies ex Elementaribus qualitatibus nata, neceſſariò non in alio quam Elementari corpore, ſeu ex elementis coagmentato, hæret; omniſque qualitas ſuo πρώτῳ δεκτικῷ aſſignanda. Illud corpus elementare eſt vel ſimpliciter miſtum, uti lapides, metalla, ſolaque miſti forma contentum, vel animatum & vitale. Si hoc, in perpetuo fluore juxta omnes ſuas partes eſt conſtitutum, ita ut pars aërea & ignea ne exiguo temporis ſpatio elementari ſuo pabulo carere poſſit, uti ſupra demonſtratum.

XXXVII. Et ſolidioribus partibus aliæ per nutritionem duntaxat numero conſervantur, uti ſpermaticæ, aliæ penitus conſumptæ etiam regenerantur, ut carnulentæ. In carne itaque quod eſt Elementare renaſcitur, nutritur, cumque cæteris omnibus eadem conſervatur. Neceſſe eſt itaque eſſe aliquid nutrimentum elementare, quemadmodum nutritum eſt Elementare.

XXXVIII. Hic modo quæritur, an in homine præter corpus elementare, detur aliquod ſublimius, videlicet æthereum, cœleſte Platonicum, aut quinteſſentiale

teſſentiale Paracelſicum, nihil commune habens cũ elementis, quod, uti ab horum concretione & fœce liberum ſit, ita etiam alimentum requirat, non ex elementis natum vel coalitum, ſed longe alterius naturæ: *quale enim nutriens, tale nutritum.* Iſtiusmodi dari Platonici, qui animam duplici tegumento, tanquam re aliqua mediam naturam habente, priuſquam in corpus demergatur eique copuletur, circumdari aſſerunt; Et Paracelſici tale comminiſcuntur exſiſtere in homine, quod depuratum ab elementorum corticibus & involucris, quibus eſt incruſtatum, quinteſſentiale ſit & perenne. *Hujus ratione, medicamentorum Paracelſicorum opera, deſquammatis & deglumatis elementorum corticibus, vetula repuellaſcit & menſes recuperat, & ſilicernium capulariſque ſenex rejuveneſcit. Neque Medea Æacus falſus eſt.* Ecce rerum ideas, genera & ſpecies in ſingularibus individuis ex Iliado Paracelſi prodeuntes, elementare corpus aſſumentes, extravagari in hanc mundi ſcænam, perſonamque prædeſtinatione certâ, ſuo definito tempore ſuſtinere & gerere, donec relolleo Elementorum corpore depoſito redeant in ſuum orcum vel Iliadum ad patres & avos immortali quiete beatæ & glorioſæ. *Plaudite mortales queis contigit optio talis,* videlicet immortalitas Paracelſica.

XXXIX. Sed deſinamus nugarum. Quicquid ſit, opinio illa, qua ſtatuitur quinteſſentiale nutrimentum, requirit quinteſſentiale nutritum, cui cum nihil ſit contrarium (actio enim omnis juxta D. Sennertum eſt à contrariis ejuſdem generis) nec perire vi contrarii, & cum ſit ſimplex non ex Elementis compoſitum, nec reſolvi & interire poteſt. Denique cum

cum ſit concretum & concreatum rebus & uniforme & perenne, ſuaque peculiari, uti volunt, conſtet forma, nutrimentum ſimplex qua tale ; paris erit ſemper bonitatis, quocirca non interibit corpus quod eo nutritur: ſi enim æquali bonitate ei, quod ab initio conſecuti ſumus, poſſit reſtitui homo immortalis & perennis erit neceſſario.

XL. Verum enimvero reponi non poſſe alimentum tale, quod ſubſtantiam ei, quæ continuo perit, omnino æqualem reſarciat & digne reſtauret, jam ab omni ævo orthodoxa Philoſophorum & Medicorum eſt ſententia, idque ob hanc maximè cauſam, quod æquivalens naturæ viſcerumque beneficio regenerari nequeat, nullaque detur talis materia in rebus exſiſtens. Atqui Paracelſici & *Galenico ſchemate perſonati Paracelſiſtæ & novatores* convenientem ſatiſque idoneam materiam, ab omni Elementorum fæce liberam, ſeu quintam quandam eſſentiam rebus concreatam, nobis offerunt, quę ſinceram quam maximè præbeat alimoniam, quam ut nonnihil diſpiciamus operæ pretium fuerit. Hæc qualiſcunque demum ſit, indiget mutatione aliqua, vel non indiget. Si non indiget, fruſtra omnis ad hanc eſt naturæ apparatus. Ergo indigebit. Mutatio illa neceſſaria eſt totius ſubſtantiæ: *quod enim actu eſt nutritum, id potentia eſt nutriens, & omne quod fit, id fit ab eo, quod actu eſt, ex eo quod eſt potentia.* Nutrimentum itaque ut nutrimentum, non connaſcitur rebus Elementaribus, ut ab iis duntaxat ſeparetur, ſed fit & paratur tale in corpore humano, idque per multas ſubſtantiæ mutationes & viciſſitudines. Natura enim univerſalis non generat alimentum, ſed materiam alimenti,

camque

eamque præparat & maturat, veluti ſtirpes, fruges, animalia, ut ex iis alimenta naturæ organorum opera, ſubſtantialiter mutantium, fieri poſſint.

XLI. Quid ſi reſpondeat quiſpiam pro Sennerto, materiam illam, ex qua fit alimentum etiam per varias mutationes, ita ut nunc chylus, dein chymus ſanguiſque fiat, tranſire, reſponſum eſt ad manus. Corpus quod generatur eſt ſimplex vel compoſitum. Generatio corporis ſimplicis ex ſimplici tantum fit elemento, ut cum ex aëre fit ignis. Generatio vero cæterorum omnium corporum fit per mixtionem elementorum. *Quare alimentum fit concoctione, quæ perficitur mixtione & determinatione humidi cum ſicco, virtute caloris nativi. Vt itaque cibus fiat alimentum, neceſſe eſt ut coquatur.* Nihil enim quod crudum eſt nutrit. ex iſta concoctione reſultat alimentum generatum per humidi cum ſicco definitionem opera caloris nativi. Ex quo ſequitur, ſi illud quod nutrit ſit quinta eſſentia, & principium aliquod purum ab omni elementari concretione liberum, nec ex elementis genitum, nulla concoctione quæ fit plurium miſtione & determinatione à calore indigere, & nullam aliam mutationem in viſceribus experiri quam ſeparationem ab elementorum involucris quibus adhæret, ſic enim ait lib. 1. Inſtit. c. v. Quodlibet animal, quicquid eſt in carnibus vel plantis humidi radicalis calidique inſiti, ſuo corpori apponit, aptumque reddit, & οἰκεῖον facit *reliquum corpus miſtum, ut inutile excernitur* (*ecce homo nutritur tantum quintis eſſentiis.*) Sic vero nutritur gallina Sennertiana, per nudam auri depurati appoſitionem, ita ut aurata appareat caro. Si enim aurum nutriret per

ſubſtantiæ

ſubſtantiæ mutationem in alimentum, utique nec aurea ſubſtantia, nec aureus maneret color. Verum nihil nutrit niſi quod animatum vel ab animato genitum, neque calor nativus aurum aut ferrum (quod enim de ſtrutiocamelo ferrum coquente memorant id falſum eſſe ſatis evidenter demonſtrat Aldrovandus) digerit, aut ſi digeſtione ſuperaret aut ſolveret, nutrimentum fieri poſſet, *quia quod nutrit debet eſſe animatum, vel ab eo genitum.* Purè miſta veluti ſaxa & gemmæ non nutriunt. Potentia ad rem eſt propinqua vel remota. Cibus ad nutritionem comparatus, tali eſt potentia præditus, ut non una mutatione redigatur in nutritum: ſiquidem requiritur, ut fiat chylus, chymus, ſanguis, ros, cambium &c. opuſque foret ut aurum, quo fieret nutritione idoneum, in chylum, chymum, & ſanguinem verteretur, qua ratione aurificam qualitatem nullam retinere poſſet. Quis enim aureum chylum aut ſanguinem vidit; fabellas de aureis intus gallinis relinquimus vetulis ad colum delirantibus: ſumma, *nihil nutrit niſi quod tres concoctiones ſolemnes expertum ſit; neque ſubito quicquam ab extremo ad extremum tranſit, niſi per varias mutationes eaſque ſubſtantiales.* Neque eſt quod quiſpiam reponat, qualitates materiæ proximæ manere poſſe cum rebus, quod aurum proxima non ſit carnis materia, imo nec chyli, nec chymi, *nihilque nutriat niſi prius vegetabile fiat.*

XLII. Hinc liquido apparet, cur novatores ſtatuant, propagationes formarum, fieri per ſui multiplicationes & diviſiones, in ſemine contineri rerum formas actu, imò calidum nativum habere propriam ſuam formam. Atque jam pulchras illas Chymico-

rũ & Paracelſicorũ quintas eſſẽtias vidimus, quas ſub alio prætextu in ſcholam Medicam introducere, & Philoſophicã veritatem denuò inquinare conantur.

XLIII. Etſi verò pharmacum aliud quærant priorum opinionum patroni in hoc, quod dicant, ſe non exiſtimare ſubſtantiam alimentarem, illa qua rebus connaſcitur forma, verè eſſe nutrimentum actu, ſed ejus duntaxat materiam, quæ mutetur in corpore & organis concoctionis, ut reipſa fiat formale nutrimentum, cum præterquam quod probatum ſit, concoctionem non eſſe corporis ſimplicis in aliud ſimplex mutationem, ſed perfectionem à calore nativo in qualitates, quæ patiuntur eo videlicet definiente humidum cum ſicco, unde vera demum alimenti ratio reſultet, etiam apparet ex manca & vitioſa concoctione, qualis eſt dyſpepſia & bradypepſia, cibum, quia in chylum vel ſanguinem, & naturæ congruentem humorem non vertatur, propter organorum diſtemperiem, definitionem & mixtionem ad concoctionem neceſſariam minus recte perficientem, faceſſere quam frequenter in bilem quæ igni, vel terreſtrem & melancholicum humorem, vel phlegma & aquam, & ad originem & principia, unde primitus coagmentata & nata ſunt, redire, quod clarius apparet in anaſarca illa, ubi univerſus ſanguis metaſtocheoſi, ſeu reelementatione quadam in aqueam maſſam revertitur, & in leucophlegmatia, quin imo in hydrope aliiſque cachecticorum affectibus. In his omnibus materia alimentaris, niſi purè foret elementaris, quomodo manca concoctione reſoluta, neque ſatis vicıſſim virtute caloris definita & unita ad elementarem naturam abire vel redire queat? in his autem

tem

tem vitioſis concoctionibus, nihil faceſſit in humores inutiles, niſi quod in naturis valentibus in ſuccos utiles & ipſam corporis demum vertebatur ſubſtantiam, quod & perſpicuè in cacotrophia elucet. Vbi manet hic quinta Paracelſicorum eſſentia? fortè remigrat ad orcum & Iliadum ſuum.

XLIV. Sed ut vera nequit eſſe aſſertio, qua aſtruitur, rebus elementatis aut elementis concreata vel connata eſſe alimenta, cum ea quæ alimenti rationem habent, neceſſe ſit eſſe ex animatorum & vegetabilium claſſe. Vt itaque fiant alimenta, id non ex eo obtinent, quod aliis primitus concreata ſint, ſed quod ex mixtorum claſſe ad vegetabilia provecta ſint, multaſque ſubierint præparationes & mutationes ut alimentariam conſequerentur naturam. Quo enim nobilius quodque, eo plures ſuſtinuit mutationes, progrediendo à potentia remota, ad propinquiores; nihil enim ſubito ad extremo in extremum vertitur, *& proceſſus rerum fit ab eſſe ad vivere, ſentire, intelligere.*

XLV. Cœleſti quoque veritati nihil magis conſentaneum eſt, quam hominem juxta ſui partem alterationi & corruptioni obnoxiam, ex terra creatum, imo terram eſſe juxta illud Gen. c. 2. v. 7. ubi Hebræa phraſi ſignificanter dicitur, *Formaverat Deus hominem pulverem ex terrâ.* Et Geneſ. c. 3. v. 19. *Reverteris in terram, de qua ſumptus es, quia pulvis es & in pulverem reverteris.* Quocirca infallibili ratione concludimus, tale oportere ſecundum ſubſtantiæ originem eſſe nutriens, quale ſit nutritum: *eſt enim nutriens id potentia ſeu proxima ſeu remotiore, quod actu eſt nutritum.* Vti itaque animalia ex elementis à Deo ſunt

creata, ita non immerito elementa eorum fiunt alimenta, unde ab elementis nomen obtinuere alimenta, videlicet, quod ſint animalium alimenta, de qua re vide prolixius in tractatu meo de noctibus medicis, cap. 28. & 65.

XLVI. Demum calidum illud radicale, eſt concreatum elementis & elementatis, juxta Dominum Sennertum lib. 1. Inſtit. c. 5. uti & ſemina, cuicunque vero illud ineſt, vita potiri neceſſum eſt, ſiquidem proximum animæ inſtrumentum ſit, ſine qua nec illud neque hæc exſiſtat. Longe diverſa res eſt ſtatuere materiam calidi ſpiritusve innati eſſe ex elementis & elementatis, & aliud eiſdem eſſe rem ipſam ſive ſpiritum & humidum ipſum, ab origine connatum & concreatum. Neque ſic eos ſtatuere negari poteſt, cum omnem generationem ſtatuant fieri per ſemina, quæ formas contineant beneficio caloris, & ſpiritus hujus connati proprium ſibi corpus fabricantes. Sed quomodo conciliabunt quod interim dicant, metalla & lapides, & gemmas ad inanimata referri, imo neceſſario ſimpliciter miſta ad eadem reducere, cogantur? Etſi ſimplicibus elementis connaſcitur illud innatum & radicale humidum, quomodo hoſpitabitur cum igne? ut de cæteris nihil dicam.

XLVII. *Tandem cum Clariſſ. Sennertus occultarum qualitatum rationem ponit in humido radicali, quo deſtituuntur miſta inanimata, ſiquidem id ſolis vegetabilibus ineſſe, veritas ipſa & ſolida dictat Philoſophia, & nihilominus in iis deprehendantur occultæ qualitates, neceſſum eſt eaſdem in hoc & per hoc non dari rebus.* Et ſi eadem forent in humido radicali, atque illud concreatum

ſit

ſit elementis, ſequeretur hujus beneficio eadem tam occultis quam manifeſtis qualitatibus donata eſſe. ſed deſinamus ineptiarum.

XLVIII. Neque hic prætereundum, quomodo Medicinæ initiatos & diſcendi cupidos varie involvat, & palpitare & fluctuare faciat, ſua inconſtantia, lubricitate, & opinionum contrarietate, cum lib. 1. Inſtitut. c. 5. decernat, oportere ut alterutrum omnino ſit verum; vel ſpiritum hunc ſeu calidum innatũ non ex elementis, nobilioriſque eſſe quam elementa naturæ, ſed iiſdem cum ſeminibus inditum fuiſſe: vel ſi concedatur eſſe elementare corpus, id habere ſuam eſſentiam à peculiari forma, à qua illa ejus præſtantia, nobilioreſque actiones proveniant, & propter quam cœlo dicatur analogum. Primum ſi adſtruatur, non indigebit forma, à qua actiones hæ, elementorum potentiam tranſcendentes, proficiſcantur; ſi ſecundum aſſumas, iterum varius eſt Sennertus, quod mordicus contendat & ſtatuat, concludatque multis rationibus, ipſum innati calidi ſpirituſque corpus unà cum ſuo alimento eſſe ſuperelementaris conditionis, & nihilominus lib. v. part. 1. cap. 2. peculiarem ipſi aſſignat formam non obſtante hoc; quod non neceſſariam dixerit eſſe hanc formam, modo res ipſa ſtatuatur eſſe ſupra elementi naturam & alterius excellentioris originis.

Et quas difficultates & contradictiones involvat illa D. Sennerti opinio, qua calido nativo peculiarem aſſuat formam, in diſp. de morbis ſubſtantiæ theſi 36. & 37. abunde explicatum eſt.

XLIX. Tempeſtivum nunc fuerit accingi refellendis rationibus, quibus Clariſſ. Sennertus utitur ad

probandum corpus innati calidi non eſſe ex elementis conflatum. Harum potiores ſunt quinque. 1. Vna quod non à forma hæ proficiſcantur actiones, quia etiam in demortuis, animaque & forma carentibus ſuperſint vires purgandi, venenis reſiſtendi & ſimiles potentiæ: quæ cum non ſint ab elementis, neceſſario à calore nativo elementis ſuperiore proficiſcuntur & inhærent. 2. Altera eſt quod ſympathiæ & antipathiæ, mirabiliumque actionum cauſæ, hoc eſt occultæ qualitates conſiſtant in humido radicali quales ab elementis proficiſci nequeunt. 3. Quod calor nativus dominetur corpori, in quo frigus excellat, & hyberno tempore ſæpe in media glacie ſalvum & incolume permaneat. Cui & ego ipſe alia, quę imbecillis judicii homines movere poſſint, exercitii gratia argumenta addo, videlicet quod etiam calidæ naturæ plantæ in ipſo elemento aquæ ex terra naſcantur, & quod de animalibus torpidis & quaſi ſemimortuis in terræ latibulis degentibus, & de piſcibus in aquæ elemento frigido degentibus, & virtute caloris nativi vitam trahentibus objici ſolet. 4. Quod nobilior forma, qualis eſt anima, nobilius requirat inſtrumentum quam elementare quippiam. 5. Quinta ratio deſumpta eſt ductų Petri Severini Dani Paracelſicæ Medicinæ Idæam texentis ex lib. 2. de gener. animal cap. 3.

L. Primam & ſecundam rationem primo deſpiciemus. Si calor nativus peculiari conſtat forma, non opus habet corpore ſupra elementaris naturæ, uti Sennertus lib. 1. Inſtit. c. 5. ſtatuit, & exemplo de cœlo ex Scaligero confirmat, quo ipſo cadit illa aſſertio, qua humido radicali, quatenus ſit corpus, vel

materia

materia ſupra elementaris, ſympathiarum & antipathiarum rationem & occultas qualitates inhærere aſſerit. Si enim illæ inſunt per formam calidi innati, non opus eſt ſtatuere, corpus ſeu materiam ejus ſuperelementarem. Deinde ſi qualitates & operationes hæ, à propria innati calidi forma dependent, uti Sennertus lib. 5. Inſtit. c. 2. aſſerit, illud non amplius eſt proximum animæ, ſed ſuæ peculiaris formæ inſtrumentum. Anima itaque otioſa rerum ſpectatrix eſt. Per quam enim formam virtus rei ineſt, ab eadem etiam actiones perficiuntur. Falſum itaque toties dixit D. Sennertus calidum innatum eſſe proximum & proprium animæ vel formæ totius inſtrumentum. Si vero id eſt animæ inſtrumentum uti omnium Philoſophorum & rectè ſentientium eſt ſententia, tunc erit juxta formam vel qualitatem & corpus. Si juxta formam, tum forma formæ erit inſtrumentum quatenus talis, quod eſt inconveniens: ergo ſecundum qualitatem caloris erit. *Uti vero nulla forma ſubſtantialis operatur, niſi per qualitates, tanquam neceſſaria & proxima inſtrumenta: ita nec forma eſt formæ, nec forma formæ, qua talis eſt inſtrumentum.* Proinde ſi juxta qualitates inſtrumentum eſt, neceſſum fuerit illam qualitatum vim, qua ſic agant, dependere à forma inſtrumentum uſurpante. *Siquidem nullum inſtrumentum aut qualitas, quæ ſupra naturæ ſuæ vim agat, eandem vel connatam habet, vel per aliam formam adipiſcitur, quam per eam quæ eſt ultimata & exſiſtentialis*, eademque pro inſtrumento utatur, vegetatio, chylificatio, chymificatio, naturæque alia opera fiant ab anima non per formam calidi, ſed ejus qualitatem, qua inſtrumentum eſt proximum animæ ſeu poten-

tiæ vegetativæ. Sic vita eſt animæ actus; quæ perficitur caloris nativi opera inſtrumentaria (Sennertiano verò more nobis dicere licet, vitam perfici à calore nativo, quatenus illud propria donatum eſt forma, ſiquidem ab hac mirabiles potenteſq; actiones ſympathiæ, & antipathiæ aliaque elementaribus cauſis ſuperiora: & cur non ipſa demum vita?) hæc parergos: ſed ad rem. Vti nulla qualitas peculiaris, vel propria aut occulta cuipiam rei ineſt, niſi per propriam formam (exempli gratia in ferro ut trahatur à magnete, & in hoc ut trahat ferrum) ſic illa abolita, uti non amplius eſt ferrum vel magnes, ita cum ea & qualitas magnetica & occulta, ipſaque perit actio. Et ſi abolita forma res non amplius eſt, id quod eſt, ſequitur abolita quoque forma Rhabarbari cujus privatione jam cadaver factum eſt, non amplius Rhabarbarum purgare vi Rhabarbari, vel quatenus eſt Rhabarbarum, ſed quatenus eſt aliud quoddam corpus: forma enim Rhabarbari in ſubjecto (ut vult D. Sennertus lib. 5. cap. 2.) generabit aliam formam univocè vel æquivocè: ſi illud faxit, manet idem Rhabarbarum, id autem fieri juxta eundem auctorem neceſſum eſt, quia ipſi formæ propagantur, per ſui ipſius diviſionem aut ſimilis in ſemina deciſæ & derivatæ propagationem: ſed utrumque hic accidere nequit, & ſi fiat Rhabarbarum manet tale, quale prius erat, neque fiet cadaver Rhabarbari; vel generabit æquivocè aliam quæ neceſſario eſt diverſa, & hic modus propagandi formam eſt ſententiæ Sennertianæ contrarius, & hæc forma non conſtituet Rhabarbarum, ſed rem aliam, cujus actiones non amplius erunt Rhabarbaro propriæ, & quæ tunc perfici-

perficitur purgatio, non amplius fiet à Rhabarbaro, & ſic diverſa forma virtutem Rhabarbari excercebit propriam,& propria egredientur ſua ſubjecta, poteritque eodem jure vis trahendi ferrum ſpecificè & propriè alii, quam ferro ineſſe, corpori, & ſpecifica vis purgandi in diverſo à Rhabarbaro corpore eadem dari.

LI. Deinde ſi calido innato, uti ait idem auctor loco citato , occultæ inſunt qualitates ac potentiæ mirabiles , quatenus eſt ſuperelementare corpus, omnino res omnes , quæcunque hoc ipſo perfuſæ ſunt & conſtant, occultis iiſdem qualitatibus participabunt. eademque eſt ratio, ſi calidum innatum ſit, forma aliqua peculiari præditum, qua ſit tale, & per quam taliter operetur. Quando per formam caloris nativi, quatenus eſt calor nativus, & omnibus rebus vitalibus communis eſt,occultæ qualitates inſunt, neceſſario omnibus inerunt. Atqui hoc falſum eſt. Ergo inerunt , uti & revera inſunt, rebus per ſpecificam & exſiſtentialem formam, quæ utatur calido innato pro inſtrumento , & ſic calido innato non inerunt per peculiarem formam ſuam , ſed actiones tales perficiet, quatenus dirigitur & inſtruitur à forma totius ſpecifica, ceu cauſa principali inſtrumentalem diſponente , & ad altiora quam pro ſua natura poſſet perficiendum ſubornante. *Et ſi inſtrumentum propria ſua forma , vel ex ſui corporis innata virtute, actiones rei ſpecificas edere poteſt, non amplius inſtrumentum formæ totius erit. Et contra naturam inſtrumenti eſt, habere à ſeipſo vim & virtutem, quæ à rei ſpecie proficiſcitur & per ſpecificam formam ineſt, ſiquidem omnis cauſa inſtrumentaria, eſt adjuvans , & propter finem*

prima & principalis operatur. Primaria dat finem & formam & determinationem agendi; ſic inſtrumenta non movent, ſed moventur externe, internamvim habent ad utente forma, & ut res ſe habet in eſſe ita & operari, qualitates generantur & inhærent per formam, ergo virtute formæ operantur. Vnde D. Thomas ait: *omne inſtrumentum agit diſpoſitivè ad virtutem agentis principalis.*

LII. Et ſanè levioris momenti eſt ex eo quod dicatur, nobilius agens requirere nobilius inſtrumentum, velle concludere, calidum innatum divinioris eſſe aut cœleſtis originis, quia uſurpetur à re quæ non ſit Elementaris conditionis, cum nobilitas & præſtantia maximè inſtrumento comparetur, à cauſa principali cujus virtute operatur: uti enim virtutem uſurpat inſtrumentum ſua indole ſuperiorem, ita & eam & ſimul præſtantiam habet à cauſa, qua dirigitur & adhibetur, id quod antiquiſſimum immobilis veritatis principium, à quo nimis temere novatores quidam moderni recedere videntur, clare demonſtrat. *Calor cum ſequitur formam ignis, facit opera ignis, & urit, cum dirigitur ab anima, facit opera animæ* videlicet vivificat, chylificat, chymificat, generat &c. neque opus eſt alias ad hæc opificia acceſſere, vel comminiſci occultas qualitates, vel calori adſcribere formam novam aut originem diviniorem, dummodo certum ſit potentias has non ineſſe his, ſed animæ eſſe, & per calorem ab eadem ſufficienter inſtructum ſic operari. Nulla forma ſubſtantialis agit niſi per qualitates, eæque actiones cum qualitatum virtutibus ſunt ſuperiores propter formam utentem, non eſt neceſſum idcirco his origine ſua ſuperiorem affingere proſapiam. Qualitas elementaris directa à forma

forma non mutat naturã, etiamſi ſua natura ſuperiores, exerat actiones. Atqui elementarem ſua natura ſuperiores actiones poſſe præſtare, ſi à nobiliori principio dirigatur (quod D. Sennertus in Inſtitut. nimis temere & pervicaciter negat lib.2.cap.4.) cum ex allegata regula tum ex ipſo vitæ actu elucet.

LIII. Calorem enim vitalem, cujus merito nos valere, ægrotare, febricitare, & demum mori neceſſum eſt, omnino tam quoad qualitatem (quod & ipſemet D. Sennertus lib. 1. de feb. cap. 1. largitur) quàm ſubſtantiam eſſe elementaris conditionis ſupra demonſtratum eſt. Atqui nullius occultæ etiam qualitatis beneficio aut opera major aut divinior perficitur actio, quam à calore nativo, quatenus animæ potentia directus, vitam vitaleſque actiones inſtruit & excercet. Generatione & vita nullæ unquã occultarum qualitatum ſunt actiones nobiliores aut magis mirabiles, nec ſi vel ferri tractricem à magnete, aut quamcunque aliam maxime vulgo admirandam produceas.

Præterea calidum nativum, cum ſit proximum animæ inſtrumentum, nullaque res eodem inſtructa ſit, niſi animata & vitæ particeps, & nihilominus occultæ qualitates reperiantur in rebus inanimatis veluti magnete & ferro, quibus ſe mutuiter reſpiciant; indubitato ſequitur, falſum eſſe quod occultæ qualitates inſint rebus, quatenus innato calido ſint imbutæ.

LIV. Et ut una eſt exiſtẽrialis & ultimata rei forma, à qua omnes ejuſdem peculiares qualitates & potentiæ propriæ, cujus corruptione res non permanet quod erat, ſed vel aliud quippiam generatur, aut in cada-

cadaveris ſortem deperit, planeque perit, ita nec a-ctiones proprias amplius excercere poteſt. Neque e-nim duplex rei unius eſt interitus. Specifica & exſi-ſtentiali atque ultimata forma pereunte res penitus interit, qua collapſa res eadem ſpecie ſub nulla alia forma exſiſtere poteſt, ſed vel mutatur in ſpecie di-verſum veluti cum ex ovo fit pullus, vel perit & ſol-vitur in ſua principia, neque exſiſtit eadem ſub alia ſubordinata, iiſdem prędita facultatibus, quibus pol-lebat anima vel forma rei ultimata. Summa: omnis rei exſiſtentis una eſt ultimata forma, qua pereunte eadem ſub alia nulla iiſdem viribus integris exſiſte-re poteſt, & ut una ultimata forma, ita unus ultimus interitus.

LV. Deinde rei vitalis corruptio eſt exſtinctio ca-loris nativi, cujus interitu velut forma ſeu anima amplius ineſſe nequit, ſic quoque res omnimodo in-terit. Proinde poſito calido ſalvo & incolumi poni-tur anima vitalis ipſaque vita, & exſtincto ſequitur mors & cadaver. Ex quo uno pateſcit mirabilis ab-ſurditas, cum ſtatuitur à cadavere perfici actiones prioris formæ per calorem nativum, cum cadaver ſit cadaver per exſtinctionem caloris nativi. *Salvo calore nativo rem eſſe cadaver, remque unam & eandem ratione ſpecificæ formæ eſſe cadaver & mortuam, & ratione ſub-ordinatæ alterius cujuſdam adhuc vivere & exſiſtere, & excercere prioris ſpecificæ actiones proprias, abſurditates implicat abſurdiſſimas.*

LVI. Tertium argumentum, quo ab elementa-rium ſorte liberare innatum calidum conantur, mi-noris eſt momenti, quam quod Philoſophum ad ad-ſtruendum hoc quod intendit movere debeat aut

poſſit.

poſſit. Ad cujus ſolutionem tenendum, quod omne miſtum ſequitur naturã prædominantis elementi vel mole vel virtute: mole ſæpe prævalet terra & aqua compagem præſtans & ſoliditatem corporibus, virtute prævalet igneum & aereum, quatenus res miſta vel animata eſt, ſi minore inſit quantitate, id quod in externis vel extra miſtionem rerum ex ipſis elementorum particulis elucet. Scintilla ignis noſtri etſi impuri & diaconici, plus exercet activitatis, ampliuſque energiæ habet, quam grandior terræ maſſa. In miſtis vero licet minore quantitate calor inſit, tamen miſtum conſervat, & in miſtis ſyncryſin, in animatis vitam tuetur.

LVII. Calor proinde conſideratur primo ut agens virtuale in re, ratione portionis elementaris qua ineſt. Secundo ut inſtrumentum naturæ ſuperioris. Tertio ut proximum organon formæ in miſtis, vel animæ in animatis.

LVIII. Primus modus quo calor minore quantitate dominatur ſupra majorem cæterorum gravium elementorum molem, & ſupra aſſignatus eſt, & porro elucet ex ipſa caloris natura & indole, quæ homogenea congregat, heterogenea ſeparat, etſi non pari concurrat pondere & mole.

Secundo, ſi conſideretur ut inſtrumentum naturæ ſuperioris vi cœli & ſyderum, calor in inferioribus miſcet, generat, conſervat, generationes & corruptiones rerum moderatur. In aëre enim & elementis vi ſolis & ſyderum excitatus (cœlum ſiquidem & aſtra nec calida ſunt nec frigida) omnia in inferioribus, generat, fovet, conſervat, qua ratione etiam ſol & ho-

& homo generare hominem dicuntur, ſimulque illius vi fruges & ſtirpes, &c.

LX. Tertio conſideratur ut inſtrumentum formę in miſtis, & animæ in animatis: Vt formæ inſtrumentum in miſtis, conſervat ſyncryſin minore portione (qua alioquin magno ponderi æque prævalet) quod à forma rei dirigitur, ejuſque virtute valentius agit, & actionem quæ ſupra ſuæ naturæ ſpeciem eſt, perficit, qua etiam ratione in viventibus eſt primum & proximum animæ inſtrumentum, quo vitam operatur, perficit & conſervat. *Hoc pacto eſt inſtrumentum in claſſe cauſæ adjuvantis quæ virtute & intentione & fine cauſæ principalis agit.* Quod calor generat id facit virtute cum naturæ rerum generationem & corruptionem moderantis, & univerſi ſeriem conſervantis, tum vi formæ & animæ, ut agentium proximè particularium, *unde opus naturæ dicitur opus Intelligentiæ.*

LXI. Abſonum idcirco eſt dicere, calorem ob id eſſe divinum, quod majora perficiat quam vulgaris noſter igneus, cum & hic ſi encheiria uſurpetur Chymicorum, mirabilia patrare videatur, imò juxta Paracelſicam blaſphemiam, quam novatores plerique in venerandam antiquitatem nimium protervi, plus ſatis avide amplectuntur, homunculos procreet. Quid ſi arte directus machinetur talia, nunquid mirabiliora, dum à natura longe omnem artem exſuperante dirigatur, omni procul dubio efficiat?

LXII. His ita conſideratis facile eſt reſpondere ad Sennertiana magnam partem à Fernelio mutuata argumenta. Principio falſum eſt ſtirpes & herbas & ipſum

ipſum hominem & animantia à frigore hyberno non lædi, ſiquidem eodem invaleſcente calor innatus attenuatur, exſtinguitur, membra ſphacelantur, ſtirpes pereunt. Bene actum foret nobiſcum, ſi frigida tempeſtas & intempeſtivæ pruinæ, & glacies non evincerent demumque corrumperent fruges, nec enim tali cœlo & aëre vulgo tanta trepidanda & formidanda foret annonæ rerumque inopia & caritas.

LXIII. Quod verò elementari frigore invaleſcente aliæ tardius aliæ citius diſpereant ſtirpes & herbæ, pro ratione temperamenti, compagis & modi ſubſtantiæ, & cœli, ſoli, ſituſque contingit. Calidiora natura & ſolidiora, licet in aquis partim naſcentia, ut trifolium, treutha, naſturcium, aliaque alibi, velut arum, elleborus, plus caloris habentia, uti hyemalibus menſibus prodeunt & terram perrumpunt, vi ſolis & ſyderum innatum concitante & juvante, ita etiam longius ſæpè reſiſtunt frigori & tardius ſuperantur, licet demum ſuperentur. An non frigore hyemali omnia torpeſcunt, ſic tamen, ut licet ab eodem valdè hebetentur & flacceſcant, non tamen ad unum omnia moriantur, & innato calore aliqua conſerventur, ut videre eſt apud extremum ſeptentrionem vulpeculas & urſos albicantes aliaque ſupervivere. Quod maxima pars immodico frigore pereat, id ſane fit, quod contrarietate ſua calorem innatum demum ſuperet & exſtinguat, qui ſi *cæleſtis aut alterius originis nec ejuſdem cum illo generis foret, nequaquam & nullo modo ab eodem pateretur, quod juxta doctrinam Sennerti contraria in ſe mutuo agentia oporteat eſſe ejuſdem generis, alioquin nulla res per hyemem afficeretur aut periret.*

LXV. Ve-

LXV. Verum enimvero quemadmodum calor, prout eſt formæ vel animæ inſtrumentum, majora ſuæ ſpeciei & naturæ virtute efficit, idque ob influxum virtutis ab efficiente proxima principali & concurſum directionis univerſalis naturæ, ſic quoque in ſtirpibus & animantibus, quantumvis viribus & quantitate per ſe minor frigore externo, majori & ſæpe efficaciſſimo, iiſdem tamen munitus & adjutus cauſis diutius reſiſtit, nec ſemper ſuccumbit, aut confeſtim à majore & horridiore frigore externo univerſim opprimitur. Hoc pacto ſtirpes vi cœleſti calorem excitante, tum externum tum innatum rerum incitante; & propria forma & ſubſtantiæ modo innatum dirigente per hyemem non ſtatim pereunt, aliæque aliis diutius durant & perdurant, & piſces in aquis ſubſtantiæ frigidioris, iiſdem cum univerſalis tum particularis naturæ auxiliis, fulti & roborati modici caloris virtuoſo effectu vitam degunt.

LXVI. Atque ut à contrariis unius generis lædimur, ita à ſimilibus ejuſdem generis conſervamur, ſic veluti à contrario frigore elementari, herbæ, ſtirpes & alia complura pereunt, ita à calore elementari conſervantur, eo ipſo quod hic innatum ſuſcitet, foveat, conſervetque. Id videre eſt in roremarino, arbore mali punici aliiſque rebus, in hypocauſtis & locis elementari calore imbutis, per hyemem contra frigoris injurias defenſis & conſervatis. Neque tantum foveri, ſed talibus in locis per id tempus nonnulla ſuccreſcere obſerves. Non alia ratione animalia torpida per hyemem in terræ latibulis degentia & ſemimortua (quales ſunt ranæ) ſi in aquam mederate calidam projiciantur, aut calidis exponantur

tur locis, ad ſeſe redeunt, & nova quaſi vita animantur, vireſque & motum recuperant. Prolixè hic evagari non eſt opus. *Calor elementaris accendit nativum & concitat febrem. idem innatus læditur & perimitur quoque à frigore, frigida intemperies curatur calore elementari, calida frigidis. Contraria ſunt unius generis*, juxta D.S.&c.

LXVII. Cæterum robuſtiſſimum arbitratur argumentum eſſe, quod cum Severino Dano aliiſque Paracelſicis ex Ariſtot. lib. 2. de generat. animal. c. 3. mutuatur Clariſſ. Sennertus, ubi inquit Philoſophus. *Ineſt in ſemine omnium, quod facit ut fæcunda ſint ſemina, videlicet quod calidum vocamus. Idque non ignis non talis aliqua facultas, ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur, & natura quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondens elemento ſtellarum. Et hunc calorem inquit paulo poſt, neque ignem eſſe neque ab igne originem ducere.*

LXVIII. Hæc Philoſophi verba ad vivum reſecare, & hunc ſpiritum penitus introſpicere operæ pretium fuerit. Ille ſpiritus, (qui & calidum ab Ariſtotele vocatur, & Philoſophis frequenter pro uno venit) eſt ex eorum numero qui ſunt inſiti vel influentes, quorum illi ab his nutriuntur & foventur, quamobrem unius ſint naturæ. Influentes generantur ex ſanguinis tenuiſſima & ſinceriſſima portione, & in his vitalis juxta D. Sennertum ex naturali magis elaborato, in ſiniſtro cordis ventriculo, & aëre per inſpirationem attracto, qui dein animalis materia & fomentum eſt. Ex his ſpiritibus & ſanguine fit ſemen in teſtibus. Spiritus ille priuſquam pertingeret ad cor, ibidemque elaboraretur, non habebat

vim inſtrumentaliter vivificandi, neque idem antequam excoleretur & inſigneretur, alia nova ad perficiendum ſenſum & motum virtute in cerebro, commodum erat animæ ad ſenſum motumque inſtrumentum, neque fit generativus niſi genitali facultate imbuatur in teſtibus. Quocirca ille qui eſt in ſemine ſpiritus, virtutem ſuam non habebat à calore innato, quatenus eſt quinteſſentialis, aut propria quadam forma (uti vult Clariſſ. Sennertus) præditus, & forinſecus accedit, rebuſque eſt connatus elementatis & elementis, ſed vitalem in Corde, animalem in Cerebro, naturalem in Hepate accepit; ſpiritus illi in ſemine conjuncti, ſubſtantiam perficiunt diverſam quidem ab igne & ignea natura, quatenus ignis eſt urens, non tamen prorſus diverſam ab elementis, vel corpore ab elementis per miſtionem genito, ſiquidem ex limpidiore ſanguinis portione geniti, & in primariis naturæ organis elaborati, & nova virtute nobilitati, ac demum cum humidiore magiſque corporea ſeminis ex ſanguine nati portione undequaque miſti & uniti in teſtibus vim generativam acquirunt, quod imbecilles & frigidos maleque diſpoſitos teſtes habentes, quos male calceatos vocant, & exteſticulati non generent. *Neque enim ſemina nobis vel rebus aliis connata ſunt, ſed vis eadem præparandi & generandi inſita eſt. Idcirco ſunt teſtes, ut nova prioribus exhauſtis ſemina, ex materia convenienti generare poſſint, neque ſemen generat ſemen per propagationem ſua formæ univocam, ſed ex materia convenienti generatur in teſtibus, ut ſanguis in epate & chylus in ventriculo.*

LXIX. Ex quibus facillime elucet, quomodo ſit intelli-

intelligendum quando dicitur in ſemine eſſe corpus elementis nobilius. Spiritus in nobilioribus animæ organis, ſublimiore quam à puris accepere elementis per variam culturam, & recuſionem, & elaborationem, virtute donati, talique facultate ornati, ut animæ ad vivificandum, ſentiendum, movendum, aliaſque eminentiores actiones edendum, ceu commoda inſtrumenta inſervire poſſint, dicuntur & prędicantur eſſe non ignis; quare? quia ab igne non eſt illa, quam poſſident, virtus, ſed in commemoratis hanc animæ organis acquiſivere, id quod vel hac probatur ratione, quod eadem vel imbecillia, vel intemperata, aut commodo objecto & materia deſtituta, ad dictas actiones eos ineptos producant. Ex quo vanitas iſtius opinionis apparet, qua ſemina & ſpiritus & calidum innatum, dicuntur ab initio ſic concreata eſſe nobis, ut ſe ipſos actu propagant & non generentur ex materia ſic elaborata à natura ad hoc factis organis, ut ex potentia in actum reducantur. Materialiter ex Elementis ortos eſſe ſpiritus ille neget, qui cibos ex iiſdem (quod tamen ſuperius probatum eſt) comparatos & ſuppeditatos, qui ex his chylum & ſanguinem, & ex hujus tenuioris portione & aëre per varias in dictis organis mutationes & impreſſiones generari ſpiritus, contra veritatem maniſeſtiſſimam, imo ſua ipſius dogmata & ſcripta, perneget. Spiritus vitales ex ſanguinis tenuiſſima & limpidiſſima portione & ex attracto aëre generari, Clariſſ. Senn. in phyſ. lib. VIII. cap. II. docet.

Quandoquidem in teſtibus hi ſpiritus conjuncti, & ſeminali humori undequaque uniti, unum corpus conſtituunt, ibidemque nova ac tali virtute in-

 ſtruun-

ſtruuntur, ut fiant organa apta animæ ad generationem perficiendam, ab Ariſt. prædicatur in ſemine eſſe aliquid, quod elementarem conditionem excedat, idque non hanc ob cauſam, quod illud ſecundum omnes ſui partes non ſit origine vel materialiter ex elementis, ſed quod per formas elementares, aut qualitatem pure igneam non perficiat ſuas operationes; ſed varia mutatione in organis naturæ principalioribus eam acquiſiverit vim quæ elementorum conditionem ſuperet, quaque vi aſtris & cœlo analogum fiat, & proportione elemento ſtellarum reſpondeat.

LXX. Spiritus & calor nativus in ſemine, directus ab anima, propter opera quæ præſtat in generando, conformando, vivificando, reſpondet cœlo & ſtellarum influentiis, generationem & vivificationem inferiorum in ſublunaribus moderantium. Quemadmodum ſol vivificat & generat univerſali virtute & vi naturæ ſuperioris (pendent enim, inquit ſubtiliſſimus Scaliger, hæc inferiora à ſuperioribus, & moventur quia illa moventur; imo non moveretur rota figuli, niſi cœlum moveretur, ut vulgo dicitur) ita calor nativus directus ab anima, generat, vivificat, conſervat, qua ratione in ſemine dicitur aliquid ineſſe, quod proportione elemento ſtellarum reſpondeat. Similis hoc pacto eſt calor, non idem, neque à ſimilitudine ad identitatem valet conſequentia, ut ideo minime dicendus ſit cœleſtis, aut eſſentia & ſpecie ab elementari diverſus. Quod vero innatam iſtam vim, ex prima quadam ſeminum rebus omnibus connatorum origine ſpiritus ceu calor, ut corpus aliquod ab elementis diverſum non habeat,

beat, adeo verum eſt, ut opera calore elementari majora nunquam edat niſi ab anima vel forma ſuperiore directus, quin imo ideo neceſſum habuerit Clariſſ. Sennertus lib. v. Inſtit. c. 2. ei peculiarem aſſuere & comminiſci formam, quæ à forma rei vitalis in eo generetur, & hæc efficiat, quæ calori & iſti ſpiritui adſcribi nequeunt. Atqui quam hæc aloga ſunt? Si ſpiritus & calor per peculiarem hæc poſſident formam, quid opus materiam ipſis diverſam, & aliam ab elementis comminiſci originem, à qua & per quam hæc inſit virtus: Si calor & ſpiritus proxima ſunt animæ inſtrumenta, qua neceſſitate illis affingatur propria forma per quam ſeipſis ſuperiora efficiant? nugæ Paracelſiſtarum.

FINIS.

Operæ pretium duxi Clariſſ. viri Domini Antonii Guntheri Billichii Med. Licent. Aſſertiones elegantiſſimas de tribus Chymicorum principiis, quas eruditiſſimæ ſuæ de conſtitutione Spagyrices exercitationi, quondam Helmæſteti in Academiâ Iuliâ ventilatæ & propugnatæ, ſubjecit, geminæ meæ de Elementis & rerum principiis materialibus Diſputationi annectere.

Aſſert. 1. *NOn omnia corpora mixta poſſunt reſolvi in Mercurium ſeu liquorem; ſulphur ſive oleum & ſalem.*

2. *Certe nullum minerale in hæc tria reſolvitur.*

3. *Sola cum animalibus vegetabilia in illa tria per Anatomen abeunt: quanquam inter hæc ipſa quædam ſint, quæ vel penitus in illa tria non reſolvantur; vel ut in liquorem vel oleum abeant, minime tamen ſalſeſcant.*

4. *Vt vel hac de cauſa in reſolutione ſpagyrica parum auxilii ſit ſpagyricis repoſitum ad demonſtrandum hoc, quod omnia corpora mixta illis tribus conſtent.*

5. *Quin potius hujus contradictoriam viva artis apodixi liceat adſtruere.*

6. *Itaque pro principiis corporum haberi non poſſunt illa tria.*

7. *Idque ob hanc cauſam amplius, quod conſtent ex ſe ipſis mutuo.*

8. *Quæque præſupponant elementa, ex quibus orta ſint ipſa.*

9. *Vnde ridiculum porro ſit, velle ex illis tribus ipſius etjam cœli fabricam conſtituere.*

10. *Inſaniæ verò proximum, negare, ea propriè loquendo eſſe corpora.*

11. *Hac de illis in genere: in ſpecie ſtatuo: Characterem Mercurii apodicticum minimè gentium eſſe volabilitatem.*

12. *Neque ſulphuris eſſe inflammabi litatem.*

13. *Neque ſalis, incinerationem.*

14. *Neque ſal eſt primum principium ſaporum, evacuandi, detergendi.*

15. *Ac habet quidem omnis ſal potentiam coagulandi eamque tam activam, quam paſſivam: Non tamen coagulationis primum principium ſal eſt, ſive paſſivum, ſive activum, intelligas.*

16. *Neque ſulphur* πρῶτον δεκλικὸν *eſt odorum.*

17. *Neque Mercurium primum coloratum.*

18. *Neque omnis liquor, acidus.*

19. *Neque ullum oleum Chymicum dulce.*

20. *Conſiſtentiam, quam ſulphuri dant & Mercurio, eam alicubi utrique adimunt ipſi.*

21. *Nimiſque miſerabiliter functiones animæ debitas miſerabilibus iſtis principiis ſuis addicunt.*

22. *Cumque tam ruinoſo tibicini innitantur illa tria: fieri utique nequit, quin quoties eadem fiunt medium demonſtrationis: toties res redeat ad id quod in principio petebatur, & turpis committatur nugatio.*

23. *Vſque adeo, ut qui illis tribus principiorum familiam augent, videantur mihi entia ſine neceſſitate multiplicare.*

24. *Hæ ſunt meæ de tribus illis Chymicorum principiorum adſertiones: ſuperſtructæ invictis Hypotheſibus; quæ non tantum in ipſa Phyſica & Chymia, verum etiam ipſorummet Chymicorum Paracelſi, Quercetani, Beguini, & eorum, qui cum iis colludunt, ſcriptis ſunt ſolidiſſime fundatæ, adeo ut contra Chymicos, ex ipſis Chymicis, Chymicorum principiorum vanitatem liceat redarguere.*

De paradoxis & erroribus novæ Sectæ Sennerto-Paracelſicæ

DISPVTATIO NONA,

Continens ſolidam refutationem ſophiſmorum & abſterſionem calumniarum quas adverſus proximè præcedentem de Calido innato diſputationem, Clariſ. D.Daniel Sennertus Acad. Wittenberg. profeſſor peculiari libro, cujus titulus eſt, Tractatus phyſico medicus de Calido innato, effudit, & nomine cujuſdam Iohannis Sperlingen perſonatas, in publicum extruſit,

QVAM SVB PRÆSIDIO

IOHANNIS FREITAGII M. D.

& in celeberrima Illuſtrium Groningæ & Omlandiæ Ordinum Academiâ ejuſdem facultatis Profeſſoris P.

Defendit

CONRADVS WALTHERVS

Hamburg. Med. cand.

Primò proponemus D. Sennerti opiniones de Calido innato.

THESIS I.

ILle per Calidum innatum lib. 1. inſtit. c. 5. ait non intelligi nudam qualitatem, ſed qualitatem cum ſubjecto, ſeu concretum ex ſubjecto & qualitate, corpus ſcilicet calidum & humi-

humidum; ſeque per Calidum innatum duo comprehendere; primò materiam ſeu ſubjectum, cui calor ineſt, deinde qualitatem, à cujus prædominio ſubjectum denominatur. Ex hoc ſtatim quærit, quænam ſit ſubſtantia illa, cui caliditas ineſt, & quæ à calore nomen acceperit, unde originem habeat, & quis ſit ejus uſus. In hoc enim putat conſiſtere, ut recte cognoſcamus Calidi nativi naturam.

II. Hinc porrò quærit, an ſpiritus inſitus & humidum primogenium ad Calidi nativi conſtitutionem æquè pertineant. De ſpiritu inſito ſtatuit, illum vel eundem eſſe cum Calido innato, aut certè ad ejus eſſentiam pertinere. Et ſi non ſolus ſit calidum innatum, certè præcipuam ejus eſſe partem, cui omnes animi actiones, ut præcipuo animæ inſtrumento acceptæ ferendæ ſint.

III. De humido primò ponit ſententiam Fernelii, ſtatuentis calidum innatum rectè definiri, quod ſit humidum primigenium inſito ſpiritu & calore undique perfuſum. Vnde ipſe D. Sennertus ſtatuit arctiſſimo nexu ipſi eſſe connexum, nec facilè ſeparari: an humidum pars ſit calidi innati ulterius non definit.

Illud Calidum innatum ait eſſe animæ ſubjectum. Calidum verò & humidum innatum ita ſtatuit animæ ſubjectum, ut humidum ſit mediatum, calidum verò ſeu ſpiritus immediatum & proximum. Illud corporis partem & animæ proprium inſtrumentum nominat.

IV. De hoc Calido quærit, an ſit elementaris naturæ, an verò alterius. Non eſſe elementaris naturæ ait alios ſtatuere propter has cauſas.

 1. Quod

1. Quod animæ potentiæ nobilius magiſque divinum participent corpus quam ſint elementa, ut latius videre eſt apud Ariſtotelem lib. 2. de generat. animal. cap. 3. id verò nominat ſpiritum, qui non ſit ignis, &c.

2. Quod nobilior fo. nobilius requirat ſubjectum & nobilius inſtrumentum : caliditatem non ſolam eſſe inſtrumentum animæ, ſed totum illud corpus, quod calidi & ſpiritus inſiti nomine venit, & non ſolum calore, ſed & aliis nobilioribus qualitatibus inſtructum. Quare uti formæ viventium elevantur ſupra elementarem conditionem, ita etiam inſtrumentum ejus proximum. Rationes hujus effati addit alias, quarum prima eſt, quod calidum innatum dominetur in corporibus, in quibus excellit frigus. 2. quod in media glacie illud incolume maneat. 3. quod ſympathiæ & antipathiæ ab hoc ſpiritu inſito proficiſcuntur.

3. Has virtutes & actiones, quæ exercentur à calido innato, etiam non proficiſci ab anima, neque quatenus id animæ inſtrumentum ſit, neque provenire ab elementis ex hoc demonſtrat, quod nobiles actiones longè elementorum ſortem excedentes etjam in plantis & animalibus demortuis reperiantur, quales ſunt vis purgandi, venenis reſiſtendi, partes peculiares afficiendi, quæ plantis inſint per ſpiritum inſitum & humidum radicale. Originem hujus calidi innati non ex elementis eſſe, ſed à creatore cum ipſis rerum ſeminibus, elementis inditum. Verum videamus conſtantiam Sennertianam: Hanc ſententiam ita proponit, ut ſi defendere non poſſit, alia ſit arripienda. Vnde inquit ibidem, ſi concedatur corpus

pus illud calidi nativi eſſe elementare, omnino ſtatuendum erit habere ſuam eſſentiam à peculiari forma, quæ ſit nobilior elementorum formis, unde actiones nobiliſſimæ proficiſcantur: qua de re ut ulterius videamus, relegat nos in cap. 5. lib. 1. inſtit. ad lib. 5. part. 1. cap. 2.

V. Antequam autem eò perveniamus advertendum, quod D. Sennertus lib. 1. inſtit. c. 5. concedat, materiam calidi innati poſſe eſſe elementarem, ſi informetur forma, à qua qualitates & operationes, quæ elementorum excedant conditionem, producantur: & quod calidum innatum in prima ejus opinione nulla forma præditum fuerit, à qua iſtæ operationes & qualitates elementorum naturam excedentes promanaverint, quodque fuerit unum non per formam, ſine qua mirabiles illas actiones edere potuerit ex propria materiæ indole.

VI. Sed adeamus nunc allegatum locum lib. 5. ubi ſtatuit, nobiliſſimas illas, quas calido innato aſſignabat, operationes ei non ineſſe, uti conſtat ex ſpirituoſa & humoroſa ſubſtantia primigenia, & calidum innatum dicitur, ſed quatenus eſt ſubjectum formæ occultarum qualitatum auctori. Cum itaque in calido nativo illis ſunt qualitates tam manifeſtæ quàm occultæ elementorum conditionē excedentes, quæritur unde hæ ſint. Reſpondetur à forma: quod enim res vivit, id habet à calore inſtrumentaliter, ab anima principaliter, uti ipſe Ganymedes adſtruit in tract. de calid. innat. fol. 59. Quod in mortua etiam manent & ſint occultæ qualitates, id habent à forma ſecundaria Sennertiana, de qua lib. 5. inſtit. p. 1. c. 2. agit.

VII. Cæ-

VII. Cæterum in originem formæ, qua informatum calidum innatum edit operationes elementorum conditionem excedentes, inquirendum ſibi eſſe arbitratur D. Sennertus lib. 5. inſtit. p. 1. c. 2. & cumprimis in originem occultarum qualitatum, quas antea calori innato adſcribebat, & non tali formæ. Originem occultarum qualitatum adſcribit formis, quæ illi ſunt in duplici differentia: aliæ enim ſunt rerum non viventium ſpecificæ; aliæ ſunt viventium, ſed non ſpecificæ, quæ in viventibus ad ſpecificas ſeu animas ſe habent ut materia diſpoſita, in quâ illa commodè recipi, & per quam anima actiones ſuas exercere poſſit. *Requirit qualibet forma* (inquit loco citato) *οἰκείαν ὕλην ſeu propriam & adæquatam materiam, quæ non niſi uni formæ ſubjicitur, & cum qua ſimul eſt, & ſimul interit.* Forma illa animæ ſubdita quamdiu (inquit idem) cum anima eſt, rationem quaſi materiæ habet, verum animâ decedente remanet aliquamdiu & formæ officio fungi incipit, ac inprimis cauſa eſt facultatum & operationum, quæ in pluribus rebus non amplius viventibus deprehenduntur, & tamen ex elementorum qualitatibus vel formis provenire nequeunt: hanc res retinent in minutiſſimas quantitates redactæ.

VIII. Has formas, non verò animas plantarum & animalium occultarum facultatum & actionum cauſam eſſe ſcribit. Harum formarum in viventibus ſeu plantis & animalibus ſubjectum eſſe ait ſpiritum inſitum humidumque quod ſymphytum & radicale appellatur, calidumque nativum ſeu balſamum. Ad hanc formam, quæ fuit in Calido innato nobilium actionum & occultarum facultatum auctor, & ob

quam

quam cœlo dicatur analogum Calidum innatũ nos relegat D. Sennertus lib. 1. inſtit. cap. 5. Proinde anima non eſt occultarum qualitatum auctor (uti virtutis purgantis in Rhabarbaro) in plantis & animalibus, ſed hæc forma, quæ defuncta anima venit ad officium formale, & hactenus fuit diſpoſitio materiæ, quæ mediante anima fuit in materia, & per quam actiones ſuas exercuit.

IX. In hujus formæ originem deinde idem inquirit D. Sennertus, & duas generationes ejus ponit, ambiguus utra harum producatur. Præclari ſanè & conſtantes novarum ſcientiarum magiſtri & veritatis antiquæ reformatores. Primam educit è ſacro codice, aitque formas has, cum ipſis ſpecificis animatorum formis, quæ ſcilicet ſine his nec eſſe, nec ſubſiſtere, nec actiones ſuas exſequi poſſunt, fuiſſe creatas, & proinde cum ipſa cujuſlibet rei anima propagare, & remanere etiam anima decedente, ut finem generalem præſtent, & homini in medicina uſum exhibeant. Secundus generationis modus eſt, quod anima, quæ ſui domicilii ſit architecta, ſubjectamque materiam ſibi conveniente modo diſponit & ordinat, aliam quoque formam inferiorem producere poſſit, quæ ſibi ſint inſtar ſubjectæ materiæ: quo modo multas producit in animatorum corporibus formas ſubſtantiales, quæ non ſunt ex elementis, quales ſunt lactis, ſanguinis, vini &c.

Tempeſtivum eſt, nunc illud opinionum novarum chaos examinare. Calidum innatum non eſt res ſimplex ſed compoſitum quid, & juxta D. Sennertum conſtat ex qualitate ſeu calore, & ſubjecto, cui iſte calor ineſt, & à cujus prædominio ſubjectum nomi-

nominatur. Subjectum vult eſſe ſpiritum inſitum & humidum radicale. Fernelius, quem citat, tribus etjam rebus, videlicet humido primigenio, inſito ſpiritu & calore, calidum innatum contineri, ejuſque eſſentiam abſolvi ſtatuit.

XI. Vt naturam calidi innati rectè intelligamus, hæc tria nobis erunt examinanda. Has diverſæ eſſentiæ res, ex quibus conſtituitur calidum, niſi quis ſeorſim examinet, de toto judicium perhibere nequit, cujus videlicet proſapiæ & originis ſit. Si enim illæ ſunt elementares omnes, vel una aut duæ, ſanè aut totum vel integrè alterius quàm elemētaris eſſentiæ eſſe nequit. Quod igitur eſt in ſimplicibus, id neceſſariò etiam eſt in compoſito, ut & ipſe Ganymedes fatetur fol. 5. tract. de calid. innat. Qui igitur aliquid negat ineſſe toti, quod ineſt ei per partem aliquam, eique per hanc neceſſariò ineſt, falſarius eſt, & qui aliquid affirmat de toto, quod ineſt ei per partem, verè & cum ratione agit.

XII. Res, ex quibus calidum innatum conſtat, ſunt calor, ſpiritus, & humidum. Primò agemus de calore, ut eſt qualitas, à cujus, ut inquit D. Sennertus, lib. 1. inſt. c. 5. prædominio denominationem habet Calidum innatum. Hic quæritur, an is ſit elementaris nec nè. Ipſe Ganymedes ex D. Sennerto reſpondet tract. de Calid. innat. fol. 18. calorem ut accidens non differre à calore, ſed ejuſdem eſſe ſpeciei. Ipſe D. Sennertus lib. 1. de febrib. cap. 1. diſtinguit inter calidum nativum, ut eſt ſubſtantia, & caliditatem, à qua prædominante in animalibus ſpiritui inſito nomen indiderunt. Illud vel cœleſte & nobilioris quàm elementa naturæ eſſe, vel eſſentiam ſuam à peculiari forma

forma habere, à qua nobiles proveniant actiones, ſtatuit: Caliditatem verò illam, quatenus eſt qualitas inſidens ſpiritui inſito, à caliditate præternaturali (qua efficitur febris, quæ definitur caloris nativi in igneum converſio, ſeu interprete D. Sennerto, calida intemperies & exceſſus caloris) non differre ſpecie, quod ex eo patere concedit, quod uterque ab eodem contrario remittatur. Febris formalitatem in eo conſiſtere ait, quod calor præternaturalis gradus ulterioris caloris addat nativo, & ſic cum illo in unam calidam intemperiem coaleſcat, ut ab utroque una fiat actio, ſed vitioſa. Cum enim (inquit) calor ille nimis intenſus ſit, coquit quidem & alia agit, ſed ob acrimoniam & exceſſum, vitioſe. Et planius de caliditate hac loquitur, cum ibidem fol. 7. ait. Tota ex utroque calore conflata temperies ſeu caliditas illa corporis ex naturali & præternaturali caliditate conſtans, & in unam ſimplicem formam redacta, & à gradu caloris ſupervenientis formalitatem ſuam habens, ſeu potius illa præter naturam diſpoſitio, qua hac intemperie conſtituitur, & ob quam corpus ad naturales actiones obeundas ineptum redditur, febris dicitur. Vt enim cor & reliqua membra omnia actiones ſuas exerceant, in ſimilaribus, calor quidam actualis & vegetus, ſeu temperies quædam calida, *ob quam corpus actu calidũ redditur*, requiritur; atque illa calida temperies pendet ex temperie partibus ſingulis inſita, & calore cum ſpiritu vitali in omnia membra influente. *Et ob hunc calorem actualem omnes corporis partes vegetæ & ad actiones obeundas benè diſpoſitæ eſſe dicuntur, ſi ille ſe rectè habeat, & neq; deficiat, neque excedat*: ſi vero hoc omnino corporis temperamentum

ramentum nimis calidum evadat, & caliditas illa a-ctualis intendatur ob calidum è corde influens, febris accenſa in corde dicitur.

XIII. Ex his patet quod caliditas ſeu calor, quæ eſt qualitas inſidens & propria Calido innato & ſpiritui inſito, à qua prædominante nomen habere dicitur D. Sennerto, lib. 1. inſtit. c. 5. ſit elementaris naturæ & cum elementari calore ſpecie una, quod ab illo & intendatur & gradus plures recipiens unus idemque ſpecie maneat calor, & quod ejuſdem teſtimonio uterque ille calor ſeu utraque caliditas ab uno eodemque contrario vincatur & remittatur; quodque per illum calorem, quando eſt moderatus & in convenienti naturæ temperie conſtitutus, cordis & omnium corporis membrorum actiones perficiuntur; cum verò immoderatus ſit, eaſdem corrumpit & vitioſe perficit. Quas enim actiones rectè facit cum eſt naturaliter conſtitutus, eas etiam corrumpit, cum excedit vel deficit à naturali ſtatu: atqui in febri corrumpit actiones animales, naturales & vitales: ergo & eaſdem rectè habens perficit, quod & ex illo probatur, quod remediis elementari calori inſtructis ſi imbecillis ſit juvetur, & ad actiones ſui muneris perficiendas reſtauretur. Calor enim debilis debiliter coquens juvatur medicamentis calore elementari inſtructis, ut & ipſe reficiatur & actionem melius perficiat: ſi verò gradu ulteriore accenſus ſit & intemperatus elementari frigore valentibus corrigitur remediis, & ad actiones edendum illæſas diſponitur.

Demonſtratum itaque eſt illam caliditatem ſeu qualitatem, ex cujus, dicente D. Sennerto in inſtit.

lib.

lib.1.c.5.cum ſubjecto concretione Calidum innatum conſtituitur, & quæ, teſte ibidem D.Sennerto & Fernelio allegato, cum humido primigenio & inſito ſpiritu & calore calidi innati eſſentiam abſolvit, eſſe elementaris naturæ, & hac ratione calidum innatum eſſe elementaris conditionis.

Ad hæc argumenta in diſputatione meâ de Calido innato theſ.24.25.26.27.28.29.& 30. propoſita, nihil reſpondet in tractatu ſuo Ganymedes Sennertianus vel per ipſum ipſe D. Sennertus, quem de calido innato contra me abortivit, quam quod dicat fol.2. in hoc eſſe nervum controverſiæ, an calor elementaris ut qualitas ſpecie differat à Calido innato, quatenus eſt ſubſtantia, quod affirmat, quia omnis ſubſtantia ſpecie differat ab accidente. Item in hoc controverſiæ cardinem verti, an calidum innatum pro ſubſtantia viventibus corporibus propria ſumptum, cum ſubſtantiis elementaribus, & in ſpecie cum ſubſtantia ignis ſpecie conveniat.

XV. Immanem hic agit ſycophantam, Et illud quod controverſum non eſt pro controverſo introducit, ac ſi ego ſtatuerim, accidens non differre à ſubſtantia, & calidi innati ſubſtantiam ſpecie non differre ab ignis ſubſtantia. Vbi hæc à me dicta vel ſcripta ſunt, quæ mihi affingis ſycophanta & mutilate magiſter? Specie idem eſſe cum ſubſtantia ignis nunquam dixi, materialiter verò convenire cum ſubſtantiis elementaribus demonſtravi.

XVI. Illud in diſputatione meâ de Calido innato quæſivi atque urſi, an non tale ſit totum, quales ſint res ex quibus conſtituitur, & analyſi facta totius demonſtravi, quamlibet rem, & partem conſtituentem

 tem

tem Calidum nativum, eſſe elementaris conditionis. Initium examinis feci à caliditate ſeu illa qualitate, ex cujus cum ſpiritu innato vel ſolo, vel, uti placet, cum humido concretione cõſtituitur eſſentia Calidi innati, & hoc pacto primò ratione ſuæ qualitatis, quæ ad ejus conſtitutionem concurrit, eſſe elementaris conditionis demonſtravi, ut & hic paulò ante & in allegatis meis de Calido innato theſibus ſatis ſuperque convici.

XVII. Verùm ipſe Ganymedes in tract. de calid. innat. contra me edito fol. 23, meam adducit objectionem, eamque refutare conatur & ſic format. Quicunque calor elementari calore accenditur & frigore remittitur ac perimitur, ille elementaris eſt naturæ: Calor animalis elementari calore accenditur & frigore remittitur: ergo &c. Hic reſpondet ad minorem primò: id quod in febribus accenditur non eſſe præciſe ſumptum calidum innatum; quia licet omnia membra calore elementari cocta & recocta videantur, tamen non omne, quod in illis ſit, caloris elementaris ſit ſubjectum, niſi quis ipſam etiam animam rationalem (vide ſignati & mutilati rabioſam barbariem) velit accendi & comburi. Caliditatem elemẽtarem manere in ſuo igne, nec quamvis corporis ſubſtantiam accendere, quia receptivum recipit ad modum ſuæ receptivitatis: hactenus ille.

XVIII. Cui reſpondeo, quod D. Sennertus locis allegatis ſtatuat, calorem noſtrum, qui in febribus accenditur, eſſe accidens, & habere pro ſubjecto ſpiritum inſitum, qui ab ejus prædominio & concretione vocetur calidum innatum. Accenditur itaque

calidum

calidum innatum juxta propriam ſuam caliditatem in febribus, & ſanè ſi prædominetur illa caliditas in eo naturaliter, & ab eo calidi rationem & nomen habeat, fieri non poteſt, quin eo intenſiore facto plus æquo concaleſcat & una in fervorem igniculetur. Si in calido innatus ſpiritus dicatur Calidum innatum propter calorem, neceſſum eſt ut ipſe propter eundem ſit calidus: & quia caliditas in ſpiritu eſt tanquam accidens in ſubjecto immediate, dicente D. Sennerto, à quo naturaliter caleſcat, ab eo etiam intenſo præternaturaliter igneſcit. Ad alterum membrum minoris ubi dicitur, quod frigore perimatur calor nativus non reſpondet.

XIX. Sed ut rem ex veris veteris Philoſophiæ fundamentis examinemus & novatoribus falſitatis ſuæ defendendæ ſtudium demonſtremus accuratius, recipimus id, quod ipſe Ganymedes cum & pro ſuo D. Sennerto admittere cogitur, omnem calorem ſi pro accidente ſumatur eſſe ejuſdem ſpeciei, ut inquit in tract. de calid. innat. fol. 18.

Calor vero in calido innato eſt accidens, fatente D. Sennerto, & eſt elementaris naturæ, eodem dicente. Nullum accidens corporis eſt in peregrino & diverſi generis corpore: nullum accidens elementare poteſt habere ſubjectum immediatum, corpus, quod non ſit elementaris conditionis, quatenus illi hoc ineſt: ſiquidem accidens ineſt vel per generationem proxime à forma in ſubjecto, vel per generationem à ſuo ſimili in ſubjecto elementari, vel quatenus res calida ut miſtum conſtat parte ignea. Accidens enim idem numero non migrat de ſubjecto in ſubjectum, ſed dicente D. Sennerto lib. 5. inſtit. p. 1. c. 2. accidens

tranſfertur cum ſubjecto. Proindè ſi illa omnia pro ſuo more allatrare & cavillari velit, opponimus ipſi ſuam ipſiuſmet regulam, quam uſurpet Ganymedes ipſe in tract. de calid. innat.fol.101.Poſitis propriis ponuntur res ipſæ: Ex quo ſic argumentatur. Vbicunque datur proprium ignis, ibi etiam habetur ignis ipſe. Sed hic excipiet Ganymedes,relegabitque nos ad tract.de morb.ſubſt.quæſt.7.& dicet,in Calido innato non eſſe caliditatem de eſſentia Calidi innati; deinde caliditatem non eſſe in Calido innato,ſed in ſuo igne, ſeu potius minutiſſimis particulis igneis per totam innati calidi ſubſtantiam diſperſis.

XX. Vide,amice lector, quomodo ad adeò monſtroſas opiniones reducendum deſperatio cogat iſtum vitiligatorem rabioſum & bonarum diſciplinarum corruptorem. Primò enim ſi hoc verum ſit tum caliditas non ut nuda qualitas conſtitueret cum calido & humido, dicente D. Sennerto, unum ex qualitate & ſubjecto immediatè concretum. Si enim atomi igneæ ſunt, id quod calet in Calido innato,& non ipſum Calidum innatum qualitate calida,prout ipſi velut accidens ineſt, ſit calidum: calor etiam ut accidens non eſt in eo ut ſubjecto, nec cum ſubjecto ſpirituoſo in unam ſubſtantiam concretum eſt. Si verò hoc ipſi calidum eſt, Calidum innatum elementare corpus erit, quia calor elementaris nullibi eſt, niſi in elementari corpore ignem participante. Si verò hæc ipſa caliditate non eſt calidum, tum Calor innatus ſeu Calidum nativum erit ſine calore, quod eſt abſurdum. Sed tamen hoc vult Ganymedes: atqui hoc ipſo ſententiam D.Sennerti planè evertit. Dicit enim D.Sennertus expreſſe,quod Calidum

lidum innatum non ſit nuda qualitas, ſed qualitas cum ſubjecto, ſeu concretum ex qualitate & ſubjecto: denique in Calido innato eſſe duo, primò materiam ſeu ſubjectum, in quo ineſt calor, deinde qualitatem à cujus prædominio ſubjectum nominatur. Ergo in calido quatenus eſt ſubſtantia ex ſpiritu vel ſolo vel cum humido compoſito ineſt calor uti in ſubjecto, & non ineſt igni vel atomis igneis quatenus per ſubſtantiam calidi ſunt diſperſæ.

Deinde omne corpus quod non conſtat ex elementis, non eſt capax elementarium qualitatum, nec ejuſdem ſubjectum eſſe poteſt, ipſo calumniatore Ganymede teſte: Spiritus ille ſi non eſt elementaris naturæ, non eſt capax caloris elementaris: Et ſic ex calido elementari & ſpiritu non fieret Calidum innatum.

XXI. Præterea cum atomos igneas nominat, quæritur primò quid per atomos igneas intelligat. Vel enim dantur atomi igneæ, vel non dantur. Non dantur atomi igneæ, quia atomi ſpecie diverſæ ſunt ab elementis, ut ipſe Ganymedes aſſerit tract. de form. orig. fol. 410. Et ibidem fol. 218. Atomi (inquit ibi) ſunt corpora non elementaria, ſed impaſſibilia & intranſmutabilia: Tales verò non ſunt atomi igneæ: Ergo non dantur atomi corporum elementarium ut ſunt elementaria. Si verò per atomos cum D. Sennerto intelligat minimas elementorum particulas, quatenus concurrunt ad miſti corporis generationem, in eam parvitatem redactas, ut in miſtione ſe plurimum contingere, & ſuis in ſe invicem qualitatibus agentes ad unionem redigere queant, ut ſtatuit D. Sennertus in lib. de Galen. cum Chym. conſ.

 & diſſ.

& diſſ.fol.359. tum erunt & hic in Calido innato & ubicunque ſunt in corporibus, ut pars miſti corporis, non ut partes ignis diſperſæ per corpus Calidi innati, quemadmodum ſcintillæ in cineribus. Igneas enim particulas vel ullius elementi particulas in ullo corpore elementari integras nec miſtas, & quatenus ut non ſunt pars miſti corporis vel extra miſtionem reperiri, ita ut igneæ calfaciant, terreæ refrigerent, aqueæ humectent, abſurdorum abſurdiſſimum & in phantaſtarum cerebro recens natum commentum eſt. Sennertus verò nec taliter corpora conſtare ex atomis, nec atomos eſſe talia corpora, qualia dictis locis eas deſcribit Ganymedes, rotundè aſſerit in lib. de Galen, cum Chym. conſ.& diſſ.fol.349. atque ſic iterum pugnat cum præceptore, cujus defenſionem ſuſcepit.

Si enim igneę particulæ per Calidi innati ſubſtantiam diſperſæ calfacerent ſpiritum innatum, caliditas elementaris non eſſet ut accidens in ſpiritu inſito, illudque pro ſubjecto & materiâ haberet, ut à D. Sennerto pluribus locis ſupra citatis demonſtratum eſt. Et ſi calor ideò eſſet in ſpiritu, & ſic in toto corpore, quia id incaleſcat à particulis igneis ſeu atomis igneis, nullum animal vivere poſſet, quia elementari calore, uti elementaris eſt & à forma elementi regitur, nullum animal generari nec vivere poſſet, quod ignis teſte Ariſtotele & rectis veriſque Philoſophis nullum animal generat vel vivificat: calor verò licet origine igneus, ſi ab anima directionem accipiat, id præſtat. Quin imò ſi vivere poſſet homo, tamen perpetuò febricitaret, quia febris eſt calidi nativi in igneum converſio; ubi tamen nondum

dum purè ſit ignis, ſed gradus tantum quoſdam ignis naturæ viciniores vel ut magis ad igneam naturam intendatur, nativus acquirit. Et demum quod omnium monſtroſiſſimum eſt, homo calidus eſſet & incaleſceret velut fornax accenſo igne & hypocauſtum calefacto fornace, & vetularum ollæ minimis particulis ignis in cineribus deliteſcentibus repletæ.

XXIII. Ad ſecundum argumentum, quod ibi opponitur, videlicet quod ille calor, qui in febribus læditur, neceſſariò ſit elementaris, quia unus numero ſit cum febrili, reſpondet, ſpiritum inſitum ſeu Calidum innatum directè & per ſe non lædi. Verum iterum agit veteratorem: nam primò illa caliditas, quæ in ſpiritu eſt, & eſt elementaris & accenditur. Quæritur itaque an materia iſtius & ſubjectum caliditatis non accendatur, ut intemperatè caleſcat, quia illud, à cujus prædominio nominatur ſubjectum, ſit accenſum. Reſpondet, quod non: quin imò nec in hecticis humidum primigenium lędi. Da rationem: hic ſilet: ego proferam pro illo. Non patitur illis Paracelſicus ſpiritus & humidum primigenium, quia non eſt elementaris naturæ. Verum, mi mutilate magiſtelle, hæc eſt petitio principii: Quin & verum eſt ſpiritum illum & humidum primigenium eſſe elementaris naturæ, neque caliditatem elementarem in illo eſſe poſſe niſi ſint corpora elementaria: qualitas enim tranſit cum ſuo ſubjecto, nec alibi dabitur qualitas elementaris extra elementare corpus.

XXIV. Quod autem dicat humidum primigenium & Calidum innatum non pati per ſe ex calido illi inhærente, falſum eſt, quando totali exſtinctione Calidi innati mortem naturalē oboriri aſſerit in tract.

de Calid. innat. fol. 2. mortem verò violentam fieri manente illo calido, uti eſt ſpiritus & humidum primigenium. Quid eſt igitur quod conſumit, & ex quo tandem exſtinguitur calor? Nunquid actio ejus in humidum, unde & ipſe & ſpiritus ejus & conſequenter vita ſervatur, & demum abſumpto pabulo ipſe interit, idque naturaliter, ut in ſenibus? Senectus enim eſt ſiccitas ex conſumptione humidi innati, non alterius. Si enim humidum primigenium æquale maneret, homo nec ſeneſceret nec moreretur naturaliter. Idem verò humidum in hecticis à calore febrili violenter conſumitur, quod à naturali per ætates naturaliter.

XXV. Quis eſt iſte calor in humido qui hoc præſtat? Nunquid elementaris hærens in ſpiritu ut ſuo ſubjecto & materia propria juxta D. Sennertum? Qui calor ſi moderatus ſit, ut in ſanis, humidum ſuum naturæ ordine per ætates & moderatè conſumit: ſin vero, ut in febribus ardentibus & hecticis gradus ulteriores atque altiores aſſumat, ut igneus magis fiat, idem humidum exiguo temporis ſpatio conſumit (unde hectica) quod alias naturaliter illi multis annorum diſcurſibus ſuffeciſſet. In hectica itaque idem humidum conſumitur à calore præternaturali, quod per ætates à naturali. Vide hac de re D. Sennertum lib. 1. inſtit. c. 4. ubi idem mecum ſtatuit. Nec moramur hic novitios doctrinarum corruptores qui perfricta fronte negare non verentur calorem agere in humidum; undè & toti antiquitati totique medicorũ & philoſophorum ſcholę impudenter oppedunt. Namque eò ipſo calorem, ut cauſa eſt inſtrumentalis ad rerum generationem, miſtionem,

miſti

miſti conſervationem, coctionem, vitæ conſervationem concurrere, &c. impudentiſſime negant. Eorum verò ratio qua dicunt accidens non agere in ſubjectum proprium, intelligendum eſt de ſubjecto qualitatum primo: ita calor ignis non agit in ignẽ; in miſtis verò corporibus quæ mediante igne calor pro ſubjecto habet, coquit, generat, vivificat, miſti naturam conſervat, &c.

Quando verò ait, ſi velim ex eo colligere naturarum identitatem, hoc eſt, ſpiritum illum, cui ineſt calor elementaris, eſſe naturæ elementaris, me animam rationalem facere elementarem, ſanè Midas prodit auriculas. An ſit illius ſpiritus eſſentia æquè aliena ab elementis atque anima rationalis? An adeò illi æqualis, ut ſi dicamus, illum incaleſcere, pari ratione ſequi oporteat, animam poſſe incaleſcere? quales tandem ſunt eſſentiæ tui ſpiritus nihil elementaris habentes? an ſint tales eſſentiæ ſpirituales, quales deſcribit & aſſerit nobis D. Sennertus ex Quercetano, qui docet eſſentias & manes ex cinere herbarum leni adducto calore tanquam animas ex inferno velut divina virgula evocari? mirum eſt hoſce ſpiritus & quintas eſſentias calori elementari & relollaceæ qualitati tantùm parere & obſequi: ſed quales ſunt illi ſpiritus? Hi dicuntur teſte D. Sennerto, aſtra, ſemina, formæ; idque ſtultè, inſipidè & nugatorie: modò enim ſunt formæ incorporeæ, modò quinta corpora, modo eſſentiæ ſpirituales, quæ omnia Paracelſica moroſophorum ſunt commenta, de quibus plura in diſputatione priore de Calido innato.

XXVI. Quod verò ſpiritus inſitus per accidens non per ſe lædatur à calore elementari intenſo, unde

 anoma-

anomalia in ſubjectum inducatur, & Calidum innatum diſgregetur, id juxta eorum principia fieri nequit. Non enim pendit ipſis ratio eſſentiæ ſpiritualis Calidi innati à calore; quicquid agat calor, nihil nocet nec nocere poteſt illi ſpiritui ſuperelementari & eſſentiæ ſpirituali. Actiones enim illis ſunt inter contraria unius generis. Quin imo liberatus ille ſpiritus à corpore elementari & ejus relollaceis qualitatibus ſit ſui juris, & exiſtit manetque vel ut eſſentia & manes herbarum è cinere ſurgentes, vel ut forma (ſunt enim ſpiritus formæ illis) & anima ſcarabei in ſterquilinio obequitans, vel ut quintæ Chymicorum eſſentiæ à corporeis elementorum vinculis liberatæ, &c. Nugæ nugiſtarum (parcite mihi manes Ciceroniani) & Paracelſiſtarum. De qua re in ſequentibus latius.

XXVII. Ad argumentum meum, quo probatur & calorem, qui eſt in Calido innato, eſſe elementarem, & quod materia illa, in qua hæret, ſit neceſſario elementaris, quod nullum accidens velut calor in alienâ ſubſtantiâ & extra ſuum proprium ſubjectum, à quo dependet & generatur, eſſe poſſit; reſpondet, ſe negare πρῶτον δεκτικὸν caliditatis eſſe ſpiritum inſitum. Verum iſte mutilatus pro more ſuo mutilate & veteratorie reſpondet. Non enim dico ſpiritum inſitum eſſe illud πρῶτον δεκτικὸν, cui primò inſit ille calor, ſed ſpiritum inſitum neceſſariò conſtare ex tali corpore videlicet elementari, quod ſit primum ſubjectum caloris, cujus merito calor inſit ſpiritui & ſpiritus dicatur calidus, quia qualitas non migret de ſubjecto in ſubjectum, ſed cum ſuo ſubjecto tranſit, ideoque ſi adſignetur ſuo proprio & primo

mo ſubjecto, neceſſario ut inſit ſpiritui, & ex eo conſtet ſpiritus inſitus. Poſito itaque calore elementari, vel qualitate aliqua elementari, neceſſario ponatur corpus & ſubjectum elementare, cujus merito adeſt illa qualitas. Calorem autem quatenus eſt qualitas, à calore ſpecie non differre ipſe fatetur, quocirca ut elementatis ſit abundè ex his & aliis probatum eſt.

XXVIII. Sed porrò ibi inquit, caliditatem non eſſe de eſſentia calidi: contra verò cum in eſſentiam calidi inquirit D. Sennertus loco citato de caliditate cum ſpiritu coalita non dubitat, an ſit de eſſentia calidi nativi, atque ideo calorem naturalem dici ſpiritum, ait. Verum an nudus ſpiritus ſine ullo calore conſtituat Calidi innati eſſentiam, in quæſtionem hic venit. Ganymedes Sennertianus vult ſpiritum inſitum etiam ſine caliditate, à qua nomen habet, ſolum perficere Calidum innatum & dici Calidum innatum. Contrarium docet D. Sennertus, qui modò Ganymedi ſuo, modò ſibi ipſi contrarius eſt, & aliud ſtans, aliud ſedens aniliter de ſuo calore affirmat. Lib. 1. inſtit. c. 5. ubi in eſſentiam Calidi innati inquirit, ait, per Calidum innatum duo comprehendimus, primò materiam ſeu ſubjectum, cui ineſt calor, deinde qualitatem, à cujus prædominio ſubjectum denominatur. Vult itaque Calidum innatum conſtare ex ſubſtantia & caliditate, quia non ſit nuda qualitas, ut ibidem inquit. Ex hoc quærit, quænam ſit illa ſubſtantia, cui caliditas ineſt, & quæ à calore nomen accepit? An ſit humidum primigenium & ſpiritus inſitus? Hic ubi reſpondere debebat, quænam illorum ſit propriè illud ſubjectum, cui inſit caliditas

liditas illa, ait, videndum eſſe, an ſpiritus inſitus & humidum primigenium ad Calidi nativi conſtitutionem & naturam pertineant.

XXIX. Sed ſufficit ipſum dixiſſe per Calidum innatum duo comprehendi, videlicet materiam ſeu ſubjectum, & qualitatem, à cujus prædominio nominatur, quia calidum non ſit nuda qualitas. Vnde primo ſequitur, quod ſicut calidum non eſt nuda qualitas ſine materiâ, ita & quod idem calidum non ſit nuda materia & ſubſtantia ſine qualitate. Vnde veriſſimum eſt, quod quando Philoſophi nominant Calidum innatum ſpiritum, non excludant qualitatem, à quâ nominatur & à cujus prædominio denominationem habet, neque cum calorem nominant, excludere ſpiritum; ex quorum concretione ſeu ex ſubjecto & qualitate D. Sennertus dicit cõſtare Calidum innatum. Si enim ſolus ſpiritus ſine calore conſtitueret & perficeret Calidum innatum, eſſet Calidum innatum ſine calore, quod abſurdum eſt.

XXX. Calor, qui ſemper eſt qualitas, nunquam fit, neque eſt, neque conſtituet ſubſtantiam, neque corpus aliquod eſſe poteſt calidum ſine calore. Ita ſpiritus ſi dicatur calidum, tamen ut calidus eſt, non ex ſubſtantia ſed ex inhærente calore talis dicitur. Etſi igitur dicat D. Sennertus ſpiritum inſitum eundem eſſe cum calido, aut certè ad ejus ſubſtantiam pertinere, tamen non ſequitur ex dicto Scaligeri exercit. 280, quia ſapientes ſcriptum reliquêre, nihil aliud eſſe calorem naturalem quam ſpiritum, ideo ſpiritum hunc eſſe caloris expertem; quia & ipſe D. Sennertus aliter dicit & ſtatuit, videlicet quod id, quod ex calore & ſpiritu concretum ſit, conſtituat Calidum

dum innatum, & quod ſpiritus ad ejus eſſentiam pertineat; undè ſequitur quod non ſolus illam conſtituat. Sed Fernelius à quo omnino alienus non eſt D. Senn. quemque pro ſe allegat rectè rem explicat cum inquit lib.4.phyſiol.c.4. *Neque calor ipſe ſolitarius, neque ſubſtantia tenuis, quam ſeorſim cogitatione (qualis eſt ſpirituoſa) comprehendimus, ſed quod ex amborum ſocietate nexuque conditum eſt, verè & propriè ſpiritus dicitur.*

XXXI. Deinde quærit, an tàm ſubjectum illius caliditatis ſit humidum primigenium, quàm ſpiritus innatus, & an hoc etiam æquè ad eſſentiam calidi nativi pertineat. Hic duarum partium proponit opiniones. Primò Fernelii, qui dicit, Calidi nativi eſſentiam abſolvi ſpiritu inſito & calore; & humido primigenio; unde definit Calidum innatum humidum primigenium inſito ſpiritu & calore perfuſum. Secundò ait eſſe, qui dicant, eos magis propriè loqui, qui tantùm ſpiritum inſitum cum ſuo calore calidi nativi eſſentiam complere exiſtimant. Sed quid ſtatuit D. Sennertus? ut ut ſit, ait, certum eſt, ſpiritum ſi non ſolus eſt calidum, certè præcipuam eſſe ejus partem, cui actiones, ut præcipuo animæ inſtrumento, acceptæ ferendæ; & contra etiam verum eſſe, hæc tria, calorem, ſpiritum & humidum, adeò arcto nexu juncta eſſe, quod haud facilè ſeparentur. Vide quam ambiguè, inconſtanter & fallaciter loquatur D. Sennertus: interim fateri cogitur, non ſolum ſubjectum, qui ipſi eſt ſpiritus, ſive is ſolus ſive cum humido, ſive ſit cum qualitate, ex quorum concretione conficitur Calidum innatum, conſtituere id quod Calidum nativum appellamus.

XXXII. Quod

XXXII. Quod autem calor ille in ſubjecto ſuo ſeu ſpiritu vel ſolo vel cum humido primigenio. Calidi innati eſſentiam maximè conſtituat, docet Ganymedes in tractat. de Calid. innat. fol. 6. ubi probare intendit, conditiones Calidi innati eſſe nobiliores elementorum conditionibus. Maxima conditio hæc eſt, quod calor ille innatus non ſit naturæ elementaris, quia ab elementari frigore non lædatur. Hoc ut probet adducit argumenta Fernelii, demonſtrare conantis calorem iſtum non eſſe elementarem: atqui Fernelius calorem iſtum, pro quo ab elementari conditione eximendo argumenta iſta profert. lib. 4. phyſiol. c. 6. ait eſſe accidens, & qualitatem hærentem in ſpiritu æthereo: Hunc verò elementaris conditionis uti & humidum primigenium eſſe, idem docet. Calor itaque de quo Ganymedes loquitur fol. 7. adducto loco ex Fernelii phyſiol. lib. 4. c. 1. is non ſubſtantia, non ſpiritus, ſed accidens eſt & qualitas hærens in ſpiritu.

Hujus caloris exſtinctionem, quæ qualitas eſt, Fernelius definiebat ex Ariſtotele mortem, quod allegat & confirmat Ganymedes. Hic iterum abſonas & fœdas vide contrarietates. Sennertianus Phormio in tract. de Calid. innat. fol. 1. ait, Calidum innatum eſſe, cujus totali exſtinctione mors naturalis oriatur. fol. 16. ait, in violenta morte, qualis contingit rebus quæ in uſum medicum trahuntur, id manere: Ergo mors violenta non eſt exſtinctio caloris nativi. Sed lepidius eſt quod ſequitur: cadaver fit privatione vitæ, ſive adſit ſive abſit Calidum innatum: at juxta blateronem Sperlingium ſulus ſpiritus eſt Calidum innatum, & omnis mors eſt exſtinctio Calidi inna-

innati; an itaque vitæ ratio non conſiſtat ipſis in Calido innato? Vita non amplius eſt in calido & humido iſtis philoſophis, ſeu non perfruitur amplius actione caloris in humidum, quia mors poteſt oriri ſive adſit calidum (& ſic vita fuit ſine calido vel non ex illo) ſive abſit Calidum innatum: atqui omnis mors per exſtinctionem caloris nativi rectè & verè definitur Philoſophis, quatenus calor iſte ut qualitas hærens in ſpiritu & cum quo flammulam conſtituit, quæ vel naturaliter perit ex conſumptione humidi, quod ſufficienter & debitè refici non amplius poteſt, qualis defectus initium & progreſſus major, in hominibus ſenectus, in ſtirpibus anauſis & ariditas dicitur, totaliſque conſumptio mors eſt, ſive pereat violenter idque etiam κατὰ σβῆσιν vel κατὰ μαράνσιν: Et ſic ſuffocatur plenitudine & obrutu materiæ, ſecluſione ab aëre, obtunditur & ſuperatur à contrario frigore, vel abſumitur violenter calore igneo in febribus ardentibus, colliquativis, hecticis, peſtilentibus, humido & ſpiritibus violenter conſumptis. Ex quibus apparet omnem mortem ſeu naturalem ſeu violentam fieri exſtinctione illius caliditatis, quæ eſt in ſpirituoſa ſubſtantia & nutritur humido, eamque perire primò & per ſe ex contrario frigore, vel diſſipari ex calore immodico, vel ex oppreſſione & obruitione exſtingui, vel ex accidenti, ſpiritu & humido ejus, cujus pabulo carere nequit, violenter aut naturali temporis decurſu conſumptis.

XXXIII. Turpe eſt hæc ignorare Phyſicæ Profeſſores publicos, aliiſque ſcurriliter & calumnioſe objicere ignorantiam differentiæ mortis naturalis & violen-

violentæ, quæ nulla eſt, quo ad ipſam mortem, ſed ſaltem aliqua ex cauſis, quibus oritur. Omnis enim mors eſt exſtinctio caloris nativi: & nulla mors ſive naturaliter ſive violenter accidat, ſuperſtite calido nativo obvenit. Etſi nugivendi iſti moroſophi ſtultè putent, & ignaris perſuadere velint in violenta morte manere Calidum innatum, quia id non conſumptum ex naturali actione caloris in humidum, uti fit in ſenium attingentibus animalibus, tamen calore iſto, cujus ſubjectum eſt humidum iſtud, exſtincto vel naturaliter vel violenter oritur mors, & exſtincto hoc calore neque ſpiritus poteſt eſſe ſuperſtes, quia actione caloris in humidum & attracti aëris reſtauratione continuo ſuſtentari vult, quibus ſubſidiis deſtitutus planè perit. Quin imo ipſe ſpiritus ex calore ita conſtat, ut cum eo flammam humido alibilem conſtituat, quorum uno perdito nullum reliquorum ſupereſſe poſſit; nec calor ſine ſpiritu, nec ſpiritus ſine calore, nec utrumque ſine ſuo pabulo, ut ipſe D. Sennertus docet in Inſtitut. lib. 1. c. 4. & lib. 2. cap. de ſpiritibus.

XXXIV. Omnis itaque mors eſt exſtinctio caloris quatenus eſt qualitas hærens in ſpiritu, cum quo velut flammulam conſtituit, humido primigenio continuo nutriendam. Etſi vero ex his ſatis pateat, calorem, cujus præſentia definitur vita, eſſe qualitatem elementarem, & ſpiritum, in quo hæret, & humidum, quo nutritur, eſſe elementaris conditionis, tamen ut contra iſtorum novorum moroſophorum ſcurrilitates & ineptias porro luculentius rem demonſtremus contenti erimus, primò hic ſatis tradiſſe

diſſe Calidum innatum, ut eſt qualitas,eſſe de eſſentia innati calidi.

XXXV. Quia verò iſte calor, qui cum ſpiritu inſito conſtituit Calidum innatum,ex mente D.Sennerti eſt qualitas, quæritur an ſit elementaris, an verò ſupraelementaris conditionis. D. Sennertus hic iterum ſibi non conſtat, nam lib.de Galen.cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 10. fol. 260. calorem ut accidens à calore ſpecie differre aſſerit,videlicet vitalem ab elementari, & eſſe in diverſis ſubjectis; elementarem habere ignem pro ſubjecto; vitalem verò ſeu cæleſtem habere pro ſubjecto ſpiritum ſeu corpus analogum elemento ſtellarum. Hic amice lector nota: I. quod qualitatem Calidi innati D.Sennertus diſtinguat à ſubjecto vel ſpiritu. II. Quod ſpiritus ut ſubſtantia non ſit calor innatus;deinde quod dicat hunc calorem ut accidens & qualitatem differre ſpecie à calore elementari.

Contra quod ipſe D. Sennertus in tractatu de febribus cap.1.dicat in Calido innato conſiderari qualitatem & ſubſtantiam.Calidum innatum ſi pro ſubſtantia conſideretur non tantum abſolvi caliditate, quæ eſt elementaris qualitas, à quâ prædominante ſpiritus inſitus denominationem accepit, ſed ſubſtantia conſtare cœleſti & nobiliore. Caliditatem hanc quæ qualitas eſt, à calore alio elementari & igneo ſpecie non differre largitur. Sic ipſius Ganymedes in tractat. de Calid.innat. aſſerit & concedit, omnem calorem eſſe ejuſdem ſpeciei. Ergo calor qui eſt qualitas,&D.Sennerto cum materia ſeu ſubjecto, cui immediatè inhæret, conſtituit Calidum innatum & eſt elementaris naturæ.

XXXVI. Calor autem, quo ſpiritus ille æthereus, qui D. Sennerto eſt ſubſtantia, utitur pro inſtrumento, neceſſariò eſt accidens, quia ſubſtantiarum inſtrumenta ſunt qualitates. Nulla enim corporea ſubſtantia eſt efficax ſine qualitatibus. Vſurpare verò ſpiritum illum hoc accidens ad perficiendum omnes actiones ſuas docet lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 10. fol. 257. Sic enim inquit: *Inſuper ſpiritus ille ac corpus atheri analogum, levius eſt & celerius omni elemento, & ad omnes actiones ſuæ ſpeciei convenientes obeundas aptum, in ſe continet calorem, à quo etiam in animalibus denominationem accepit.* Atqui illum calorem dicebat *qualitatem lib. 1. de febrib. c. 1. & eſſe elementaris natura, ut porrò lib. de Chym. cum Galen. conſ. & diſſ. c. 10. fol. 244. teſtatur his verbis: Non quidem negamus conjunctum eſſe hunc ſpiritum, qui à calore, qui in animalibus in eo evidentiſſimus eſt, calidum appellatur, cum elementari calore, ut ſeorſim ferè ab eo reperiri nequeat, quemadmodum facultas animalis abſque naturali non reperitur; & æthereum illum calorem ſicut inſtrumento elementari uti:* Tamen ſi quæratur, an ſpiritus ille nihil niſi elementare in ſe contineat, cum multis doctis viris Fernelio, Valleriola, Scheckio & aliis pluribus aſſerimus, eſſe quid ſpirituoſum in rebus naturalibus præter elementa. Ex quibus apparet, velle D. Sennertum ſpiritum inſitum, licet ſit eſſentiæ ſuperelementaris, tamen continere & conſtare etiam, quo ad calidus eſt, calore vel caliditate elementari, quo utitur ut inſtrumento.

XXXVII. Eodem verò lib. c. 12. fol. 252. ait, *primum motorem in miſtione eſſe animam ac formam cujuſque rei, δημιουργὸν communem & commune naturæ inſtrumentum,*

mentum, quo ad virtutes rerum ſovendas utatur, eſſe calorem & ſpiritum cujuſque rei inſitum, & φύσιν, quæ ſit διὰ πάντων διήκουσα. Habet enim(inquit)*anima facultates ſuas miniſtras; attractricem, quâ ſibi utilia & ſimilia attrahit; retentricem, concoctricẽ & alteratricẽ, quæ attracta ſibi ſimilia reddit, ſecretricẽ & expultricem, quæ id quod alienum eſt, ſeparat & ejicit. Eaque omnia caloris & nativi ſpiritus beneficio peragit. Quod autem calor elementaris ut proximum animæ non ſpiritus inſtrumentum, & cum ſpiritu æquali opera concurrens, hæc præſtet, patet ex ſequentibus fol.*355*.ubi dubitat, an ſolæ qualitates primæ ſint proxima miſtionis cauſa, & putat addendas eſſe occultas qualitates, quia ſunt magnæ efficaciæ, & ſpiritus, quia ſint διὰ πάντων διήκουσα οὐσία.* Hic ſpiritus à calore ejuſque operatione diſtinguit. Et ſanè hic notandum, ſi occultæ qualitates & ſpiritus illi agant in elementa, & omnis actio juxta D. Sennertum eſt inte contraria unius generis, neceſſum eſt & ſpiritus & occultas qualitates eſſe elementaris naturæ & originis.

XXXVIII. De calore verò, uti eſt qualitas elementaris, quatenus actiones perficiat in corpore, D. Sennertus lib. 1. de febribus c. 1. diſſerit ſat clarè, quod nulla ſophiſtica eludi poſſit. Ait enim fol. 7. ut cor & reliqua membra omnia actiones ſuas exerceant, in ſimilaribus calor quidam actualis & vegetus ſeu temperies quædam calida, ob quam corpus actu calidum redditur, requiritur, atque illa calida temperies pendet ex temperie ſingulis partibus inſita, & calore cum ſpiritu vitali in omnia membra influente. Et ob hunc calorem actualem omnes corporis partes vegetæ, & ad actiones obeundas benè diſpoſitæ eſſe dicuntur, ſi ille rectè habeat, & neque defi-

ciat, neque excedat. Si verò hoc commune corporis temperamentum nimis calidum evadat, & caliditas illa actualis intendatur, ob calidum è corde influens, febris accenſa in corpore dicitur. Caliditas itaque illa naturalis ſi ab intenſiore calore aliquot gradibus ſit exaltata, fit ex duobus illis caloribus una calida intemperies, & prodit una ab his actio, ſed vitioſa. Cum enim, inquit ibid. fol. 9. Calor ille nimis intenſus coquit quidem & alia agit, ſed ob acrimoniam & exceſſum vitioſe. Vnde liquet veritas & confirmatio regulæ, quod illa qualitas, quæ naturaliter diſpoſita & temperata, perficit actiones naturæ congruentes, eadem quoque ſi intendatur edat vitioſas & actionis læſæ cauſa ſit, *quod omnis qualitas excedens lædat actum propriæ virtutis*. Si itaque calor elementaris has actiones, cum præter naturam habet, vitioſe edit, neceſſario etiam eaſdem in naturali ſtatu rectè & ex naturæ ordine perficiat, & ſit proximum animæ ad eas edendum inſtrumentum.

XXXIX. Hic adjice quod ipſe Ganymedes in tract. de morb. ſubſtant. in reſponſ. ad theſ. 51. quæſt. 8. reſp. 1. ſtulte garrit. Coctionem, vivificationem, vitæ conſervationem non ex ſe præſtare calorem (hoc eſt quatenus eſt calor) ſed quatenus oppoſita ſeu contraria ſua ſuperat & rectè gubernat. Hic accipimus quod largitur calorem elementarem coquere, vivificare, vitam conſervare, contraria gubernare, ſed primò quod ait, ſi hoc pacto hæc agat, non agat ex ſe, id falſum eſt. Quid enim magis naturale calori & ex naturâ caloris, quàm edomare frigus ſibi contrarium? tũ enim verè ex ſe agit, cum directe ſibi contrarium ſuperat, & eo ipſo opera vitalia perficit.

XL. Ex

XL. Ex his eorummet ipſis ſententiis & verbis patet, illum calorem, qui partim conſtituit Calidum innatum; qui proximum Ariſtotelicis eſt animæ & novatoribus ſpiritus ſuperelementaris inſtrumentum, qui commune corporis temperamentum conſtituit, qui omnium corporis actionum cauſa, qui vitæ auctor & conſervator eſt, qui coctiones perficit, quo debitè poſito vita, & extincto mors definitur, eſſe elementarem & elementaris conditionis, & falſum eſſe quod Ganymedes dicit quæſt. 7. ad except. 4. calorem elemẽtarem nihil præter calefacere, & quod D. Sennertus in Inſtit. calorem, quocunque modo ut inſtrumentum adhibeatur ab anima vel à principali efficiente, non poſſe aliquid perficere quod ſit ſupra virtutem caloris, hoc eſt calefaciendi.

XLI. Atque hactenus ex propria novatorum confeſſione deduximus, quomodo calor innatus ut qualitas & pars Calidi innati, quatenus ejus eſſentia ex tribus vel ſi placet ex duobus conſtat, ſit elementaris naturæ, & plus præſtare poſſit quàm nudè calefacere; idem nunc paucis explicabimus ex antiquæ veritatis aſſertoribus, idque breviter, quia de hac re apud illos nullũ dubium: Calorẽ, qui præcipuum & proximũ animæ inſtrumentũ præcipuas vitæ actiones generationem, coctionem aliaq; præſtantiſſima opera ſupra ſuæ naturæ conditionẽ perficit, ut animæ inſtrumentum, eſſe elementaris conditionis ex pluribus Ariſtotelis, Platonis veterumq; locis, quorum pauca ſaltem afferemus, abundè probari poteſt.

XLII. Ariſtoteles lib. 2. de anim. text. 41. concludit, ignem non eſſe principem cauſam augmenti, ſed concauſam & inſtrumentum animæ. lib. de reſpirat.

c.4.inquit, animam operari mediante igne; & paulò infrà addit: Anima vegetalis ſine igne conſiſtere nequit. Et 4.meteor. cum de primis qualitatibus agens doceret, duas eſſe activas & duas eſſe paſſivas, ſubdit earum opera eſſe generationem & coctionem in animalibus & plantis. Quocirca generatio viventium & concoctio ſunt opera caloris, ut eſt qualitas prima & elementaris; & cum calor innatus iſtorum operum auctor & cauſa ſit, neceſſariò unus & idem eſt cum elementari calore.

Plato in Timæo inquit, ex ignis exceſſu præcipue ægrotare animal. ubi quod Galenus innatum calorem vocat, ex cujus exceſſu animal ægrotat, Plato & Ariſtoteles crebro ignem nominant. Galenus enim febrem definit, quod ſit caloris nativi in igneum converſio vel mutatio: Hic intelligenda eſt mutatio vel ſecundum eſſe ſimpliciter, ut totus intereat generetur que igneus ſecundum formam diverſus à calore innato; aut ſecundum modum fiat converſio, ut igneus fiat ſecundum acceſſionem plurium graduum & exceſſum exuberantiamque horum, ut fiat intemperies actionem lædens. De poſteriore modo ſe loqui Galen.lib.8.meth.declarat eamque ſententiam accipiunt Medicorum præſtantiſſimi, & in hoc eos ſecutus eſt ipſe D. Sennertus, ut ſupra vidimus: unde & calorem hunc innatum eſſe elementaris naturæ ſatis convincitur.

Cum itaque calor noſter innatus hoc pacto ſit elementaris naturæ, quia ab elementari & ſimili intenditur & frigore retunditur & perimitur, uti idem D. Sennertus concedit loco citato, videlicet lib.1.c. 1.de febribus, vani ſunt omnes clamores, quibus conatur

natur Ganymedes demonſtrare calorem hunc eſſe ſuperelementaris naturæ.

XLIII. De calore hoc ulterius inquirendum, an nihil poſſit præter calefacere, ſive ſolitarie agat, ſive directus ab anima vel cælo ceu cauſis principalibus illo utentibus pro inſtrumento? Vtrumque affirmat & *dicit D. Sennertus cum Ganymede ſuo.* Examinemus rem ſecundum modum utrunque. Pluribus in locis D. Sennertus & ejus Ganymedes calorem tantummodo calefacere ajunt. Deinde etiam nihil poſſe præter calefacere, quamvis ab anima dirigatur ad altiora. Calefactionem eſſe adæquatum actum caloris, lib. 2. Inſtit. p. 1. c. 4. & licet à formis dirigatur altioribus, nihilominus ſuas tantum vires exercere. Idem lib. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 8. inquit: Calor dum eſt animi vegetantis inſtrumentum ſolum calefacit, & ſolum calefaciendo coctioni inſervit; Quod autem in ventriculo ex cibo fit chylus, non ſolum à calore ſed à facultate ventriculi concoctrice ſeu vi chylifica proficiſcitur. Et ibidem cap. 10. fol. 284. inquit: actiones, qua in ventriculo fiat chylus, in hepate ſanguis non ſoli calori, ſed animæ potius calore utenti adſcribendas.

XLIV. Primo itaque hic videbimus, an calor etjam primò & per ſe nihil poſſit quàm calefacere, nullæque aliæ ab ipſo proficiſcantur operationes quàm calefactio? Ipſe D. Sennertus lib. 3. phyſic. cap. 3. inquit: miſtam miſti generationem & præviam ad formam alterationem à calore per ſe & primario proficiſci. Et paulò poſt: totam miſtionis ſeu generationis miſti naturam in debitâ humidi cum ſicco conjunctione, quæ à calore in certo gradu conſtituto fit,

conſiſtere, eandemque generationis & conſervationis miſti eſſe cauſam.

Accuratius Zabarella inquit: actio primarum qualitatum duplex eſt; una univoca, altera æquivoca. Vnivoca operatio eſt, quâ unaquæque qualitas idonea eſt gignere ſimilem, quod præſtare nequit, niſi contrariam alteram interimat; ita calidum calefacit & generat calidum corrumpendo frigidum. Æquivoca eſt, quâ producant ſecundas omnes qualitates & ipſam quoque miſti generationē. (& paulò poſt) Hæc actio non amplius eſt contrariæ in contrariam, ſed tanquam artificis in materia. Calor enim tanquam artifex concoquit, elaborat & terminat humidum & ſiccum tanquam ſubjectam materiam ad patiendum aptam, atque inde ſecundas qualitates adeoque ipſum miſtum producit. Et cum calor teſte eodem Zabaralla ſine beneficio calefactionis hæc non efficiat, videlicet quod non exerceat actionem æquivocam niſi mediante univocâ, manet hoc, quod calefactione non ſolum calefaciat, ſed & omnia opera animæ efficiat. Quando itaque calor chylificat mediante calefactione, atque item chymificat, ſanguificat, generat, oſſificat &c. Eſt proximum animæ inſtrumentum ad omnes actiones, quas mediantibus inſtrumentis efficit. Ingenii enim ſubtilitas & promptitudo eſt à calore, teſte Gal. hebetudo & ſtupor à frigore: à calore, inquit Galenus, lib. 13. meth. motus, à frigore ſegnities. Calorem, de quo loquimur, omnium actionum in corpore animalis eſſe cauſam, ipſe faſſus eſt D. Sennertus loco allegato ex lib. 1. de de febrib. c. 1. & lib. 1. Inſtit. c. 4.

XLV. Sed ne occaſionem calumniandi cavillatoribus

ribus demus, quæritur an calor iſte elementaris ut inſtrumentum animæ aut formatum aliarum hæc perficiat, an verò ex ſe & ſuâ indole & per ſe? Hic reſpondemus, veriſſimum eſſe illud antiquitatis principium, quod impudenter allatrant novatores, *calorem & accidentia ſequi nutum & virtutem formæ, à quâ dirigantur.* Quod Ganymedes in tract. de morb. ſubſtant. confirmat, cum inquit, omne accidens vel inſtrumentum agere in virtute principalis. Hinc dicitur, quod calor ſequens formam ignis urat, quod directus ab anima generet, chylificet, coquat. Verum duplici modo huic regulæ ogganniunt: primò nullam formam poſſe efficere, ut calor aliter agat quàm calefaciat: ſecundò quod cum ſic uſurpare nequit, ut aliam quam calefactionis operam ullaſque diverſas operas præſtat. Ad quod reſpondemus, dum anima generat per calorem juxta Ariſtotelem elementarem, dum chylificat, chymificat, vivificat, vitam conſervat, id facit ſine inſtrumento caloris, vel ſine ejuſdem operâ, aut per illam: Nullam formam ſubſtantialem aut ſubſtantiam operari ſine accidentium miniſterio regula veritatis eſt: aut itaque anima immediatè coquit & generat, aut quod coquit & generat & vivificat id facit inſtrumento caloris; non facit immediatè ergo operâ caloris: atqui calor ex ſe nec generat, nec vivificat, nec coquit: proinde neceſſario ſequitur; animam inſtrumento caloris ſic uti, ut mediante calefactione generet, vivificet, coquat cæteraſque naturæ actiones perficiat. Anima itaque opera caloris & per calefactionem coquit, nutrit, vegetat, &c.

XLVI. Vides itaque quàm vani ſunt garritus D.

Sennerti & ejus Ganymedis dum ajunt, ideo à calore ſolo non fieri chylificationem, ſanguificationem & ſimilia, quia fiant potius ab anima. Non enim negamus, animam ea facere, ſed ſolo calore ut inſtrumento immediatè præſtare aſſerimus: ita dum ait D.Sennertus, calorem ut vegetantis animæ inſtrumentum in conficiendo chylo & ſanguine ſolummodò calefacere, chylificationem verò à facultate concoctrice proficiſci vel vi chylificâ, nugatoriè non deſtinguenda deſtinguit: nam vis chylifica, chymifica cæterarumque partium concoctrix eſt à calore & peculiari temperie inſtrumentaliter, & idioſyncraſia iſtis partibus propria & determinata. Vnde Averrhoës dicit, actiones fieri à calore commenſurato: & quid multis? *omnis actio eſt ab anima in genere, ſpecies actionis ejuſque bonitas vel malitia ſequitur partes & earum diſpoſitionem; ita anima coquit ſed mediante calore proque ipſius varia in partibus determinatione coquendo chylificat in ventriculo, ſanguificat in epate &c.* Sed de his in ſequentibus accuratius.

Cæterum hoc inprimis hic attendendum, quod calor coctionem perficiat: primo cum frigus ſuperat, dein humidum excrementitium inutile ſeparat vel conſumit, utile vero cum ſicco miſcet, unit & determinat, unde coctio determinata humiditas dicitur & perfectio à calore: Hunc actum nec ſpiritus nec occultæ qualitates vel perficere vel juvare poſſunt, quatenus ſuperelementaris ſunt conditionis. Omnis enim actio eſt inter contraria ejuſdem generis: non agent itaque ſpiritus & occultæ qualitates in corpore elementaria, non ſuperabunt frigus, non conſument humidum inutile, non miſcebunt & determinabunt

nabunt humidum cum ſicco. Caloris enim eſt heterogenea ſeparare, frigus ſubigere, miſtionem perficere. Solus itaque calor ab anima directus generat & coquit, aliaſque animæ vegetativæ actiones perficit: generat quia miſcet, ſi quidem nulla generatio ſine miſtione; unde generatio & miſtio parum differunt, uti ſcribit D. Sennertus lib. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 12. fol. 349. Et cum coctio fiat à calore dominante in cæteras qualitates & per miſtionem determinationemque humidi cum ſicco, ſequitur has operationes à ſolo calore fieri, quia ſolus calor facultatem habet operandi in cæteras illas qualitates & corpora elementaria, non ſpiritus ſuperelementaris naturæ, non occultæ qualitates quatenus non ſunt ex proſapia elementarium. Sin vero in hæc agant, tum ſe ſimilis eſſe naturæ & originis declarant.

XLVII. Ex his patet quam vanum & aphiloſophon ſit quod D. Sennertus dicat, calorem in opere concoctionis nihil amplius facere quàm calefacere. Anima itaque coquit calore. Vnde Scaliger ait, accidentibus anima dat quod ſint: formæ dant accidentia ut ſic agant ut calor animæ. Etſi vero ventriculus, epar aliæque partes inſita proprietate coquere dicuntur, illa proprietas non eſt aliud quid quàm peculiaris partium idioſyncraſia & temperies qualitatum ex commenſurato & definito cum cæteris qualitatibus calore; *unde quodlibet alterans ſibi alteratum, vel qualitate vel ſubſtantia ſimile reddere conatur.* Quod autem anima iſtas operationes caloris temperie debita, vel tali temperie, in quâ dominatur calor elementaris, perficiat, ex eo etiam patet, quod actio

iſta

iſta lædatur à contrario frigore, corrumpatur ab intenſiore calore, ut dum calor nativus propter additos gradus dicitur fieri igneus, quodque medicamentis frigidis exceſſum caloris retundentibus coquendi iſta vis reſtituatur.

XLVIII. Sed ulterius ogganniunt & in controverſiam vocant id, quomodo anima utatur inſtrumento ad actiones ſupra inſtrumenti naturam edendum: an vires infundat, an in inſtrumentum tranſeat, prout cavillatur & cornicatur Ganymedes? Cui reponimus vivificationem, coctionem aliaque opera vel eſſe ab anima ſola, vel à ſolo inſtrumento: non ab anima ſola neque ſolo inſtrumento, quia calor per ſe non generat, non coquit, quod hæc ſunt facultatis animæ negativæ opera: Ergo neceſſum eſt, ut hanc vim ab anima accipiat, eaque anima ſic utatur ſuo inſtrumento, ut actiones ſuas commodè perficiat.

XLIX. Verùm quomodo uſurpet ſua inſtrumenta anima; vel enim id facit movendo vel alio modo; ita ait *Scaliger, movens non motum eſt anima, motum non movens eſt corpus, motum & movens eſt ſpiritus*: ita nutu animæ, ajunt Philoſophi, in inſtanti penè temporis ſpiritus animalis, qui natura ſua levis eſt, deorſum in imum pedem tranſmittitur. Quæro itaque illum calumniatorem & bonarum artium cavillatorem & corruptorem ut nobis explicet juxta ſua poſtulata, an anima vires quibus illud efficit, in accidentia fundat ex ſe ut in ſubjectum (videlicet in ſpiritus uti dictum, loquor nunc de iſto ſpiritu animali) & ſic ſine ſubjecto emigret accidens? an verò ſubjectum animetur, adeo ut calor vivificet, quia animatus & vivus ſit. Prius negare non poteſt, videlicet

licet animam uti inſtrumento. Ergo explicet poſterius aliter quàm fecimus, aut ſua ipſemet abſurda devoret. Sed de his in ſequentibus latius. Quod dicit accidentia non eſſe receptiva virium formæ, & ideò non dirigi à forma, id vanum eſt: *accidentis eſſe eſt ineſſe; à quo autem res habet eſſentiam, ab eo accepit etiam operandi vim, quia quod dat eſſentiam dat etiam conſequentia eſſentiam & ſic Philoſophorum præſtantiſſimi, quibus iſte Ganeo non eſt dignus ſolvere calceos, rectè reſpondent, accidens ſemper ſequitur virtutem formæ à qua in eſſe vel operari dependet.*

L. Sed hic iterum oggrunnit Ganymedes Sennertianus, & calorem elementarem generare, coquere, vivificare, legitimam partibus temperiem largiri negat quæſt. 6. in tract. de morb. ſubſtant. Rationes addit ſequentes. Prima eſt, quod illæſo calore elementari homo poſſet ægrotare & mori: quod accidat in peſte & morbis venenatis. Secundo, quod nullum agens agat ultra vires ſuas: hæc opera verò eſſe ſupra elementaris caloris vires. Tertia, quod Calidum innatum non ut qualitas ſed ut ſubſtantia ſuperelementaris naturæ coquat, & has actiones perficiat.

Ad primam reſpondemus, Quod ſi ideò calor elementaris non ſit actionum iſtarum cauſa, quia illæſo illo & hæ actiones lædi & animal mori poſſet, tùm quoque calidum ut ſubſtantia non erit cauſa harum actionum, quia ipſe inquit in juvene ex vulnere mortuo & in morte violenta non perire Calidum innatum, quod ille ſubſtantiam ſuperelementaris conditionis vocat.

Verùm calorem elementarem eſſe illum nativum calorem, quia omnes omnium membrorum actiones,

actiones, ſi moderatus ſit & in exceſſu vel defectu non laboret, recte efficit: ſin verò à contrario minuatur vel ab intenſiore & ſimili ulteriores gradus acquirendo intendatur & quaſi igneus fiat, actiones corrumpat & læſas edat, jam ante ex ipſo D. Sennerto demonſtratum eſt; quodque calor ille elementaris vivificet, coquat & alia opera perficiat agendo in contrarium ſuum & frigiditatem & oppoſitas qualitates, ipſe Ganymedes aſſerit uti ſupra dictum eſt. Quomodo verò actiones ſuâ ſpecie altiores edat non ex ſe & ſuâ naturâ ſed ratione formæ dirigentis, id quoque demonſtratum eſt. Quod autem caloris ſubſtantia, quia ſit altioris quam elementa conditionis & nobilioris originis, edat iſta opera falſiſſimum eſt, quia ipſa eadem ſubſtantia conſtat ſpiritu inſito vel ſolo vel ſimul cũ humido primigenio, quæ tàm eſt ex elementis quàm calor ei inhærens, à cujus prædominio nomen habet, qui uti ipſe D. Sennertus teſtatur lib. 1. de febr. c. 1. elementaris eſt, quod niſi ſit, accidens hæreret ibi in peregrino ſubjecto. Illorum verò ſubſtantiam eſſe prorſus elementarem paulo poſt demonſtrabimus.

LI. Et quid eſt quod dicat ſubſtantiam Calidi innati has actiones perficere, non qualitatem, *cum nulla ſubſtantia ſit efficax vel operetur ſine qualitatibus*: & cum D. Sennertus in antea allegatis affirmet, Calidum innatum, qui D. Sennerto & Ganymedi eſt ſpiritus ille æthere & omni elemento levior, ad omnes ſuæ ſpeciei actiones obeundum utatur calore, qui calor neceſſariò eſt elementaris, quia calor à calore ſpecie ipſis etiam authoribus non differt, valde ſecum pugnat, cum calori ut elementari harum actionum perfi-

perficiendarum operam detrahit. Et ſuntnè ſcopæ diſſolutæ, quod D. Sennertus ejuſque juratus Ganymedes modò dicant, animam calore ut proximo inſtrumento uti, modò aſſerant, ſpiritum, qui eſt ſubſtantia calidi, calore hoc uti & actiones has perficere; vel calorem & ſpiritum, ut antea ex D. Sennerto retulimus, has actiones edere, ubi calorem non ut inſtrumentum ſpiritus, ſed proximum cum ſpiritu æquali in ordine eſſe animæ inſtrumentum affirmat, & has operationes perficere dictitat.

LII. Tandem neque hæc ſufficiunt, ſed & neceſſariò ad coctionem perficiendam etiam concurrere occultas qualitates D. Sennertus ſtatuit. Verum cum poſtremum hoc objicerem, Ganymedes Vejovem ſuum ipſe refutat, & aſſerit, occultas qualitates non facere ad concoctionem perficiendam, quia non omnis qualitas ſit occulta (tract. de morb. ſubſtant.) quæ ab elementis non oriatur, niſi quis velit potentiam ambulandi, videndi &c. dicere occultam qualitatem: & tamen D. Sennertus dicit occultas qualitates concurrere ad concoctionem. Sed tranſigant hic inter ſe Ganymedes ejuſque Iupiter.

Verum enim verò ſpiritum illum & occultas qualitates nec generationem (generatio enim & miſtio D. Sennerto in tract. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. parum differunt) nec coctionem perficere nec juvare poſſe, niſi ſint elementaris conditionis, ex eo patet, quia miſtio & coctio fit determinatione humidi cum ſicco à calore: actiones vero, ait D. Sennertus, eſſe contrariorum unius generis. Sed utriuſque originem & materiam certum eſt eſſe elementarem, neque altioris vel alterius conditionis. Sapientes illud,

illud, quod nulla ratione & præter neceſſitatem adfertur & obtruditur eâdem, quâ productum eſt, levitate rejiciunt.

LIII. Probavimus calorem, à quo prædominante ſubſtantia Calidi innati denominationem habet, eſſe elementaris conditionis; nunc ſubjectum & materia, cui ineſt, & ex cujus cum calore concretione Calidum innatum D. Sennerto propriè conſtat, quod pariter ſit ex elementis ortum & natum reſtat ut demonſtremus. Conſtat verò hæc materia vel ſolo ſpiritu, vel ſpiritu & humido primigenio.

Vt probemus, Calidum innatum quo ad ſubſtantiam eſſe naturæ elementaris, primò ſciendum rem quamlibet eſſe ejus naturæ & eſſentiæ, cujus illa ſit, ex qua ſecundum materiam & formam orta & genita ſit.

Materiam eſſe elementarem ex hoc probatur, quia Calidum innatum nutritur elementari alimento. Vnde regula immobilis: *Quale nutriens, tale nutritum: Et neceſſario talis inter nutriens & nutritum eſt ſimilitudo, ut nutriens ſit id potentiâ, quod actu eſt nutritum: Eſt enim nutritio perditæ ſubſtantiæ reſtauratio: reparatur & in natura ſua conſervatur & augetur quodcunque ſimilibus*, auctore Ariſtotele l.2. de anim. text. 45. ubi inquit: *Vnumquodque conſervatur & augetur ab eo, quod ſibi ſimile eſt, non ab eo, quod ſecundum naturam diſſimile eſt.* Vnde Galenus lib.3. de temper. c.2. inquit: *Omne animal conveniente ſibi nutritur alimento: conveniens cuique alimentum eſt, quicquid aſſimilari corpori, quod nutritur, poteſt. Oportet itaque toti nutrientis ſubſtantiæ cum tota nutriti natura communio & ſimilitudo ſit: Hæc ſimilitudo conſiſtit in illo, quod alimentum verè*

ſit illud, quod per mutationem, quæ fit concoctione, vertatur in noſtram ſubſtantiam. Si itaque nutrimentum ſit elementare, neceſſum eſt nutritum etiam eſſe elementare; & contra, ſi homo quo ad corpus, & cætera animalia & animata quo ad corpus & animam conſtent ex elementis, neceſſario nutrimentum corporis elementare fuerit.

LIV. Humanum corpus purè conſtare ex elementis & ex humo factum & ratione originis eſſe pulverem & ideò in pulverem reverti, nec ad conſtitutionem materię humani corporis aliquid amplius, quod elementare non ſit, concurrere, omnium Theologorum tàm Proteſtantium quam Pontificiorum concors & conſtans eſt ſententia. Quintam verò eſſe eſſentiam, ex quâ Deus fabricatus ſit corpus humanum, quæ & nobilior & ab elementorum & cumprimis terræ & limi naturâ plane diverſa ſit, ex qua corpus humanum tãquam parte nobiliori & excellentiori & quinteſſentiali conſtet, quam ignoraverit vel reticuerit Moſes, Theologi ad unum omnes pro abſurdo, blaſphemo & hæretico parodoxo in moroſophorum Paracelſicorum cerebellis nato habent, ut diſputatione prima demonſtratum eſt; Proinde ſi corpus humanum quod nobiliſſimam & ſuperelementaris conditionis obtinet formam, ſit ex elementis, quomodò non cæterorum animalium & rerum creatarum materialium corpora, quorum etiam formæ ex elementis productæ ſunt, non ſint ex ſolis elementis? Debebat enim, ſi regula illorum procederet, nobilior forma nobilius habere ſubjectum: atqui illa, quæ omnium in his ſublunaribus nobiliſſima eſt, purè elementare habet ſubjectum. Qualis igitur materia ſit cæterorum

animatorum & rerum miſtarum, facile inde apparet.

LV. Quod autem formæ animalium excepta humana & rerum cæterarum ex elementis ſint productæ, & adhuc tales oriantur, diſputatione prima demonſtratum eſt. Si itaque potior eſſentiæ pars, quæ eſt λόγος ὀσίας, & per quam ſunt id quod ſunt, eſt ex elementis & elementaris naturę, quomodo non ipſa materia omneſq; partes? Quintam verò illi novatores eſſentiam modò cum Scaligero nominant formam, modò partem materiæ, quam nugantur eſſe diverſam ab elementari natura. Ex elementaris verò materiæ natura formas rerum primò eductas & ex eadem in omnem poſteritatem generari ſupra demonſtratum eſt; idque pariter ex illo quod nec per diviſionem ſuipropagentur, neque fiant ex nihilo, undè ſola relinquitur materiæ potentia.

LVI. Spiritum innatum & vitalē eſſe ex elementis & elementaris naturæ, quia nutriatur & generetur ex elemētari materia probavi in theſ. 23. diſputat. meæ de Calido innato: quod ex aëre attracto & tenuiore ſanguinis portione generetur, docente D. Sennerto in phyſic. fol. 608. Deinde probatur ex Hippocrate, qui dicit, omne calidum nutriri frigido. Tertiò ex Fernelio lib. 4. phyſ. c. 2. cum inquit, Spiritum noſtrum quidem æthereum, ſed ex elementorum tenuiorum miſtione concretum eſſe. Hujus fovendi gratia reſpiratione aërem ducimus, ut eo nutriatur. Niſi enim hæc ſpirituoſa ineſſet ſubſtantia, vix ulla neceſſitas ad reſpirandum impelleret: tanta verò eſt ejus neceſſitas, ut ne exiguo temporis ſpatio vita eo carere poſſit.

LVII. Ad

LVII. Ad hoc argumentum inſuperabile & veritatis invictæ ſequentes jejunas & rancidas reſponſiones affert: quarum prima eſt, Particulare hoc & non univerſale eſſe, quod ex aëre & ſanguine generentur ſpiritus, ſiquidem in plantis non generetur hic ſpiritus ex aëre & ſanguine. Vbi primò recipimus, quod ex aëre & ſanguine eum in animalibus generari concedere cogatur. Plantarũ Calidũ innatum tàm quo ad ſubſtantiam quàm quo ad calorem ex elementis conſtare veriſſimum eſt, & ſpiritum plantarum inſitum non ex aliâ materiâ quam aëreâ & ſucculentâ portione à plantis ex terrâ, cui affixæ ſunt, eductâ continuo generari & fieri, indubitatò verum eſt. Etſi enim ſuccus ille non ſit ſanguis, ut in animalibus, tamen in plantis, in quibus ille elaboratur, ut in commodum cedat nutrimentum tùm ſolidæ tùm ſpirituoſæ ſubſtantiæ, reſpondet ſanguini animalium, atque id eſt in plantis, quod ſanguis in animalibus.

Quod autem ſecundò regerit, ſpiritum inſitum non nutriri aëre, ſed influentem & ex influentibus vitalem ſaltem ex his generari, pariter vel ipſo D. Sennerto teſte falſum eſt. Hic enim docet in Inſtit. lib. 1. c. 6. Animalē ſpiritum ex puriſſima vitalis ſpiritus parte & aëre inſpirationis ope attracto in ventriculis cerebri generari: & hic iterum Ganymedes oggannit ſuo Iovi.

Quod autem ait, ſolos influentes ſpiritus nutriri & generari ex aëre, non verò inſitum ſpiritum; aut ſi ex eo nutriatur, non eſſe ejuſdem naturæ cum ſuo nutrimento, ſcurrilis eſt & philoſopho cumprimis vero Phyſicæ Profeſſore indigna reſponſio. Etiamſi enim nutrimentum & nutritum non ſunt actu

 idem,

idem, tamen talis eſt naturæ convenientia & ſimilitudo, ut ex proximo alimento unicâ intercedente mutatione generetur ſubſtantia nutriti, unde quo ad materiam ſunt unius ejuſdemque naturæ. Vt regulæ illi, quale nutriens tale nutritum, ſua conſtet veritas. Et ſi nutritio ſit perditæ ſubſtantiæ reparatio, talis neceſſario reponitur ſubſtantia per mutationem, quæ ſimilis ſit perditæ & conſumptæ. Sed hæc Phyſicæ initiati norunt.

Quod verò deblaterat, hominem nutriri pane, neque tamen hominem eſſe ejuſdem naturæ cum pane, cavillatorum eſt: Homo quatenus nutritur pane, hoc eſt, quatenns habet corpus elementare cibo & pane nutriendum, eatenus, videlicet juxta alteram partem ſui materialem, quod eſt corpus, eſt elementaris & ejuſdem cum pane ex elementari materia confecto naturæ. Vide lector, nihil eſt ſupra illius Ganymedis impudentiam.

LVIII. Influenti vero inſitũ ſpiritum reparari, reſtaurari & foveri ipſe D. Sennertus in Inſtit. loc. allegat. fatetur, cum ſcribit, ſpiritum vitalem per arterias in univerſum corpus diſtributum calorem innatum, qui per ſe imbecillior ſit, nec ad omnes actiones ſolus ſufficiat excitare, inſtaurare, eique quaſi actum & perfectionem tribuere. Reſtaurat itaque illum ſpiritum, qui à natura ad omnes actiones adhibetur, qui ſpiritus ipſis eſt ſubſtantia Calidi innati. Qui cum per ſe ſit imbecillior ad eas expediendas ſoluſque non ſufficiat, neceſſario augeatur & inſtauretur, actuetur & perficiatur à ſpiritu influente. Ab hoc autem ille augeri, inſtaurarique nequit, niſi ſit ejuſdem naturæ & ſubſtantiæ, & multo minus, niſi

talis

talis ſit, ab eo in actum deduci & perfici perfectionemque ſuam capere poſſit.

LIX. Introſpiciamus rem penitius: certũ eſt, quod corporis noſtri ſubſtantia ſit in continuo fluxu & perditione, quod ſpirituoſæ præ cæteris evidentiſſimè accidat. Continua ſubſtantiæ perditio requirit continuam reparationem & repoſitionẽ ejus quod periit ſubſtantiæ: quocirca nutritio, quæ eſt perditæ ſubſtantiæ reſtauratio, ſemper eſt in actu ſecundo. Reparatur verò inſitus ſpiritus vitali influente; vitalis & influens ex aëre & ſanguine genitus eſt, teſte D. Sennerto. Ergo quale periit, tale per ſpiritum illum reſtauratur; neceſſario itaque ſpiritus inſitus eſt elementaris naturæ.

LX. Quod verò inſitus jugi reparatione & reſtauratione & ſuæ ſubſtantiæ reſtitutione indigeat, & ſine illo vix aliquantulum temporis ſuperſit, evidentius confirmant ſequentia. Spiritu influente per ſyncopen ad cor influente, inſitus in partibus corporis, perditioni proximus eſt, totumque corpus & frigidum evadit, & facultatibus omnibus naturalibus collabentibus ſubſtantia humidi calore partium deſtituti diffluit, unde ſudores frigidi, & niſi properus ex corde ſpirituum influxus & irradiatio redeat, ipſe repente oboritur interitus. Quod toti accidit ratione ſpirituum vitalium influentium ad principium ſuum refluentium, illud parti evenit interceptis venis & arteriis & ſpiritu vitali influere prohibitis. Intercepto enim omnino hoc influxu, pars ſecundum totam ſui ſubſtantiam tàm ſolidam quàm ſpirituoſam protinus corrumpitur & in gangrænam abit. Spiritus itaque inſiti partibus ſubſtantia niſi ex in-

 fluente

fluente reparetur & reficiatur continuo, & hoc ipſo quaſi actuetur perpetuo & ſine intermiſſione perficiatur, intercidit & perit. Proinde rectè Galenus lib.3.de ſympt. cauſ. inquit: Subſtantia noſtra, quia in eodem ſtatu permanere & durare nequit, continua indiget reſtauratione Calidi innati per arterias & nutritione per venas. Quam doctrinam qui ignorat nec Medici nec Philoſophi nomen meretur, vel qui cavillari & corrumpere cum cæteris ſolidæ veritatis & veteris Philoſophiæ fundamentis & diſciplinis annititur, indignus eſt qui juventutem doceat & in profeſſoria cathedra locum teneat.

LXI. Secundò reponit, ſanguinem non eſſe corpus purè elementare. Inſignis ſanè petitio principii. Proba in ſanguine quatenus ſanguis eſt, aliquid eſſe quod elementare non ſit. Tuus D. Sennertus ſanguinem non eſſe corpus homogeneum, ſed ex quatuor conſtare humoribus ſub unam formam ſanguinis coëuntibus & maſſam ſanguineam conſtituentibus affirmat. Sanguinem præterea uti ſanguis eſt ex aliis humoribus quinteſſentialibus ab elementorum natura diverſis conſtare & perfici, ne Philoſophorum optimorum ullus, nec tuus D. Sennertus, nec veſtrorum Philoſophiæ veræ perverſorum Paracelſicorum & Chymicorum unquam ullus dixit, neque bilem, pituitam, melancholiam aut quartam partem, quæ ſanguis propriè dictus eſt, unquam ſupra elementarem extulêre conditionem.

Hunc ſanguinem ex quatuor partibus diverſis & heterogeneis conſtantem ſolum nutrire probat D. Sennertus loco ex Inſtitut. allegato; hoc nixus fun-

dam ento

damento: unum quodque alitur ſui ſimili; corpus noſtrum diverſæ naturæ partibus conſtat: quocirca alimentum ejus, unius naturæ eſſe non debet. Confirmat rem ratione Hippocrat. ex 1. de natur. human. 18. ubi dicitur, quod corpus hominis in ſe ipſo ſanguinem habeat, & pituitam & bilem duplicem: & quod hæc ſint natura corporis ipſius, & ob hæc dolere & ſanum eſſe. Ex hoc pariter videat cavillator Ganymedes quod etiam alimentum ab Hippocrate propter ſummã convenientiam & ſimilitudinem vocetur natura corporis, & quomodò alimenti natura cum corporis animalium natura convenire dicatur.

Approbata itaque expreſſe Galeni ſententia lib. 2. de element. quod homo non ſolo ſanguine conſtet & nutriatur, ſed quatuor humoribus, cum Galenus nullam quintam eſſentiam, ex quâ præter hæc corpora, quæ ipſi ex elementis ſolummodo conſtant, agnoverit vel ſtatuerit, ſequitur & ex ipſa D. Sennerti opinione hominem quo ad corpus ex quatuor elementis tantùm conſtare & ex elementari materia duntaxat, & ex iiſdem, quibus conſtet nutriri, & conſtare ex iiſdem quibus nutriatur.

LXII. Quod verò truncatus Ganymedes ſubjicit, Calidum innatum ſumi concretivè vel præciſivè, & cum ſumatur concretivè, D. Sennertum non negare calorem elementarem cum eo in animalibus perfectis junctum eſſe; cum vero ſumatur præciſivè denotari ſubſtantiam quintam, quæ jugiter humidum depaſcat. Quæ ſubſtantia neceſſario eſt ſpirituoſa; Tenendum ex ſuperioribus &

ipſa eorum confeſſione primò hoc, quod calor elementaris non nudè vel ſuperficialiter ſit ſubſtantiæ ſpirituoſæ junctus, ſed quod Calidi innati eſſentia duo comprehendat (ſunt verba D.Sennerti) primò materiam ſeu ſubjectum, cui ineſt calor: deinde qualitatem, à cujus prædominio ſubjectum denominatur; adeò ut Calidum innatum non ſit nuda qualitas ſine ſua materia, nec nuda materia vel ſubjectum vel ſubſtantia ſine ſua qualitate.

Secundò tenendum & hoc, quod uti nulla ſubſtantia operatur niſi per ſua accidentia, ita, & ipſe D. Sennertus loco ex cap.10.de Galen, & Chym. conſ. & diſſ. citato docuerit, ſpiritum illum æthereum, quem Ganymedes vocat ſubſtantiam Calidi innati & ſolummodò Calidum innatum perficere contendit, ad omnes ſuas actiones perficiendas uti calore, quem ſibi junctum habet.

Ex quibus ſequitur, quod ſpiritus ut ſubſtantia non agat in humidum, neque agere poſſit ut ſubſtantia, ſed quatenus cum calore quaſi flammulam conſtituat depaſcentem humidum innatum; qui ſanè calor non tantum depaſcit ſed & regenerat humidum & ex humido ſpiritum, in quo hæret, continuo peſſum euntem reparat, reſtaurat & reficit.

Deinde ſequitur & hoc, quod calor elementaris cum hæreat in ſpiritu ut accidens, quin imo, quod ejus cum ſpiritu concretione conſtituatur Calidum innatum, neceſſario ſubſtantia illa ſpirituoſa proximum & immediatum caloris accidentalis ſubjectum & materia ſit naturæ elementaris,

Quia

Quia accidens tranſit cum ſubjecto & nulla elementaris qualitas alibi in aliâ quàm elementari materiâ eſſe aut produci poſſit. De humido, quo ſpiritus nutritur, non eſt ut laborioſe inquiramus. Si enim in ſubſtantiam ſpiritus per elementarem calorem ſpiritui inhærentem convertitur, neceſſario elementaris etiam conditionis eſt.

LXIII. Quandoquidem itaque demonſtratum ſit, calorem innatum ſecundum omnes, ex quibus componitur, partes (neque enim ſimplex aliquid eſſe ipſe D. Sennertus affirmat) conſtare ex rebus elementaribus, videlicet ex calore, qui ſit qualitas elementaris, ex ſpiritu, qui ex aëre & materiâ elementari ſit genitus, & humido, quod ſuo nutrito ſimile ſit, conſequens eſt, calidum illud, quocunque modo conſideretur, eſſe elementaris conditionis.

LXIV. Ubi notandum, quod Fernelius ſpirituoſam ſubſtantiam, quam Ganymedes vult propriè eſſe Calidi innati eſſentiam vel ipſum calidum, diſputet & doceat eſſe purum putum elementare corpus, uti & humidum, cui undiquaque miſtum & perfuſum eſſe tradit: calorem verò, quem D. Sennertus & Ganymedes aſſerunt eſſe elementarem, ſtatuat & probare conetur eſſe cœleſtem & divinum & ſuperelementaris conditionis: quodque has rationes, quas pro divinitate caloris, ut eſt qualitas, ille adducit, hi veteratores uſurpent ad demonſtrandum ſubſtantiam calidi ſpirituoſam eſſe ſuperelementaris naturæ; atque ita Fernelium contra mentem Fernelii allegent, lectori fucum faciant, eumque ſuæ ſententiæ eſſe mentiantur, qui contrariam ſententiam defendat. Vah pudet impoſturæ & fraudium, quibus

bonas artes iſti veteratores & barbariei architecti cavillari, & ſi poſſint, ſubvertere annituntur.

DISPVTATIONIS NONÆ refellentis Sophiſmata Sennertiana veritatem doctrinæ de Calido innato impugnantia

DISCVRSVS SECVNDVS.

LXV. ETſi ex ſuperioribus ſufficienter demonſtratum fuerit, Calidum innatum eſſe ex elementis ſecundum omnes ſui partes ortum, tamen & in gratiam lectoris, & ut pleniſſimè D. Sennerto & ejus Ganymedibus ſatisfieri omnes boni & veritatis cultores intelligant, ex ipſius D. Sennerti inſtitutionibus, ubi rem adeò confusè & inconſtanter, ut Oedipo interprete opus ſit, tractat, candidè & ſine fuco eruemus, & lectori ob oculos ponemus, examinabimus, & falſitatem novorum paradoxorum divino freti auxilio ſine omni ambitione & livore, ſolo veritatis amore compulſi evidenter demonſtrabimus.

LXVI. De Calido innato D. Sennertus in inſtit. lib. 1. c. 5. inſtituit quæſtionem, an ſit elementaris, an verò alterius conditionis. Non eſſe elementaris originis & naturæ mordicus defendere conatur: atque ut hoc probet, originis & proſapiæ naturam, quâ ſit ſupra elementorum conditionem, vel ex origine materiæ vel ex formâ arceſſit, id perſpicuis verbis lib. cit. fol. 36. teſtatur cum inquit: Vel enim fatendum ſpiritum hunc non ex elementis componi, nobilioriſque quàm elementa eſſe naturæ, neque originem

ſuam

m primò ab elementis traxiſſe, ſed à creatore cum s rerum ſeminibus inditum fuiſſe. Vel ſi conceur eſſe hoc corpus elementare, illud omninò ſtandum eſt, habere ſuam eſſentiam à peculiari fori; de quâ infrâ lib. 5. p. 1. c. 2. dicetur, à qua illa æſtantia nobilioreſque actiones proveniant, & ob am cœlo dicatur analogum. Vt enim cœlum, ſi in compoſitio eſt ex materia & forma (negat enim c Averroës) non aliam quam hæc ſublunaria habeat materiam, ut ſentit quidem Scaliger exercit. 17 : 61. & neceſſariò omnes ſentire videntur, qui in elo compoſitionem ex materia & forma admitunt: tamen ob formam quæ eſt nobilior quam elementorum formæ, & ſuam materiam ſibi ita devinit & diſponit, ut ad alias formas recipiendas potentiam particularem non habeat, actiones edit nobiliſſimas, & generationi & corruptioni non eſt obnoxium, ita etiam hic ſpiritus ob formæ, quam nobiliorem quàm elementa obtinet, præſtantiam nobiliores actiones edit & τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ forſan non immerito analogus nominatur.

LXVII. Ex his, amice lector, clarè & evidenter patet D. Sennertum nobiliorem calido nativo originem quam habeant elementa & vim edendi actiones nobiliſſimas, elementorum facultatem excedentes, aſſignare, quod vel ejus materia vel forma ſit ſuprà elementorum conditionem & non elementaris naturæ.

Id quomodò tàm de materia quàm de forma demonſtrare intendat, ordine, quamvis ipſe & confusè & dubiè ferè omnia pertractat, videbimus. Et primò, quibus rationibus probare conetur materiam

Calidi

Calidi innati non eſſe ex elementis deſpiciemus. Prima probatio eſt ex teſtimonio Ariſtotelis lib. 2. de generat. anim. cap. 3. petita, ubi Philoſophus in hæc verba ſcribit. *Omnis animæ potentia corpus aliud participare videtur, idque magis divinum, quàm ea, quæ elementa appellantur. Vt verò nobilitate ignobilitateve animæ inter ſe differunt: ita & natura ejus corporis differt. Ineſt enim in ſemine omnium, quod facit, ut fæcunda ſint ſemina, videlicet, quod calidum vocamus. Idque non ignis, neque talis aliqua facultas, ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur, & natura, quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondens elemento ſtellarum.* Et poſt: *Calorem in animalibus neque ignem, neque ab igne originem ducere, manifeſtum eſt.* Ex quibus concludit, Calidum innatum omnino non eſſe ex elementis, neque tamen cœleſtis naturæ; ſed analogum elemento ſtellarum.

LXVIII. Originem verò hos ſpiritus & Calidum innatum trahere ex ſemine docet D. Sennertus loc. cit. fol. 35. ad quorum naturam pertineant, quæque fæcunda reddant. Semina verò non ex miſtione elementorum proficiſci, ſed generando à ſingulis ſpeciebus viventium ſui generis per traducem quaſi propagari & conſervari. Primum verò originem habere ſemina & in ſemine hunc inſitum ſpiritum calidumque innatum, ſine quo ſemen eſſe non poſſit, ex prima rerum creatione; & jam creatis & conſtitutis elementis ſingulis rerum viventium ſpeciebus omnipotenti creatoris vi indita. Dixit enim Deus: *Germinet terra germen, herbam producentem ſemen, arborem fructiferam facientem fructum juxta ſpeciem ſuam, cui inſit ſemen ſuum ſuper terram.* *Et piſcibus ac avibus juxtà*

ſpeciem

ſpeciem ſuam benedixit Deus, dicendo, Creſcite & multiplicami.

LXIX. Tertiò Calidum innatum eſſe originis ſuperelementaris ex hoc probare annititur, quod quælibet forma ſpecifica requirat οἰκείαν ὕλην, & nobilior forma requirat nobilius domicilium. Duo enim paulò ante dixit fol. 30. conſtituere proprium animæ domicilium: & quidem humidum mediatum; calidum verò nativum proximum & immediatum, quod οἰκείως animæ ſubjicitur, ut ſi corrumpatur ſubjectum hoc, animam ipſam è corpore migrare & vitam cum morte permutari neceſſum ſit.

LXX. Quarta ratio eſt, quod ut formæ viventium ſunt elevatæ ſupra elementorum conditionem, ita requiratur, ut inſtrumentum quoque elementorum naturam excedat. Artifex enim quilibet pro diverſitate operum requirit diverſa inſtrumenta: Et anima licet ſit principale agens, tamen non ſolam caliditatem eſſe ejus inſtrumentum, ſed totum corpus, quod calidi vel ſpiritus inſiti nomine venit, & non ſolum calore, ſed & aliis nobilioribus qualitatibus inſtructum eſt.

LXXI. Quintum argumentum pro excellentia Calidi innati ſuprà elementorum naturam eſt, quod in plantis, in quibus frigus excellat, Calidum innatum domicilium obtineat in actionibus edendis, quodque in plantis tempore hyberno in frigore & media glacie ſalvum atque incolume permaneat, quod fieri non poſſet, ſi eſſet elementaris naturæ.

LXXII. Pro ſexto argumento ipſi hoc ſervit, quod in animalibus & plantis admirandas actiones & ſympathias atque antipathias inveniamus, quæ procul

dubio

dubio (uti inquit) à ſpiritu inſito proficiſcantur, & neque ab elementis, quippe quod eorum virtutem & conditionem excedant, proveniant, & animæ adſcribi nequeant, quod in demortuis & animâ carentibus plantarum & partium animalium corporibus adhuc reperiantur, quales ſunt vis purgandi, venenis reſiſtendi, corpus veneno inficiendi, partes peculiares afficiendi. Quæ omnia à demortuis plantis per ſpiritum inſitum & humidum radicale ſuperſtes fiant, quo ſuperato reliqua corporis moles planè inefficax reddatur.

LXXIII. His rationibus D. Sennertus hactenus demonſtrare nititur, Calidũ illud innatum, quod proximum animæ ſubjectum & ejus tanquam formæ ſubjecta materia & inſtrumentum ſit, non componi ex elementis, neque elementaris naturæ eſſe. Quod cum nutritione & pabulo indigeat, neceſſum eſt, ut ſimili ſuperelementaris naturæ alimoniâ nutriatur & paſcatur. Quocirca ibidem ſtatuit, animalia & plantas, quæ homini cibi loco ſunt, non ex elementis ſimpliciter eſſe miſta, ſed continere humidum radicale ſuumque ſpiritum, quod in paſtum animali cedat, ejuſque humidum radicale & ſpiritum conſervet & reſtauret, quodque animal ſuo corpori apponat & οἰκεῖον faciat: reliquum corpus miſtum ut inutile excerni. Homo itaque ut ex elementis conſtat non nutritur, quia reliqua præter Calidum innatum & ſpiritum inſitum corporis moles, ut inquit D. Senn. eſt planè inefficax, & quod eſt in plantis & animalibus miſtum ex elementis ut inutile excernitur.

LXXIV. Nunc pergit docere & probare D. Sennertus, quod poſito & conceſſo hunc calorē ratione

materiæ,

:eriæ, ex quâ componitur, eſſe corpus elementa-
nihilominus neceſſe ſit, ut habeat particularem
nam, à qua ejus præſtantia & nobiles actiones
veniant, & ob quam cœlo dicatur analogum.
Ie verò rem elementaris materiæ vel corpus ele-
ntare propter formam nobilem nobiliſſimas ede-
ıctiones, quocirca & hic ſpiritus, licet ex elemen-
:compoſitus ſit, tamen propter formæ præſtantiam
biliores poſſet edere actiones, & non immeritò
llarum elemento analogus dici, quod exemplo
:li demonſtrat. Vndè verò hæc forma in calido &
ritu inſito oriatur qualiſq; ſit, ut cognoſcamus, re-
gat nos ad lib. 5. inſtit. p. 1. c. 2. In quem locum hu-
s quæſtionis ulteriorem tractationem ponit.

LXXV. Originem hujus formæ quod attinet, in
ı explicanda velut in cæteris dubius & inconſtans
ſt D. Sennertus & Pirrhonium hic ut in ſuperioribus
git. Primò enim has formas cum ipſis ſpecificis ani-
ıatorum formis, quæ ſcilicet ſine his nec eſſe & ſub-
ſtere, nec actiones ſuas exſequi poſſunt, fuiſſe crea-
as, & proinde cum ipſa cujuslibet rei anima propa-
;ari, & remanere poſtea etiam anima decedente, ut
ınem illum generalem præſtent, hominique in
Medicinà uſum exhibeant, aſſerit, idque ex hiſtoria
:reationis, uti ea in ſacris literis exſtat, probari poſſe
putat.

LXXIX. Verum cum in hac ſententia pedem fige-
re non audeat, aliam arripit, aitque eum nihil ab-
ſurdi ſentire, qui ſtatuat, animam, quæ ſui domicilii
ſit architecta & inſtrumenti accommodati fabrica-
trix, & convenientem pro ſubjecto ſibi diſponit
materiam, aliam formam inferiorem producere,

quæ

quæ ſibi in corpore diſpoſito inſtar ſubjectæ materiæ ſit. Cum enim anima generet in animato corpore lac, ſanguinem aliaque quæ formas ſubſtantiales poſſident, cur non etiam talem formam, quæ ſibi pro ſubjecto proximo inſerviat, generare queat? Hanc, ait, in viventibus reſpectu animæ & quamdiu cum anima eſt, rationem quaſi materiæ habere: & anima decedente remanere aliquamdiu, & formæ officio fungi, & cum primis cauſam eſſe facultatum & operationum, quæ in pluribus rebus amplius non viventibus deprehenduntur, & tamen ex elementorum qualitatibus aut formis provenire nequeunt; ab his proficiſci actiones illas, quæ dicantur totius ſubſtantiæ, quod ſcilic. ejus facultatis & actionis cauſa ſit forma ſeu λόγ☉ ἐσίας, has formas in rebus decedente anima tàm pertinaciter manere ut etiam in minutiſſimum pulverem redactæ eſſentiam ſuam non amittant.

LXXX. Cum vero quælibet forma requirit (uti D. Sennertus ait) propriam & adæquatam materiam, quæ una non niſi uni formæ ſubjicitur, cum qua ſimul eſt & ſimul interit, formæ dictæ propriam & immediatam materiam ſtatuit ſpiritum inſitum & humidum radicale viventium, ſeu balſamum naturale; In hoc primò reſidere formam, ut mediante hac parte toti inſit ſubjecto totaque materia οἰκεία reddatur ſuæ formæ: hanc adeò arctè cum immediata ſua materia ſubjecta cohærere, ut à reliquo corpore craſſiore, ſalva & omnes ſuas facultates retinens ſeparari poſſit. Corpus illud craſſum ſunt elementa, quæ excrementa, feces & quiſquilias vocat. Hunc ſpiritum inſitum humidumque radicale ſeu naturæ balſa-

balſamum ſua forma, à qua omnes occultæ qualitates promanent, inſtructum; quintam illam Chymicorum eſſentiam eſſe, quæ uti Ariſtoteli cœlum, quod ſit corpus incorruptibile, quintum elementum nominatur, non immeritò ut medicamenti nobiliſſima pars, puriſſima & elementaris naturæ omninò expers, jamque ab elementorum concretione & fecibus libera ferèque incorruptibilis, quintæ eſſentiæ nomine inſigniatur. Vide ut Paracelſicus Midas prodit auriculas.

LXXXI. Hactenus candidè recenſui verba & argumenta D. Sennerti, quibus Calidum innatum non eſſe ex elementis natum, nec elementaris conditionis probare contendit. Rationes cur ita ſentit partim ſunt Theologicæ, partim Philoſophicæ. Et ne parcant ſacræ Scripturæ ſanæque, & ut recepta totius Eccleſiæ & antiquitatis doctrinæ oracula convellant, textum Moſaicum quoque adulterare & contaminare non erubeſcunt: ex eo, quod ait Moſes, Deum tertio die creaſſe arbores & herbas ex terra, & terræ porro indidiſſe vim eaſdem producendi omnipotenti ſua benedictione, edito verbo *Germinet*, concludere nititur, ſemina continentia ſpiritum inſitum vel Calidum innatum non eſſe ex terreſtri & elementari materia: Et talis hic eſt argumentatio: Deus dixit, germinet terra germen, herbam producentem ſemen, arborem fructiferam facientem fructum juxtà ſpeciem ſuam, cui inſit ſuum ſemen ſuper terram: & piſcibus & avibus benedixit per *Creſcite & multiplicamini*. Ergo ſemina ex terra

verbo Dei producta non ſunt terreæ & elementaris eſſentiæ.

LXXXII. Verum hæc conſequentia & explicatio verbis textus Moſaici & totius Eccleſiæ tàm veteris quàm noſtræ orthodoxæ explicationi & ſententiæ è diametro repugnat. Ex hoc enim quod Deus Opt. Max. dicit, Terra germinet arbores fructiferas & herbas ſeminificantes, totius Eccleſiæ à tota antiquitate huc uſque irrupto conſenſu hactenus concluſum eſt, arbores, ſtirpes & herbas ex terræ eſſentia ejuſque eſſentię gremio productas eique vim & cauſalitatem materialem inditam in omnem mundi durationem tales ex ſe ſuoque ſinu promendi, éque tali eſſentia & materią & talis eſſentiæ, quales illæ primæ virtute divina è terra primitùs productæ ſunt: Quod dilucidè & irrefragabiliter probavi in explicatione operis ſextidui diſputat. 2. à theſ. 90. ad finem uſque.

LXXXIII. Verbo itaque *germinet* durabilis vis terræ eſt indita promendi herbas & arbores, idque vel immediatè ſine ſemine, vel mediante ſemine ex terra & elementis nato. Cum enim dixit, Germinet terra, & creſcite & multiplicamini, non concreavit rebus ex terra creatis ſeu animatis ſeu animalibus aliam ſeminum & Calidi innati materiam, quæ vera & potior eorum ſit ſubſtantia & quinta eſſentia, cujus theca, operimentum & matrix & indumenta ſunt elementa, ita ut potior & vera materialis eſſentia plantarum & animalium non conſtet ex elementis, ſed ſit quintum corpus, alterius & nobilioris quàm elementa originis, analogum cœlo (ferè) incorruptibile, in quo potiſſima eſſentiæ corporeæ ratio

tioconſiſtat, cujus reſpectu elementaria corpora, quibus illud veſtitum & circumdatum eſt, ſunt moles planè inefficax, ut inquit D. Sennertus lib. 1. inſtitut. cap. 5. fol. 34. & miſtum inutile: Ibidem fol. 36. & lib. 5. inſtitut. pag. 1. cap. 2. fol. 815. excrementa & quiſquiliæ elementares circumdatæ quintæ eſſentiæ. Quod ut magis confirmet, huic quintæ eſſentiæ lib. 1. inſtitut. cap. 5. fol. 36. aſſignat alimenta non ex elementari materia comparata & nata, ſed humidum radicale & ſpiritum inſitum plantarum & animalium, ut ſimile ſimili & quintæ eſſentiæ ſuperelementares quintis eſſentiis nutriantur.

LXXXIV. Verum enim vero planè contrarium dixit tradiditque Moſes, & à tota antiquitate huc uſque ſervata & continuata Eccleſia Orthodoxa irrupto conſenſu ex Moſe contrarium docuit. Et ut rectius intelligamus certiuſque cognoſcamus corpora viventium ſublunarium pure pute ex elementis conſtare, fabricam corporis omnium præſtantiſſimi animalis, videlicet hominis, nobis ita deſcripſit divina veritas, ut de ejus materiâ & eſſentiâ nullum obrepere poſſit vel debeat dubium. Corpus enim humanũ ex terra & limo à creatore eſſe factum, terramque ſeu limum ejus eſſe materiam, & non aliam præter elementa, ex hoc eſſe illud formatum, adeò ut & hominem ipſum nominet pulverem & in pulverem reverſurum ſolutumq; iri teſtetur. Quod ſi pulvis & terra materiaque elementaris verum corpus humanum non conſtitueret, ſed veri corporis ſit penula & matrix & indumentum & inutilis illi tantum circumdata moles & quiſquiliæ, quibus infelix illa quinta

eſſentia tantum gravaretur & palliaretur, ſanè falsò deſcripſiſſet nobis Moſes ejus fabricam omiſſa potiore & nobiliore ejus parte, malè humanum corpus, imò hominem propter alterius partis veram originem nominaſſet terram, & in terram reverſurum ſolutumque iri dixiſſet, cum nulla res dicatur perire & reſolvi, quando ejus indumenta ſolvuntur, neq; humanum corpus vel homo juxta partem materialem poſſit dici reſolvi in pulverem, cum ejus theca & matrix pulverulenta redeat ad terram: non verò quinta eſſentia & potior ejus pars, quæ ut ex terrâ & limo elementiſque nata non eſt, ita in pulverem & elementa redire nequeat.

LXXXV. Si verò humanum corpus, quod omnium ſublunarium nobiliſſimū & præſtantiſſimum, totum & integre & quantumcunque eſt intus & extus & ſecundum omnes ſui partes ex elementis conſtat juxta divinæ veritatis oracula & orthodoxæ Eccleſiæ à totâ antiquitate huc uſque continuatum irruptumque conſenſum, ſanè animalium & plantarum corpora melioris & ſublimioris conditionis æſtimanda non ſunt. Sed quid his opus rationibus, cum luculenta & diſerta Scripturæ verba hoc doceant?

Quin imò ſi teſte eadem Scriptura ejuſque cuſtode & interprete Eccleſia uniformiter de hoc ſentiente & conſentiente, omnes omnium viventium animæ, exceptâ humanâ, & omnia animalium genera ſecundum materiam & formam ſint ex elementis producta, ubi manebunt quintæ eſſentiæ Paracelſo-Sennertianæ? Si animæ & formæ omnes ſunt ex elementis earumque eſſentia longè nobilior corporibus Paracelſi & D. Senn. quinteſſentialibus, quomodo

lo non, quicquid corporeum in his inferioribus
ſtit, ex elementari conſtet materia, cum & ipſum
un (quod quintæ eſſentiæ corporeæ eſſe aliqui
:itant) Theologorum præſtantiſſimi ex elemen-
materia conſtare perhibeant: A qua ſententia
:met D. Senn. in inſtit. l. 1. c. 5. haud alienus eſt.

XXXVI. Verum ut quod res eſt, in nullius odium
. invidiam, dicam, ajo, neminem, qui vel medio-
cer in modernorum auctorum ſcriptis verſatus ſit,
iorare poſſe, quod hæc in ſacræ Scripturæ verita-
n blaſphema de quintis eſſentiis à Paracelſo Ma-
:arum artium poſtliminio reſtauratore profecta,
à fratribus Roſeæ Crucis Paracelſi diſcipulis pro-
er invidiam vulgi nomen Paracelſicę ſectę averſan-
bus aſſerta, ab horum patronis defenſa ſit opinio, &
ielioribus miſta doctrinis ſpargatur & ſeminetur in
cademias & ingenia novarum opinionum aviditate
rurientia.

LXXXVII. Id verò facillime cognoſcet, qui ex Para-
celſo intelligit corpus humanum cæterorumque vi-
ventium quatenus tale ſit, non conſtare propriè ex
elementis, ſed potiorem ejus eſſentiam eſſe ſuperele-
mentarem & quinteſſentialem, elementa eſſe ejus in-
volucra & indumenta inutilia corpora, à quibus ut
miſtis inutilibus ſi liberetur prodeat homo aſtralis
quinteſſentialis, qui ut ex elementis compoſitus non
eſt, ita nec diſſolvitur in ea, nec pulvis eſt nec in pul-
verem redit, ſed eſt incorruptibilis.

Ex hoc fundamento Paracelſicæ Philoſophiæ & Medicinæ, vetulæ detractis elementorum & miſto-
rum inutilibus corticibus repuellaſcunt, menſeſque recipiunt; decrepiti ſenes rejuveneſcunt floridaq; re-

ducitur ætas & juventus,ipſaq; immortalitas,quæ in Adam fuit ante lapſum.hic Eacum Medea recoquit. In hac doctrina fundantur quintę illę eſſentię rerum ſpiritualiū,qualis eſt illa roſæ ex cinere roſarum admoto ſubtus lumine exſilientis & ſeſe oſtentantis à Quercetano lib.de Herm.philoſ.def. deſcripta. Iſtos roſarum manes aut ſpirituales eſſentias in cinere hoſpitantes,cum pro fabulis,ut reverà ſunt,haberem,D. Senn.Paracelſici dogmatis perſonatus defenſor acerrimè in me deſtomachari non dubitat lib. de Gal. cum Chym.conſ.& diſſ.c.10.

Ne verò de hac re ſim prolixior, benevolū lectorem remitto ad diſp.i. in quâ ex profeſſo hanc de origine corporum ſublunarium,quomodo ex elementari penitus conſtent & producta ſint materiâ, doctrinam pleniſſimè pertractavi à theſ.88. ad finem examinis operis ſextidui ibid.propoſiti vid.ad th.126.

LXXXVIII. Ex his omnibus ſatis patet nullas dari quintas eſſentias inferiorum corporum, nullum eſſe corpus,quod ratione materiæ & formæ(excepto humano quo ad animam) non ſit à creatore factum ex merè elementari materia,quodque continua horum generatio,vi divinæ benedictionis fiat ex elementis, qua ipſis indita vis promendi materiam ad horum jugem & interruptam generationem, & ſpecierum per individua continua ſerie producendarum conſervationem, qualis rerum conſervatio divina perficitur potentia, ut eſt pia D.Auguſtini ſententia, qui *opere ſextidui abſoluto dixit Deum quieviſſe à creandis operibus novi generis,non ab operibus ſpeciei.* Quid autem quærat juratus ille humanæ ſalutis oſor & ſerpens antiquus per hujuſmodi opiniones & blaſphemias in veri-

veritatem divinam, divinare piis & euangelicam veritatem ſeriò profeſſis haut difficile fuerit.

LXXXIX. Vidimus non tantum quomodo ex ſacris literis hæc D. Senn. opinio de origine & quinteſſentiali natura Calidi innati defendi nequeat, ſed & uti ei maximè repugnet & ex iis abundè refellatur & falſitatis arguatur; quocircà ordo poſtulat, ut rationes, quas ex Philoſophiæ gremio producit, examinemus.

Semina & in his Calidum innatum vult eſſe altioris quàm ſunt elementa, & planè diverſæ & quinteſſentialis naturæ; quod ut intelligamus, an verum ſit, ſeminis originem, cauſam efficientem, materialem & formalem potiſſimum conſiderabimus. Proindè verã primò recitabimus humani ſeminis definitionem à ſummis Philoſophis & Medicis videlicet Laurentio, Duncano, Mercato aliiſque extructam verè adæquatã & ex veteris ſapientiæ monumentis deromptam: quæ talis eſt. Semen eſt corpus humidum ſpumoſum & album ex reſiduo alimenti ultimi & ſpirituum omnium permiſtione, vi & efficaciâ ſolâ teſtium excoctum elaboratumque ad teſtium alimoniam & perfectam animalis generationem. Ex qua liquidò patet, duo eſſe principia materialia ſeminis, videlicet ſanguinem & ſpiritus influentes à toto, uti volunt, corpore, ſed præcipuè à corde, cerebro & hepate. Efficientes cauſæ ſunt teſtes.

XC. De altero materiali principio videl. ſanguine, cum prius demonſtraſſet, ſemen non eſſe partem corporis, à quo generatur & excernitur, ſic inquit Ludov. Mercat. Conſtat ſemen eſſe laudatiſſimam ſubſtantiam ex reſiduo alimenti membrorum genitam, non quod ſemen ſit ſuperfluum alimenti, ſed

quod ex reſiduo tanquam ex materia cum ſpirituum fiat commercio, ad teſtium alimoniam & generationem præſtandam. Itaque quod membra alimenti renuunt poſt ſaturitatem, id ad teſtes delabitur, non quod tanquam inutile regerant, ſed quod ſuperabundet; & ob id ſenes & pueri ſemine non abundant, quod hi in augmentum omne conterant alimentum; illi verò minus quam par ſit pro nutrimento generent. Itaque præſtat ſemini materiam non quævis ſanguinis pars, ſed reſidua à membris ſignataque rudi quâdam ſigillatione. *Nam, ut inquit D. Thomas, alimentum quod in principio eſt diſſimile, in fine omninò ſimile efficitur: Ex quo conſtet, in medio eſſe in potentiâ proximâ ad finem, ſcilicet ad formam determinatam. Vnde fit, ut alimentum primò accipiat in jecore virtutem quandam communem reſpectu omnium partium corporis, & in fine determinetur ad hanc vel illam partem. Ex quo alimento, rudem illam determinationem nacto, ſemen progignitur accedentibus undique ſpiritibus tanquam delatoribus formativa virtutis, quæ ſi non viget in præcipuis membris, ſaltem præeſt in teſtibus, quibus omnibus ſemen fieri genitale arbitrandum eſt.*

XCI. De altera ſeminis parte materiali idem ſic loquitur: Vt natura corpori provideret & ſpeciei, decrevit officinam quandam conſtituere, ad quã reliqua membra præcipua ſpiritũ & calorem tranſmitterent, per copioſas venas, arterias & nervos huic muneri dicatas; ſiquidem ex ea materia & ſpiritum complantatum & fœtui materiam erat præſtitura. Quas ſanè ſubſtantias vi Caloris innati teſtium & eorum facultate in unum cogit natura & ex omnibus unicum gignit ſpiritum appellatum Genitivum, cunctis

cunctis profectò calidiorem, efficaciorem & majoris momenti. Laurentius, Duncanus cæterique majorum gentium Philoſophi idem confirmant. Et non minùs eleganter quam ſignificanter eandem ſententiam ipſe D. Sennertus in Epitome natur. ſcient. lib. 8.c.1. exprimit his verbis: Generatio fit per ſemen, quod in teſtibus elaboratur, ad quos è reliquo corpore ſanguis, ſpiritus & calor per venas, arterias & nervos tranſmittitur, atque ab iis in unam naturam redigitur, quæ ſemen nominatur, & caloris & ſpirituum in toto corpore quaſi compendium eſt.

XCII. Quod vero teſtes ſint cauſæ efficientes ſeminis Mercatus teſtatur, cum inquit: Sicut in reliquis membris gignitur ex ſanguine proximum membrorum alimentum; ita profectò in teſtibus ex ultimo membrorum alimento cum copioſo ſpiritu ſemen. Et Fernelius lib. 7. phyſiol. c. 4. Teſtes materiam ſeminis concoquunt, ac planè in alteram ſpeciem convertunt, ſimulque ei formam, à qua ſemen eſt & appellatur (quemadmodum mamma lacti ſpeciem) ex ſe tribuunt.

XCIII. Vim autem plaſticam ſemen à teſtibus potiſſimum accipere, docet Mercatus his verbis: *Teſtes itaque cum ſint ſedes formativæ potentiæ, materiam ſibi commiſſam à toto corpore concoctione & calore proprio diſponunt ad potentiam illam formativam ſuſcipiendam, & præſtant implantantque ſpiritum illum formatorem (ex omnium ſpirituum conventu) in ſeminis materiam, quæ effecta eſt oleoſa, aërea & pinguis, quibus ſemen evadit non ſolum teſtibus ſimile alimentum, verum & genitale, ſpiritu formatore plenum & facultatis formativæ veluti ſubjectum, ut dum opus fuerit, in actum devehatur ille ſpiri-*

tus mediante formatore illo ſpiritu & calore. Et idem paulo poſt: *Spiritibus à corde & cerebro venientibus coctione ſanguinis in ſemine inplantatis ſemen acceptat vim prolificam.* Vnde demùm concludit, *duo ad ſemina requiri; primùm teſtes, qui ſemini præſtant facultatem formandi in ſpecie, & diſponendi ad formam ejusdem ſpeciei cum genitoribus: ſecundum verò quod ſit etiam in ſemine aliud, quod formationem illam contrahat ad accidentia & conditiones individuales, quæ præſunt in parentibus; quorum primum præſtant teſtes, quatenus ſedes ſunt formativæ facultatis: ſecundum verò prodit ex ſigillatione materiæ ſeminis ac ſpiritus illius, quem diximus eſſe formatorem, ſeu immediatum formationis inſtrumentum: quippe ex membris parentum decidua & iis conditionibus inſignita in teſtes deſcendunt, ut ſemen genitale fiat & ſibi ſimile nitatur effingere. Hinc, poſtea inquit, conſtat id, quod omnibus eſt conceſſum, nimirum in parte ſeminis ſpirituoſa virtutem eſſe formativam, quæ educit animam vegetabilem è materiæ potentia: ſiquidem neceſſum eſt ipſum ſemen corrumpi & verti in membra fœtus ſeu embryonis, quem omnes ſtatuunt primò vitam plantæ ſortiri.* Quod D. Sennertus loco citato eâdem ſententiâ exponit cum inquit: Ex utroque ſemine tanquam duabus partialibus cauſis unum principium & una cauſa totalis emergit, à qua unus motus ad fœtus productionem. Et dein: *Concepta in utero ſemina ab innata uteri vi foventur, & vis in ſemine latens excitatur, & organorum expreſſio fieri incipit.*

XCIV. Ex his conſtat de cauſa efficiente ſeminis, de materia, forma, origineque virtutis ſeminalis. Si enim non modo ipſum ſemen in corpore humano formam ſuam accepit, ejuſque tàm proxima quàm ante-

antecedens materia, quales ſunt ſanguis, chylus & ſpiritus vitales, animales & naturales in animato corpore ex elementari materia generantur; neque ſolum in eorum ſpirituum generatur ſubſtantia, ſed & viribus ſuis facultatibuſque, quibus pollent, in partibus principalibus ex materia elementari genitis inſigniantur, & ut loquitur Mercatus, ſigillantur, perſpicuum fit ſemina animalium & hominum cum primis ex non alia quàm elementari materia proficiſci, nec in prima creatione jam creatis & conſtitutis elementis, ſic eſſe indita ſingulis rerum viventium ſpeciebus, ut ab his quaſi per traducem propagentur, cum animalibus & rebus viventibus non innaſcantur & congenerentur, ſed tunc demum cum ad perfectam ætatem adoleverint, ab iis & in iis ex alimentis & elementis generentur. Quod ſuperius luculenter probatum eſt.

XCV. Semen enim quo ad partem ſpirituoſam ex influentibus conſtat ſpiritibus, quorum D. Sennerto omnium quaſi compendium eſt. Atque inter hos eodem D. Sennerto teſte in Inſtit. lib. 1. c. 6. naturalis fit è ſanguine ſubtiliato ejuſque quaſi aëratione: Vitalis fit ex naturali & aëre, ope reſpirationis & arteriarum dilatatione attracto, in ſiniſtro cordis ventriculo, miſtis & elaboratis & in corpus tenuiſſimum ac pænè cæleſte redactis: Animalis ex puriſſima vitalis per carotidas delati parte cum aëre reſpirationis ope permiſta, fit per concoctionem in cerebro ejuſque ſinubus, & à cerebri ſubſtantia nova inſignitur forma. Hi ſpiritus etſi penè eandem originem habent, magnamque partem ſunt aërii, ut pro aëris puritate vel impuritate puriores vel impuriores

riores generentur, dicente D. Sennerto, tamen in diverſis quibus generantur partibus diverſam accipiunt formam, ut formis differant & ad diverſos uſus comparentur, & alter alterius uſum præſtare nequeat. Nec enim naturalis vitale officium perficere, nec vitalis in parte, quæ animali ſpiritu orbata ſit, ſenſum & motum comparare poteſt, teſte eodem D. Sennerto.

XCVI. Ex his omnibus liquido demonſtrari poteſt. Quomodò verba Ariſtotelis lib. 2. de generat. animal. c. 3. à Doctore Sennerto allegata ſint intelligenda, quando inquit: Calidum quod in ſemine eſt faciatque ut ſemina ſint fœcunda, non eſſe ignem ſed ſpiritum, qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur, ejuſque naturam proportione reſpondere elemento ſtellarum. Spiritus enim ille ignis non eſt nec ignis vel igneus dici meretur, quod non ex ſolo igne, ſed magnam partem ex aëre cæteriſque elementis, ex quibus tenuiſſima illa ſubtiliati ſanguinis portio nata eſt, originaliter conſtat; & multò minus ignis dici meretur, quod puriſſima illa ſubtiliatorum elementorum ſubſtantia in corde & cerebro non ſolum novam acceperit formam, ſed & per coctionem ita elaborata ſit, ut penè in cœleſtem naturam dicente & docente D. Sennerto ſit converſa, quæ ubi in corde & cerebro tàm nobili metamorphoſi ſit exaltata & tot tantiſque & tam variis virtutibus inprægnata & inſignita, & ut loquitur Mercatus, ſigillata, mittitur ad teſtes, ibique præter cætera accipit virtutem plaſticam & generativam; adeoque, cœlo & cœleſtibus corporibus elementoque ſtellarum verè ſit analoga & ratione ſubſtantiæ æthereæ & penè

cœleſtis,

cœleſtis, tum ratione virtutum & cumprimis facultatis generatricis, quâ in teſtibus inſignitur, cujus merito cœlo & cœleſtibus corporibus ad omnium in his inferioribus generationem mediatè vel immediatè concurrentibus vel eam perficientibus (ſol enim & homo generant hominem) proportione reſpondere appoſitè & rectiſſimè dicitur. Hic ſpiritus eſt illud in ſemine ſpumoſum corpus, & illud calidum in ſemine, quod ſemina fœcunda cæloque ratione generationis & virtutum, analoga facit: Hoc eſt illud corpus, quod Philoſophus magis divinum vocat: ſolet enim, interprete Zabarella, Ariſtoteles aliquid appellare divinum comparatione rerum ignobilium: ſic 1. phyſic. formam vocat divinam reſpectu materiæ, ex cujus tamen potentia illa orta eſt. Et hæc vera eſt & genuina ſententia & verborum ſummi philoſophi explicatio, ex ipſius rei eſſentia & natura ſine fuco deducta.

XCVII. Hinc patet infrunita viciſſim objectio, quam Ganymedes in tract. de Calid. innat. fol. 62. ponit, ubi clamat, mihi probandum eſſe, quod ex elementis poſſit fieri corpus elementis nobilius, quodque elementorum conditiones excedat. Id vero ex ipſo D. Sennerto probo, qui ex aëre & ſanguine per concoctionem fieri ſpiritus vitales & animales aſſerit: perque illam coctionem in diverſis membris diverſam formam accipere in Inſtitut. lib. 1. c. 6. docet. Spiritus autem nobiliora eſſe elementis corpora propter formam, quam per coctionem docente D. Sennerto in membris diverſis accipere nobiliorem ipſe aſſerit. Vide igitur inutilem blateratorem turpiter oppedentem ſuo Præceptori, & garrientem, quod

quod uti è pane nulla coctione poſſit fieri caſeus, ita neque per coctionem fieri, ut corpus elementare fiat ſupraelementare. Vbi nota quod nunquam dixi ſuperelementare corpus (quale illi volunt eſſe Calidum innatum, non ego) fieri ex elementari, licet ex elementis nobilius fieri corpus, quam ipſa ſint elementa, omnes ſani affirmant propter formam nobiliorem, quæ tamen omnes in ſublunaribus, uti probatum eſt, ex elementaris materiæ potentia (excipe rationalem animam) productæ ſunt, ita & formæ & qualitates nobiliores ex elementaris materiæ potentiâ elementis nobiliores educuntur: ita ex elementis fit cibus, ex cibo chylus, unde & forma ſanguinis & carnis cæterarumque partium educitur, quæ elementis eſt nobilior. Quod poſtea negat ex influentibus ſpiritibus generari in teſtibus illum ſpiritum, qui poſtea eſt generati corporis inſitus, illud & contra principia eſt & contra ipſum D. Sennertum garrire.

XCVIII. Cæterorum clariſſimorum virorum etjam rectè ſentientium explicationes eruditiſſimas prolixe non commemorabo: non poſſum tamen, quin clariſſimi Archangeli Mercati, totius ſcholæ Peripateticæ ſententiam paucis verbis complectentis explicationem ex dilucidationibus ipſius, quæ exſtat. fol. 450. hic adducam: Ad illam autem Ariſtotelis authoritatem 2. de generat. animal. quæ plurimis hac in re errandi occaſionem dedit,

XCIX. Dicimus, Ariſtotelē, cum inquit, calorem in ſemine contentū non eſſe calorē ignis, nō intelligere eſſe re & natura diverſum à calore ignis, quoniam idem eſt, id ex eodem probatum fuit, ſed intelligit

non

non eſſe calorem ignis & quoad gradum, & quoad virtutem: quoad gradum quidem, quia calor, ut eſt qualitas ignis, in ſummo eſt, totamque latitudinem implet, ut vero in viventibus exſiſtit, remiſſus & attemperatus, ita ut calor ignis jure dici non poſſit, quoniam ut calor ignis in ſummo eſſe debet: quoad virtutem vero, quia calor ut igni ineſt, vitalem virtutem non habet, neque vim animal procreandi, quin imò urendi & deſtruendi virtutem habet:in viventibus verò, non amplius torridam urentemque facultatem habet, ſed vitalem & animantium procreatricem, ita ut in viventibus quoad virtutem non amplius debeat igneus appellari, & hoc eſt,quod Ariſtoteles ſignificare voluit, cum dixit, in ſemine aliquid contineri quod fæcunda facit ſemina, quod calor vocatur, cujus natura proportione reſpondet elemento ſtellarum: quorum verborum is ſenſus eſt, quod in ſemine calor continetur, qui licet igneus elementariuſve ſit, ejus tamen virtus proportione non reſpondet virtuti caloris elementaris, quoniam hic animantia procreandi facultatem non habet, ſed proportione reſpondet calori cœleſti;quoniam ſicuti virtus caloris cœleſtis poteſt animantia procreare, fœcundave ſemina facere,ita & virtus caloris, qui in ſemine continetur; quare licet calor innatus viventium & elementaris ſecundum rem unum & idem ſint, maximè tamen diſcrepantem agendi vim & facultatem habent, tùm ex modi diverſitate, tùm ex diverſitate agentium, à quibus moderantur. Etenim calor, ut igni inexſiſtit intenſus eſt & immoderatus, idem in viventibus moderatus & temperatus eſt, pariter ut calor igni eſt,à forma ignis regulatur,quæ

viventia

viventia procreare non poteſt, idem verò in viventibus ab anima regulatur, à qua & vita & viventia procreantur. Sed quoniam Philoſophus addit, calorem in ſemine contentum (neque ab igne originem ducere) quæ verba non leve negotium videntur facere, ea propter à nobis expendenda ſunt. Dicimus autem Ariſtotelem non intelligere calorem in ſemine contentum ſecundùm eſſentiam ab igne originem ſuam non ducere, quoniam cum elementaris ignisque proprietas ſit, ab igne promanat, ſed intelligit, quoad virtutem agendi, & ut generationis author eſt, nec non quoad menſuram & gradum quo in ſemine reperitur. Enimvero agendi vim, ut ex ſemine animantia procreare poſſit, ab igne non habet, ſed à generante ejus virtute agit, animamque traducit, ſicut etiam calor innatus in vivente exiſtens, ut nutritionis cauſa ſit, originem non trahit ab igne ſed ab anima, cujus eſt inſtrumentum, ſimiliter eſſe attemperatum, quod in ſemine habet, ab igne non acquirit, cum potius ab eo eſſe habeat immoderatum atque intenſum, ſed à generante & ab anima, quæ ex ſemine traduci debet, in genere tamen cauſæ finalis. Nam cum anima neque ex ſemine traduci, neque in materia conſervari queat, niſi medio calore naturali & temperato, ea propter operæ pretium eſt, ut in ſemine calor in quadam temperatione in gratiam animæ generandæ producat, ſicut etiam in arte uſu venit, cum cibaria à calore ignis decoquuntur. Nam licet calor, qui cibaria concoquit ſecundum eſſentiam, ab igne ſuam originem trahat, tamen quoad eſſe attemperatum vireſque concoquendi non pendet ab igne, quoniam ab hoc nec unum, nec alterum

rum habet, quin imo ſi ſuæ naturæ ignis relinquatur, comburet, alimentaque corrumpet: ſed quoad illa duo, pendet à coquo, qui calorem attemperat, ejuſque vires concoquendique menſuram largitur, & ſecundum hanc rationem calor, quamvis ignis ſit, non tamen calor ignis dicitur, ſed calor artis, & hic, ni fallor, verus eſt & germanus illorum verborum intellectus. Hactenus Mercenarius.

C. Secundum argumentum, quo D. Sennertus probare annititur, Calidum innatum non eſſe naturæ elementaris, à Fernelio mutuatus eſt; ſed me hercule valdè ineptè & frivolè. Ratio talis eſt: Vbi minor calor à majore frigore non vincitur, ibi neceſſum eſt calorem non eſſe naturæ elementaris, quia contraria ejuſdem generis neceſſariò in ſe mutuo agunt, & quod horum fortius eſt alterum opprimit. Calorem vero iſtum licet minorem quoad gradus ab elementari frigore non opprimi demonſtrant exempla plantarum, quarum calor in media hyeme & glacie frigoreque intenſiſſimo non exſtinguatur, quo ſalvo & ipſæ plantæ incolumes permaneant, uti videre ſit in ruta. Hoc pacto in ſeminibus exuperante frigore, & in ſerpentibus natura frigidioribus, & in papavere algidioris temperamenti à frigore ſuperioris gradus & abundantiore non exſtingui calorem.

CI. Verum hic primò notanda fraus & fallacia D. Sennerti ejuſque Ganymedis & Subornati propugnatoris. Fernelius, quem pro ſe allegat, loquitur de calore, ut eſt qualitas, eamque divinam & cœleſtem eſſe probare ſatagit, ſubſtantiam verò ſpirituoſam & humidam, à quâ ſubſiſtit, elementaris eſſe naturæ omnino concedit. Calorem illum, qui in ſpiritu

æthereo ſubſiſtit eſſe qualitatem, verum totam divinam & cœleſtem lib. 4. phyſiol. cap. 6. docet: & eodem lib. cap. 2. & ſeqq. probat, ſpiritum illum, in quo iſte calor cœleſtis ut qualitas hæret elementaris eſſe conditionis. D. Sennertus contra calorem quatenus accidens eſt, & cum corpore Calidi innati ſpirituoſo illud, quod Calidum innatum propriè vocamus, conſtituit, illique denominationem largitur, elementaris eſſe naturæ, & ſpiritum, in quo hæret, eſſe ſuperelementaris conditionis ſtatuit, uti ſupra ex pluribus D. Sennerti locis & ſcriptis demonſtravimus, & cumprimis videre eſt lib. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 9. fol. 244. Vide, amice lector, quàm turpi impoſtura rudis ignaræque juventutis ingenia corrumpere, & bonis atque eruditis fucum facere non dubitent iſti Triptolemi.

CII. Qualitatem illam ſeu calorem eſſe elementarem locis citatis & paſſim concedit docetque D. Sennertus, & non tantum hoc, ſed præterea illum eſſe ſpiritus illius ætherei & ſuperelementaris inſtrumentum, quo ad omnes actiones ſuæ ſpeciei convenientes utatur: Quin imò prædominium in illo ſpiritu habere caliditatem, à qua ſpiritus ſeu ſubjectum nominetur, apertè docet lib. 1. Inſtit. c. 5. Quod ſi ita ſit, duo neceſſariò ſequi neceſſum eſt: primum, ipſum calorem ſeu caliditatem, quæ qualitas eſt, neceſſariò à frigore elementari ut ſuo verè contrario impeti & oppugnari & tandem opprimi, cur vere non celerius citiuſque minor calor elementaris opprimatur à majore frigore, id non ſtare per calorem, ſed per aliam cauſam ſuperiorem, quæ calore utatur: ſecundum quod, hoc calore oppreſſo, etiamſi ſpiritus, cui ineſt,

eſt, quem illi falſo ſuperelementaris naturæ eſſe di-ctitant, incolumis permanere poſſit, quia à frigore non impetatur, tamen omnes ejus actiones vitales, adeoque vitam ipſam quam exercebat, interitu hujus qualitatis, cujus opera eaſdem expediri docuerunt, intercidere, atque ita rem perire neceſſe ſit. Corrupto enim inſtrumento proximo, quo vita & vitales perficiuntur actiones, principalis cauſa, imò ipſa anima vitam amplius ſervare nequit. Falſum verò eſſe quod caliditas in Calido innato ſit inſtrumentum ſpiritus, ſupra vidimus, ubi demonſtratum eſt, Calidum innatum quatenus ex ſpiritu & caliditate conſtat, proximum & adæquatum eſſe animæ inſtrumentum, ut & ipſe D. Sennertus fatetur in Inſtit.cap.5.& ex Ariſtot. 2.de gen. animal.cap.3. patet, adeoque calorem non eſſe ſine ſpiritu & ſpiritum ſine calore poſſe perficere actiones animæ, ut hoc abolito & actiones animæ & totum, cui ineſt anima, & ſpiritum ipſum perire neceſſe ſit.

CIII. Deindè tandem per acutiora frigora rutæ helleborique caliditatem non perire, ipſaſque plantas à nullo demum frigore interire ipſa experientia teſte falſiſſimum eſt. Cur autem diutius cæteris aliquibus perſtent durentque rationem dedimus in diſputat. de Calid. innat. idque prolixius in ſequentibus docet Mercatus. Cæterum ſi vera eſt Ariſtotelis ſententia, qua ſtatuit, quod ut animæ nobilitate vel ignobilitate differant, ita & natura illius corporis quod calidum vocamus, ſanè homini nobiliſſimam animam adepto, nobiliſſimum quoque & robuſtiſſimum contra omnes injurias contigiſſe,

quodque longius imò prorſus reſiſtere hyemali & brumali frigori & glaciei poſſit, decernendum foret; ſed quàm parùm iracundo frigori reſiſtat, quàm ſubito ſuperetur & exſtinguatur tam in parte quàm toto, experientia docet, tantum abeſt, quod vel per unam noctem inſtar rutæ vel hellebori externam iſtam frigoris inclementiam impunè tolerare poſſet.

CIV. Sed & operæ pretium eſt adſcribere, quomodo ad hanc ab adverſa parte ex Fernelio emendicatam rationem reſpondeat Archang. Mercenarius lib. delucidationum fol. 488. ubi inquit: Vt habita jam reſolutio ab omni ambiguitate vindicetur, opus eſt, ut Fernelii rationes expendamus, & ad primam dicimus: Propoſitionem illam, quæ ab ipſo accepta eſt, ab eo contrariorum, quod reſpectu alterius infirmius atque depreſſius eſt, actionem provenire non poſſe, de eo intelligendum fore, quod ſecundum virtutem & agendi poteſtatem infirmius atque debilius eſt. Iam verò licet calor innatus in eo viventium genere, quod ſuperius relatum fuit, ſecundum gradum frigore depreſſior atque inferior ſit, non tamen ſecundum virtutem & poteſtatem agendi, quoniam cum calor ſit majoris activitatis atque potentiæ, quam frigus, tàm exigua graduum inæqualitate aut agendi poteſtatem non amittit, aut certè quam minimam, ita ut in eo agendi poteſtas conſpectu frigoris adhuc relinquatur. Poteſt & illa propoſitio ſecundò ita intelligi, quod ab eo contrariorum, quod infirmius eſt, actio perfectè & exactè minimè provenit, ſubobſcurè tamen & imperfectè promanare poteſt. Cum autem in ſerpentium frigidarumque ſtirpium genere calor innatus depreſſior ſit, vitæ functio-

functiones exercere non poteſt, imperfectè tamen eas agit, quæ illorum viventium generi conveniunt, ſicut etiam in ſenio jam conſtitutis hominibus contingit, in quibus licet calor innatus frigore infirmior ſit, opera tamen vitæ exercere poteſt, quamvis ſubobſcurè & imperfectè. Ad ſecundam, Negatur calorem innatum non habere frigus ſibi contrarium, ut ex retro habitis ſatis patet. Ad probationem dicimus, ibi Ariſtot. mortem naturalem definire, quæ in animalibus ſenectus dicitur, in plantis autem ἄναυσις ſeu ariditas, quæ non fit per corruptionem caloris à contrario, ſed per impotentiam reſpirandi, quia amplius eventari & refrigereſcere non poteſt, unde intenſior factus illud humidi reſiduum abſumit, ad cujus abſumptionem ipſe quoque corrumpitur, ut ipſemet Ariſtoteles declaravit lib. de reſpir. c. 7. ubi hæc ſcribit. Porrò vitæ principium in quibus habetur deficere ſolet, cum calor vitalis non refrigeratur, tunc enim idem, quod ſæpè diximus, ſeipſum conſumit &c. Et paulò poſt addit. Cæterum mors, quæ in ſenili ætate contingit marcor illius partis eſt, qui quod eam refrigerare animal præ ſenio non poſſit, committitur: ſed licet mors naturalis non fiat per corruptionem innati caloris à contrario, ut ipſe docuit Ariſtoteles lib. de juvent. & ſenect. c. 5, ac proinde concepit calorem innatum habere frigus contrarium, à quo interdum exſtinguitur. Quæ tertio afferebatur loco nullam prorſus probabilitatem habet: quia licet cadaver, ſulphur & arſenicum & conſimilia inanimorum corporum genera, innatum habeant calorem, qui elementaris eſt, vitam tamen non habent, neque calor elementaris in eis eſt vitæ

 operum

operum cauſa. Siquidem calor innatus non per ſe ipſum ſuapteque natura animantibus vitam tribuit, ſed virtute animæ, quâ cum corpora jam denumerata deſtituta ſint, quamvis calorem innatum intrà ſe teneant, vitam non habent. Enimvero Fernelius quod animæ tribuendum eſt, calori innato adſcribit, ut ignorare videatur, quid animæ proprium, quidve caloris innati. Hæc Mercenarius.

CV. Sed inſtat Ganymedes Sennertianus in tractat. de Calid. innat. fol. 47. & ſeqq. reponendo, non quæri an bruta & plantæ lædantur frigore, ſed quî fiat quod in animantibus frigidis frigus intentiſſimum non exſtinguat calidum remiſſum. Duo extremè contraria, quorum alterum intenſiſſimũ & alterum remiſſum in uno ſubjecto manere non poſſe. Quæ objectiones uti omnia ipſius meræ ſunt cavillationes, calumniæ & fraudes. Ad primã reſpondemus, Omnino quæri, an homines & bruta & plantæ à frigore lædantur & pereant. Lædi & perire veriſſimum eſt & negari non poteſt. Lædi verò & perire non poſſunt, niſi illud, in quo incolumitas & vita animantium & plantarum conſiſtit, lædatur & pereat: Atqui illa conſiſtit in Calido innato? Ergo illud lædi, opprimi & exſtingui neceſſum eſt. Cum verò à frigore res pereat, conſequens eſt Calidum innatum à ſuo contrario lædi & exſtingui. Si enim Calidum innatum foret omnino ſuperelementaris naturæ, tùm neque à frigore ullo modo lædi, multò minus perire poſſet. Atqui læditur & perit.

CVI. Verum ille reponit: rutam & helleborum non perire, ſed in medio gelu vigere & vivere aliis calidioribus & ſolidioribus peremptis. Deinde folio

ſequenti,

ſequenti, plantas, bruta quædam & homines à frigore lædi, ſed Calidum innatum iſtarum plantarum & brutorum unà non lædi: ſic cum ſphacelatur manus, non omne quod in manu eſt directè à frigore peti, alias anima rationalis etiam pro hoſte frigiditatem haberet. Agere frigus in ſubjectum quatenus illud frigidum vel calidum, quo fracto ſalvum manere nequeat, licet multa in eo ſint, quæ directè à frigore non patiantur. Rationem addit, quod Calidum innatum in roſmarino à frigore corrupto non deſtruatur, quia exinde poſſet educi (videlicet chymicè) ſpiritus.

CVII. Verum omnia quæ ibi recenſet pro vanæ opinionis defenſione, non tantum falſa, ſed & ſeſquipedalia mendacia ſunt. Primò rutam & helleborum etiamſi cæteris plantis longius reſiſtant frigori, non lædi aut omnino non perire mendacium eſſe norunt illi, qui in hortis ſuis hæc colentes eadem tàm à ſummo frigore quàm extremo calore, niſi foveantur, perire obſervant. Quod dicit animantia & ſtirpes à frigore lædi, ſed eorum Calidum innatum non lædi, implicat contradictionem & eſt petitio principii. Per quod enim valemus & ſani ſumus & vivimus, illud lædi neceſſum eſt, ſi qua ſtirpes & animalia affligere læſio debet. In manu vero ex frigore vel alia cauſa ſphacelata adhuc ſupereſſe ſalvum ac incolume nec à frigore petitum Calidum innatum, in quo vita reſidet, quodque proprium iis dicitur animæ domicilium, ſcurrile & pudendum eſt impudentis veteratoris mendacium. Turpius & piaculare mendacium eſt, quod æquè minus à frigore patiatur, illud Ca-

lidum innatum, quam anima rationalis, quod ille animæ quoad eſſentiam & ſubſtantiam hic comparat, ego verò elementaris per omnia & ſecundum omnes ſuas partes ſubſtantiæ eſſe, ſuperius ſufficienter demonſtravi. Si enim Calidum innatum in manu ſphacelata non periit, neque etiam petitum eſt, & illud ſit proprium animæ proximumque & immediatum ſubjectum & inſtrumentum dicente D. Sennerto, in quo vita, & quo mediante anima vitam ſervat, certè manus ſphacelata non eſt mortua, tantumque abeſt, quod ſit corrupta, ut poſtquam elementari corpore à frigore læſo & corrupto tanquam inutili & inefficace mole, uti id nominatur in Inſtit. D. Sennert. lib. 1. cap. 5. & lib. 3. p. 1. cap. 2. liberata, verè ſit quinteſſentialis facta & ferè incorruptibilis, ut loquitur loco citato.

CVIII. Verum enim verò ubi in ſphacelatis partibus ullæ reliquiæ incorruptibilitatis? Extrahe ibi ſpiritum è carne & membris corruptis, uti de roſmarino affirmas? Sed quod ex roſmarino frigore penitus corrupto prædicas, ſpiritum poſſe elici, id pari crimine falſi laborat, & pari facilitate potes mentiri, in roſmarino à frigore corrupto eſſe ſpiritum roſmarini & ſpiritualem eſſentiam, qua D. Sennertus eſſentiam roſæ ſpiritualem & manes roſæ affirmabat habitare in cinere roſarum. Cum enim iſti novatores nec rationibus nec experientia poſſint defendere ſuam novam Fratrum Roſeæ crucis artem, provolvuntur ad mendacia & calumnias. Sed quid opus rationibus & verbis pluribus contra iſtos moroſophos? antè ſufficienter probatum eſt, Calidũ

innatum

innatum prorſus eſſe originis & naturæ elementaris, ideoque neceſſum ut à frigore lædatur. Vbi in quæſtione manſit, cur aliæ herbæ & alia animalia aliis citius à frigore lædantur, corrumpantur & intereant. Rationem adduxi ex bonitate temperaturæ viventis & hanc ſequente corporis ſoliditate & robore. A temperie enim & ſanitatem & vitam actioneſque vitales & naturales omninoque omnes in viventibus pendere nemo negat, niſi qui principiis veritatis impudenter oppedere animum induxit.

CIX. Addidi cœlum concurrere tàm ad rerum generationem univerſalem & particularem, quàm rerum ejus virtute mediatè vel immediatè generatarum conſervationem: ab eoque hæc omnia pendere, & conſervari in eſſe & vivere ſuprà demonſtratum eſt. Vti enim certa cœli facie & conſtitutione prodeunt etiam per medias hyemes & nives herbæ, & aliæ atque aliæ etiam certis menſibus, ita etiam ab ea, quæ ex terra eduxit & generavit, conſervantur. Non opus eſſet multifariis iſtis calumniis & blaterationibus, quæ ab illo in tract. de Calid. innat. fol. 45. evomuntur, dummodo diſcat illa, quæ in diſputat. 1. de vi corporum cæleſtium in hæc inferiora & poſtea in 3. diſputat. propoſuimus. Si item Scaligeri ſententiam ibidem à me allegatam ruminetur, quę talis eſt exercit. 6. n. 2. Pro cæleſtium corporum viribus, concurſione, miſtione, alienatione aliud atque aliud tum fieri tum eſſe, tum fieri tum eſſe deſinere. & ibid. n. 5. pendere hæc noſtratia à ſuperioribus, & ſuperiores eſſe formas conſervatrices inferiorum; quia hæc ipſa cauſa cauſarum tuetur ea quæ fecit per ea quæ fecit. Idcircò enim movemur, quia moventur

illæ, & ſumus quia ſunt, &c. Vbi notandum quod uti Scaliger ibi cauſam cauſarum nominat cœlum, licet Deus revera ſit cauſa cauſarum, ita & Philoſophi complures cœlũ naturæ naturantis nomine ornent. Sed & in hoc calumniandi libidinem prodere non dubitavit.

CX. Altera ratio, quâ unam intenſiſſimam & aliam remiſſam qualitatem in uno ſubjecto non poſſe ſubſiſtere garrit, vaniſſima eſt, & indigna quæ vel à Phyſicæ initiato proferatur. Nunquid tertii gradus calorẽ in ſubjecto eodẽ habente frigoris ſaltem unicum conſiſtere docent nos herbarum & ſtirpium rerumque vegetabilium temperies? Exceſſus verò unius qualitatis aliam non ſtatim abolet, ſed ſi viribus & gradibus longè ſuperior ſit, intemperiem creat, non ſtatim contrariæ qualitatis internecionem. Quomodo verò in ranis & ſerpentibus, ubi ſuperius eſt & excellit frigus, nihilominus calor ſit cauſa vitæ, ratio eſt, quod frigus opera naturæ primo & hoc modo non ingrediatur, ſed calor ſit proximum animæ inſtrumentum, quo vitam operetur & conſervat, quodq; calor, quatenus ab animâ dirigitur ad vitam & vitales actiones, & ad opera naturæ & totius conſervationem adhibetur, licet minor ſit frigore majore ad hoc à natura nõ adhibito nec obſtare potente, nihilominus vitam vitaleſque actiones pro cujuſque naturæ conſtitutione & requiſitis perficiat & conſervet. Vnde fit ut in frigidis naturis calor æquè vitam & vitales actiones perficiat quàm in calidis. Fiunt enim actiones naturæ à calido commenſurato. Talem verò calorẽ, qui etiam frigidis animalibus & piſcibus ineſt, eſſe igneæ originis Fernelius lib. 2. phyſ. c. 4. docet.

CXI. Ter-

CXI. Tertium argumentum, quo ſuperelemen-
m naturam Calidi innati demonſtrare ſatagit à
ilitate formæ ſumit, aitque in inſtitut. lib. 1. c. 5.
iliorem formam opus habere nobiliore ſubjecto
nobiliore domicilio. Quocircà neceſſum eſſe, in-
Ganym. in tract. de Calid. innat. f. 9. quod formę
iliores & diviniores formis elementorũ etiã ha-
it nobilius & divinius ſubjectum & domicilium.
rum hanc rationem nihil facere ad probationem
ilitatis & naturæ ſuperelementaris Calidi nativi,
ſius D. Senn. ſcriptis & ex eodem capite, quo
i ſui plus quàm immemor ponit, ſufficienter po-
demonſtrari. Cœlum enim non aliam quam hęc
unaria habere materiam ipſe cum & ex Scaligero
itur, quod cum formam nobiliorem habeat ele-
itaribus formis, materiam ſuam adeò arctè ſibi
inciat, ut ad alias formas recipiendas potentiam
icularem non habeat. Vnde Scaliger exercit. 61.
iit: *materiam hujus compoſiti, quod humanum corpus llamus, non aliam eſſe materiam à materiâ ſtercoris vel vel crocodili.* Ex quâ Scaligeri ſententiâ patet,
eſſe neceſſum, ut nobilior forma habeat nobi-
m materiam pro ſubjecto, quia ſubjecti nobili-
formâ comparetur; deinde quod corporis hu-
i & animalium potior pars, quæ formæ ſubjici-
non conſtet ex quintis eſſentiis.

CXII. Secundò huic aſſertioni quod anima inſit
corpori mediante Calido innato, ipſe D. Sennert.
tifariam contradicit. Prima contradictio eſt,
d in phyſ. lib. 3. c. 3. profiteatur, formam miſtio-
ex elementaribus formis coalitam, eſſe ani-
loco ſubjecti & materiæ. Quod in inſtitut.
medic.

medic.lib.5.p.1.cap.2. vice verſa rotundè negat ſtatuendo, animam, quæ eſt forma viventium, pro ſubjecto & materia, qua mediante inhæreat & inſit corpori organico, requirere nobiliorem formam, quam quæ eſt ex elementis concreata, & quidem talem, quæ reſpectu animæ & quamdiu ſit cum anima, rationem quaſi materiæ habeat; verùm anima recedente remaneat aliquamdiu & formæ officio fungi incipiat, quam cauſam ſublimium operationum eſſe profitetur: & hanc immediatè eſſe in Calido innato, illud eſſe ejus proximam & propriam materiam & ſubjectum, quo mediante Calido innato reliquo corpori inſit, quodque per hanc reliqua corporis materia fiat οἰκεῖα & propria forma.

CXIII. Hic, amice lector, vide abſurdorum & contradictionum concatenatam ſeriem. Siquidem lib.1. inſtit. c. 5. inquit, hæc duo proprium animæ domicilium conſtituunt: & quidem humidum mediatum, Calidum verò innatum proximum & immediatum, quòd οἰκείως animæ ſubjicitur, id ſi corrumpatur ſubjectum hoc animam ipſam è corpore migrare neceſſum ſit. Verum in inſtit.lib.5.p.1. cap.2. ſtatuit animæ ſubjectum eſſe aliam formam, quam ipſa anima genuerit, nobiliorem elementis, qua mediante inſit Calido nativo primùm, & hoc mediante totius corporis materiæ.

Vide, amice lector, inconſtantiam novorum paradoxologorum, & exſecrabilem nova dogmata parturiendi libidinem, & turpiter oppedendi antiquitatis veritati pruriginem. Quot hic contradictiones! quot principiorum petitiones, quot falſorum axiomatum introductiones; nec enim (uti poſtea latius videbimus)

mus) forma ſit materia & ſubjectum formæ, nec forma ineſt per formam, alioquin forma formæ eſſet, quod abſurdiſſimum eſt, nec ulla forma per formam inhæret materiæ, nec forma eſt diſpoſitio materiæ. Et res ſeu ſubſtantia compoſita conſtat ex actu & potentia, non ex duobus actubus. Et licet formæ elementorum maneant in miſtis, quas quaſi refractas eſſe dicit Scaliger, tamen ex iis non fit nova miſti forma, quæ ſit ſubjectum formæ animalium proprium, quod modò ait, modò negat D. Sennertus. Et notandum, nullam formam miſtorum in generatione corporum elementarium inducere rationem quandam materialem corporis ad miſtionem miſtiq; corporis generationem exceptis elementaribus. Sed hac de re poſtea latius.

CXIV. Formam autem omnem materialem informare quamlibet materiæ partem immediatè, & totam eſſe in toto & qualibet parte ejuſque minutiſſima quaque particula totam, quod partem extra partem non habeat, Ariſtotelis & veteris Philoſophiæ eſt decretum à D. Sennerto in phyſ. repetitum & propoſitum: imo non ineſſe per aliud quippiam, quod ſit medium aut vinculum animæ vel formæ cum materia ſaniores ex Ariſtotele ſtatuunt.

CXV. Quartum argumentum, quo conatur probare neceſſum eſſe ut Calidum innatum ſit ſublimioris originis quàm elementa, ejuſdem cujus proximè antecedens eſt farinæ. Nobiliorem formam, ait, nobilius requirere inſtrumentum: Ergo ſequitur Calidum nativum, quod eſt inſtrumentum animæ, non eſſe ex elementis, ſed quinteſſentiale quippiam. Rationem addit, quod diverſi artifices diverſa requi-

rant

rant ad artis ſuæ opera inſtrumenta, neque hujus artificis inſtrumentum conveniat alteri: faber ferrarius non utitur bipenni, neque lignarius malleo.

Verum à nobilitate principalis efficientis cauſæ concludere de eſſentia inſtrumentalis ridiculum eſt. Hoc enim eſt argumentari à fabro ad malleum, & concludere, ſi faber eſt quinteſſentialis, neceſſario talis quoque erit malleus & bipennis. Diverſitas artis & artificum requirit diverſa quoad ſpecies inſtrumentorum genera, non quoad materiam: poteſt enim & malleus inſtrumentum fabri ferrarii & bipennis inſtrumentum fabri lignarii eſſe ex ferro. Neque enim nobilior artifex & cauſa efficiens ratione originis, quo ad eſſentiæ ſeu materiæ & formæ originem, requirit nobilius inſtrumentum, quia inſtrumenti ratio non conſiſtit in dignitate materię, ſed in formâ accidentali, per quam eſt inſtrumentum. Sic ipſe D. Sennertus calorem, quem elementaris naturæ & originis eſſe prædicat, inſtrumentum eſſe ſpiritus archigani quem ſuperelementaris naturæ facit, docet quod ex locis anteà frequenter citatis clarè patet. De ratione inſtrumentorum pluribus ſupra actum eſt.

CXVI. Quintum argumentum, quo probare ſtudet D. Sennertus Calidum innatum eſſe ſuperelementaris naturæ, ex his compoſitum eſt ratiunculis, quod operationes, elementorum conditionem ſuperantes, quas edit nobiliſſimas, pleræque non ſint ab animâ, quia in demortuis & animâ carentibus adhuc animadvertantur, quales ſunt vis purgandi corpus, veneno inficiendi, particulares

partes

partes afficiendi. Nec enim, inquit Subordinatus in tract. de Calid. innat. fol. 55. cranium humanum vi animæ rationalis Epilepſiæ medetur, aut pulvis rhabarbari per animam plantæ purgat.

Verum enim vero hic iterum ſcopas diſſolutas & contradictiones meras ponit & profert D. Sennertus, ſiquidem quas lib. 1. inſtit. cap. 5. operationes à ſpiritu innato, elementis jam conſtitutis creatiſque ſingulis, rerum viventium ſpeciebus indito & concreato, fieri aſſerit: lib. 5. verò inſtit. p. 1. c. 2. ſui immemor eaſdem non à ſpiritu inſito, ſed à forma, quæ facultatum & operationum elementarem conditionem excedentium cauſa ſit, & ab anima generata ſit, proque ſubjecto habeat ſpiritum inſitum & Calidum innatum, fieri dicit. Hanc formam ibi occultarum qualitatum & magnarum facultatum & operationum mirabilium eſſe cauſam docet, quarum omnium rationem & originem anteà immediatè ad ſpiritum inſitum, uti quinteſſentiale corpus elementis & rebus viventibus jam creatis concreatam, tanquam cauſam referebat.

CXVII. Hactenus vidimus quomodo allaborent probare ſpiritum hunc inſitum non eſſe elementaris originis; nunc videndum quomodò in hac, pro qua tanquam pro ara & hara certavit & cum Ganymede ſuo pugnavit D. Sennertus, ſententia ſibi conſtet & perſiſtet: id verò apparebit ex ejuſmet ipſius verbis l. 1. inſtit. c. 5. Vel enim, inquit, fatendum ſpiritum hunc non ex elementis componi, nobilioriſq; quàm elementa eſſe naturæ, neq; ſuam originem primò ex elementis traxiſſe, ſed à creatore cum ipſis rerum ſeminibus elementis inditum fuiſſe. Vel ſi

conco-

concedatur eſſe hoc corpus elementare, illud omninò ſtatuendum eſt, habere ſuam eſſentiam à peculiari forma, de qua infra lib.5. p.1.c.2. dicetur, à qua illa ejus præſtantia nobilioreſque actiones proveniant, & ob quam cœlo dicatur analogum: hactenus D. Sennertus.

CXVIII. Vides, amice lector, D.Sennertum Pirrhonium agere; ipſummet neſcire, quid ſtatuat aut ubi pedem figere debeat vel poſſit, noviſq; ſuis paradoxis non audere fidem facere, & ſaltem ambiguè iis inhærere, unde & bonas artes corrumpi, & ingenia juventutis turbari, nihilq; certi & veri comprehendi poſſe, neceſſum eſt.

Talis itaque ejus eſt miſerabilis & in ambiguitate anxiaque dubitatione diſcurſus. Calidum innatum edit actiones, quæ excedunt conditionem & naturam elementorum: Ergo erit quo ad originem & eſſentiam materialem non ex elementis compoſitum & ortum: vel ſi ſit juxta materiam elementaris eſſentiæ, neceſſum eſt, ut inſtar cæli, quod ex eadem cum ſublunaribus juxta Philoſophos præſtantiſſimos conſtat materia, habeat nobiliorem quandam formam, cujus merito & opera nobiliores quàm ab elementis venire queant operationes, proficiſcantur, & per quam cœlo dicatur analogum. Qualis verò ſit illa forma Calidi innati, quæ origo & cauſa ſit magnarum in rebus facultatum & ſympathiarum & antipathiarum omniumque occultarum qualitatum, quæque in animatis juncta Calido innato quintas animatorum conſtituat eſſentias, corruptis animatis ſeparabiles, quæque remotis elementorum inutili

utili mole & maſſa & quiſquiliis ferè ſint incorruptibiles, ulterius inquirendum.

CXIX. Sed videamus nunc de ortu & origine harum formarũ: Etſi verò in hac quæſtione Pirrhonius & ambiguus ſit, quidq; certò ſtatuere debeat, vix dijudicet: vel enim, inquit, cum ſpecificis animatorum formis fuiſſe creatas, & cum ipſa cujuslibet anima propagatas, hoc fine ut illa decedente finem generalem hę præſtent: vel, ſi hoc non ſit, indè originẽ ſuam traxiſſe, quod anima uti domicilii ſui ſit architecta, ita etiam hanc formam inferiorem generaverit, quę ſibi in corpore diſpoſito ſit inſtar ſubjectæ materię, quãdiu animata vivant. Rationem aſſignat talem, quod animæ ſeu formæ viventium ſint nobiliſſimæ, quæ idoneam requirant materiam & diſpoſitionẽ, in qua recipi, & per quam actiones ſuas exercere poſſint. Hanc ſolas elementorum formas præſtare non poſſe putat, ſed materiam, quę ſubjici formis animatorum & corpus organicum conſtituere debeat, oportere pluribus eſſe qualitatibus inſtructam, formaq; ornatam nobiliori quàm ſint elementa. *Hanc formam reſpectu animæ & quamdiu cum anima eſt rationẽ quaſi materiæ habere, verùm anima recedente, remanere aliquamdiu & formæ officio fungi ac inprimis eſſe cauſam facultatum & operationum, quæ in pluribus rebus non amplius viventibus deprehendantur, neq; tamen ex elementorũ qualitatibus vel formis provenire poſſint: unde & actiones à tota ſubſtantia nominantur, quod ejus actionis & facultatis tantùm ſit cauſa, forma ſeu λόγ⊕ ὐσίας & ſubſtantia agentis. Hæc vero forma non ſtatim decedente anima perit, ſed cum materia etiam in minutiſſimum pulverem redacta manet.*

 CXX. Hæc

CXX. Hæc eſt ſententia D. Sennerti candidè & auctoris ipſius verbis recitata: quam ſi introſpicias rectè, abſurdorum & contradictionum pelagus continere animadvertes. Primò occurrit triplex contradictio. Prima eſt lib. 1. inſtit. ubi c. 5. inquit: *Calidum & humidum, in quibus vita animatorum conſiſtit, proprium conſtituere animæ domicilium: & quidem humidum mediatum: Calidum verò innatum proximum & immediatum, quod οἰκείως animæ ſubjicitur, ut ſi corrumpatur ſubjectum hoc, animam ipſam è corpore migrare & vitam cum morte permutare neceſſe ſit.* Altera opinio huic contraria exſtat in epitom. natur. ſcient. lib. 3. c. 3. fol. 228. ubi inquit: *Illud, quod animæ loco ſubjecti erat, erat forma miſtionis.* Et paulò poſt: *Forma enim miſtionis in animato reſpectu totius animati ferè non erat loco formæ, ſed ſubjecti potius & materiæ.* Et fol. ſeqq. *Poſt viventis interitum remanet forma miſtionis, & in generatione prius producitur forma miſtionis quàm anima.* Tertia opinio eſt his è diametro contraria: hæc enim ſtatuit animam pro ſubjecto non habere immediatè Calidum innatum, nec formam miſti ex elementorum formis conſarcinatam & coalitam, ſed aliam ſecundariam ab anima genitam longè nobiliorem illa, quæ ex elementarium formarum concretione coalitu nata eſt, quæ pro ſubjecto immediato habeat Calidum innatum & anima recedente in illo permaneat, actioneſque mirabiles & ſupra elementorum vires edat, & demùm ſeparata à Calido innato & ſpiritu inſito, elementorum inutili mole & maſſa ac quiſquiliis remotis, conſtituat quintam eſſentiam corruptibilitatis omnis ferè expertem, &c.

CXXI. Cui

CXXI. Cui ſententiæ nunc adhærebis, amice lector? quam arripietis ſtudioſi veritatis? primam? mediam? an ultimam? Vltima D. Sennerto videtur acceptior, quia Paracelſica & Ariſtoteli Galenoque magis contraria, prurientibus imperitæ juventutis ingeniis & novarum opinionum aucupibus plauſibilior. Sed & hæc examini ſubjicienda; Formam hanc ab anima genitam in proprio corpore aſſerit ut ſubjectum proximum & proprium animæ eſſe. Rationem addit, quia in corpore eadem generat ſanguinem, lac aliaque ſubſtantialem formam habentia, ſitque ſui domicilii architecta.

CXXII. Verum hæc ratio primò ipſis D. Sennerti principiis immenſum repugnat. Nam D. Sennerto omnis generatio eſt univoca, nulla verò æquivoca. Omnis illi forma oritur & propagatur multiplicatione ſui per diviſionem, & ſic anima non poteſt generare aliam formam, quam animam, quæque ſuę ſit prorſus eſſentiæ. Si itaque hæc forma non ſit anima (anima verò eſſe nequit, quia eſt in cadavere ſuperſtes,) ſed diverſum quid ab anima, datur generatio æquivoca, quod eſt contra D. Sennertũ. Deinde hæc forma generatur ex eſſentia animæ per diviſionem juxta D. Sennerti mentem, vel generatur ab anima uti ex potentia materiæ ab eadem producatur, veluti cum ex chylo facit ſanguinem; vel ex nihilo producitur. Atqui ſecundum priorem modum generationis non generatur: eſſet enim animæ ſimilis, & Rhabarbarum decedente anima priore non foret cadaver. Neque ſecundum alteram generatur ſententiam: negat enim D. Sennertus, ullam formam ex potentia materiæ educi. Ter-

tiæ opinioni pariter apertè contradicit, nullaſque ex nihilo generari formas ſeverè teſtatur ibid. de Gal. cum Chymic.conſ. & diſſ. c. 9. Quid hinc ſequitur, mi lector? vanam eſſe omnem paradoxologiam D. Sennerti.

Sed & præter hæc falſo nititur principio hæc vana novatorum opinio. Ponit enim pro fundamento actum formarum entitativum, qui nullus eſt, uti ſuperius demonſtratum fuit. Si enim anima, dum ſui corporis domicilium fabricatur, prius generat formam quandam ſecundariam, qua loco ſubjecti proximi utatur, nondum ineſt actu formativo, uti diſtinguit Ganymedes Sennertianus in tractat. de form. orig. Atqui nullum dari actum entitativum animarum & fomarum corruptibilium in vel extra materiam diſputat. 2. ſupra prolixius demonſtratum eſt. Vnde admodum impertinenter allegatur generatio ſanguinis & lactis habentium formam ſubſtantialem. Generantur enim hæc, ut ipſe inquit, in corpore animato & à formâ actu corpus informante, non à formâ actu entitativo exſiſtente, neque eſt in illis ut in ſubjecto.

CXXIII. Tertiò aphiloſophon eſt & ſanæ veritatis principiis extremè repugnat, formam pro ſubjecto & materiâ habere aliam formam: unde ſequeretur formam habere formam, quod abſurdiſſimum eſt, & formam ineſſe per aliam formam ut per diſpoſitionem materiæ, quod falſiſſimum; *ſiquidem diſpoſitio materiæ, per quam ineſt forma, & materia, proprium & immediatum ſit animæ ſubjectum, non eſt ſubſtantia, ſed qualitas & temperies craſiſque, quâ mediante hunc vel illam potius recipit formam; & ex actu & potentia oritur*

ſubſtantia corporum, non ex duobus actibus: & actus *tat proximè materiam, non actuat actum, neque per* *im ſubſtantialem eſt in materia. Diſpoſitio enim eſt* *paratio materiæ ad receptionem formæ, & ultima diſpo-* *ɔ eſt quaſi forma introductio. Hac diſpoſitione median-* *introducitur forma; hac illæſa hæret perduratque in* *teria; hac utitur pro inſtrumento ad operationes; ea-* *m quodammodo læſa edit actiones læſas; & graviter* *treméque afflicta in ſubjecto amplius permanere ne-* *uit, ſed interit; & cum eâ perit tota ſubſtantiæ ratio,* *rma, ſi ſit corruptibilis & ex potentia materiæ orta,* *materiæ potentiam redeunte. Vti enim ex nihilo* *on eſt, ita in nihilum non redit, & ut corrupta mate-* *ia actum non habet entitativum, qua ut forma ex-* *iſtat, ita in potentiam materiæ recedere neceſſum eſt.*

CXXIV. Quartò formam non ineſſe per formam, aut habere aliam formam pro ſubjecto: exempli gratia, formam rhabarbari non eſſe in corpore ejus per aliam formam, quæ ab anima rhabarbari ſit genita & immediatè ſit ſubjectum rhabarbari, ex hoc ſolo vel liquidiſſimè patet, quod nulla forma ſubſtantialis, quam diu integrum & incorruptum eſt ſubjectum, perire poſſit, ſiquidem nunquam à contrario, cui nullum contrarium ſit, perit, quocirca eam ex ſubjecti corruptione ſolummodò perire neceſſe eſt. Id quod ipſe D. Sennertus in inſtitut. lib. 5. pag. 1. cap. 2. luculenter confirmat, teſtatur & ex decretis veteris Philoſophiæ aſſerit & explicat his verbis: *Porrò requirit forma quælibet οἰκείαν & propriam ὕλην ſeu adæquatam materiam, quæ non niſi uni formæ ſubjicitur & cum hac ſimul eſt & ſimul interit.*

 Quid

Quid apertius, quid verius dici poſſit? Hinc jam ſequitur formam Rhabarbari ſeu animam Rhabarbari interire non poſſe, quamdiu ſubjectum ejus proximum, quod eſt forma ſecundaria à ſe genita, ut ei pro materiâ ſubſerviat, integra eſt. Hanc verò adeò integram & incorruptam eſſe pereunte animâ & formâ Rhabarbari, docet D.Sennertus, ut eâ defunctâ hæc formæ officio fungatur, & nobiliſſimas operationes, eaſque quas actiones totius ſubſtantiæ nominant, edat & perficiat. *Nulla verò corruptibilis perit niſi forma pereunte ſubjecto eoque ſalvo perire nequit & nuſquam eſt quam in ſubjecto.* In tales contradictionum & abſurditatum labyrinthos oportet incidere illos, qui antiquam & receptam veritatem deſerentes, novas ſectas condere, aut affectatam moroſophiæ Paracelſicæ monarchiam ſtatuminare aut introducere intendunt.

CXXV. Hinc effulget & ſequitur, non poſſe perire animam rhabarbari, niſi pereat forma ſecundaria à ſe genita, cui immediatè inhæret, neq; hęc perire poteſt niſi pereunte Calid. innato ſpirituq; inſito, atqui hoc niſi intereat, nec vivēs ullū interire poteſt, eoq; ſalvo ac incolumi mori nequit. Vnde turpiſſima eſt & in veritatem blaſphema ſententia: rem animalem mori ſalvo calore & ſpiritu innato, fierique cadaver privatione vitæ ſive adſit ſive abſit Cal. innat. Scuticâ dignum eſt hoc effatum ſcurrile. Si verò illud calidū ſit impatibile nullumque habeat contrarium (nec enim venena illi adverſantur, quia cōtraria ſeſe interimentia ſunt unius generis) neq; ſic dependeat ab elementari materia, ut eâ corruptâ pereat vel intereat, ſed cum ab illa tanquā inutili mole & maſſa, qua circumdata,

data, onerata & veſtita erat, liberatur vel per ſe vel cũ forma ſua ab anima genita conſtituat quinteſſentiam fermè incorruptibilem, neceſſum eſt animantia nunquã verè ægrotare neq; mori & fieri æterna: ſiquidem morbus eſt affectus præter naturam lædens actiones: actiones naturales vitaleſq; quibus natura animantium conſervatur pendent à Calido innato, non à rerolleis elementorum qualitatibus. Morbus omnis inducitur à contrario naturali temperici & moderationi; atqui Calido innato nihil eſt contrarium: Ergo animalia non ægrotant neq; moriuntur. *Plaudite vitalem quæcunque per aëra ſpirant.*

CXXVI. Verum ut nihil intactum relinquamus, quid eſt quod anima viventium non poſſit pro materia & ſubjecto habere materiam elementarem? Ad hoc reſpondet lib. 5. inſtit. p. 1. cap. 2. animas & formas viventium, quia nobiliſſimæ ſunt, requirere idoneam materiam & diſpoſitionem, in qua recipi, per quam actiones ſuas exercere queant. Quocirca requirunt pro ſubjecto nobiliorem formam, quàm ſint formæ elementorum, quæ inſtructa ſit qualitatibus.

CXXVII. Hujus rationis falſitatem ut dignoscas, notanda eſt primùm contradictio ſuperius ex Physic. D. Sennerti allegata, ubi ſtatuit, animarum viventium ſubjectum eſſe formas ex elementorum omnis conſarcinatas: deindè cum dicit, formã quamque requirere idoneam materiam & diſpoſitionem, in qua recipi & per quam actiones ſuas exercere poſſit, ſe ipſum refutat, quod eo ipſo non obſtante vetuſtatis amplectatur ſententiam, quâ rectè & aſſeritur, formam recipi in materia diſpoſita

ſeu per diſpoſitionem materiæ, per quam poſtea actiones ſuas perficiat. *Nulla enim forma ſubſtantialis eſt diſpoſitio materiæ, quia diſpoſitio eſt qualitas, non ſubſtantia, & forma non ineſt per formam, neque eſt forma inſtrumentum, ſed id eſt qualitas.* Deinde ſubjecti ignobilitas non facit quo minus nobilior forma ineſſe nequeat. Siquidem animæ rationalis & hominis materiam eſſe pulverem & lutum, eique immediatè ineſſe animam, ex ipſa creationis hiſtoria diſput. 1. explicata demonſtratum eſt; adeoque pulverem eſſe, ut Scriptura hominem ratione eſſentiæ materialis pulverem nominet, quòd ex pulvere factus & in pulverem reverſurus ſit. Cum enim Deus ex luto effigiaſſet corpus humanum, inſpiravit in nares ſpiraculum vitæ, quod eſt anima, eâque informavit corpus, ex luto & pulvere, non ex aliis quintis eſſentiis aut atomis impatibilibus inalterabilibuſve factum, uti hæreticè & blaſphemè contra & præter ſacram Scripturam docent novæ ſectæ Paracelſicæ novi reſtauratores. Et ſane nobiliſſima forma in ignobiliori & elementari materia eſſe, eamq; informare poſſe ipſe D.Senn. admittit l. 1. inſt. c. 5. ubi largitur formam nobiliſſimam in ignobiliore materia eſſe eamq; informare poſſe exemplo cœli, cujus nobiliſſima forma eandem communemq; cum ſublunaribus materiam ſic informat, diſponit & devincit, ut ad alias formas nullam habeat potentiam particularem nobiliſſimaſque edat operationes, nec generationi & corruptioni ſit obnoxium.

CXXVIII. Has rationes, quibus abundè probavi, formam non informare per aliam formam, quæ proximum ſpecificæ formæ ſit ſubjectum, & quod for-

næ non ſit forma, & forma non habeat forn, & antea in diſput. de morb.ſubſtant. theſ. 37. ii, refutare conatur corruptionis bonarum litem Profeſſor Ganymedes Sennertianus in tract. norb. ſubſtant. quæſt. 7. Sed vide lector quàm riliter & impudenter ſeſe opponit. Reſpondet tiones datas, quod forma non informet per forn, neq; ſit proximum ſubjectum formę, formam cipalem non rarò requirere ſubjectum, quod ſit præditum formis. Hoc ait me negare, & ob id iere, formas elementorum non manere in miſto. ide, inquam, cum nihil habeat, quod reſpon-, mendaciis tueri opinionem ſuam nititur, maperfricato ore mentiri, quam veritati cedere. dixit aut ſcripſit D. Freitagius, formam non e eſſe in corpore, in quo inſint aliæ formæ? Freii effatum hoc nunquam fuit, ſed Ganymedis nertiani, calumniatoris impudentiſſimi turpiſſin mendacium eſt. Hoc autem pro principio ſtaat & adducebat veriſſimo, quod cum formæ ſit forma, neque forma habeat formam, fori quoque nulla pro ſubjecto aliam formam ha- & per eam ineſſe poſſit. Nuſquam dixit, formam poſſe ineſſe corpori habenti formas: ſed hoc di- adſtruit, quod corpori habenti formas non inr iſtas formas: ita forma ſpecifica corporis non corpori miſto & ex elementis conſtante per as elementares, quas primò & ut proximum i ſubjectū informet, quibus mediantibus inforporrò cęterum corpus & materiam ſuppoſitam. XXIX. Deinde in quæſtione erat, an forma ſpeci rei aliam aliquam generet formam in ſubje-

ćto, quæ recedente ſpecifica viciſſim officio formæ fungatur, & ſubjectum contineat, & operationes formæ priori debitas exerceat. Pro exemplo ſervit D. Sennerto Rhabarbarum: ille vult, Rhabarbari formam ſpecificam generare in eodem ſuo ſubjecto aliam formam, quæ animâ Rhabarbari recedente officium formæ arripiat, & operationem purgativam Rhabarbari exerceat.

Hoc negat D. Freitagius: impudens Ganymedes affirmat, & ſimili qua antea impoſtura & mendacio defendere conatur. Audite impoſtoris verba propria, quæ ſunt hujuſmodi: Neque vanum neque fal- „ſum eſt, recedente principali forma remanere for- „mas cæteras, ſuique ſubjecti eſſe conſervare & pro- „prias vires ante ligatas exercere. Cujus rei exemplũ „evidens eſt in formis elemẽtaribus. Veriſſimè enim „formæ elementorum, quæ antea actu erant in cor- „pore humano, remanent in cadavere, propria ſua „ſubjecta conſervant, operationeſque liberè exercent. Vide hic tot fraudes & mendacia, quot verba, Primò, formæ elementorum non ſunt generatæ à forma ſpecifica in ſubjecto, ut eâ recedente ſubjectum, quale erat ſub forma ſpecifica, conſervent in ſua miſtione & craſi cum Calido innato, ejuſque operationes proprias exerceant.

Vnde ſcurrile & impudens eſt quod objicit id quod à nemine negatur, videlicet, moriente homine in cadavere manere formas elementares, quæ propria ſua ſubjecta videlicet elementa conſervent, & operationes videlicet elementares exerceant. Hoc enim erat in quæſtione, an in corpore miſto & ex elementis conſtituto remaneat forma quædam ab

elementis

entis diverſa (qualem vult D. Sennertus hanc
ıima genitam eſſe) quæ in eo à ſpecifica genita
aque intereunte formæ officium arripiat. Cor-
umanum cum per mortem ſolvitur in elemen-
ıs formas retinentia, tùm hæ formæ nec ſubje-
ı, quale fuit prioris formæ, ejuſque craſin &
ıntiam conſervant, ſed quodlibet ſuam pro-
ı continet & exercet operationes non prioris
æ, ſed elementares. Vnde manet hoc verum,
nulla ſpecifica forma generet in ſubjecto aliam
am, qua utatur pro ſubjecto immediato, &
ſpecifica recedente officium formæ viciſſim in
arripiat. Sed præter dignitatem viri honora-
ſeſe volutare amplius cum tàm impudenti
ı.

XXX. Quod porrò nugivendus ait, me agere ſo-
am cum dico, formam, ſi non immediatè infor-
, ſed mediante alia, per accidens informare, &
r accidens ineſſe, id ex impudenti ejus profici-
ignorantia. Patiatur ſeſe doceri à Galeno lib.
ferent. ſympt. c. 1. ubi diſertè tradit, id quod
lium agit per accidens ſeu ex accidenti agere:
ıſa morbi, quia mediante morbo lædit actio-
per accidens agere dicitur Galeno. Si itaque
ı informat per aliam formam, prior per acci-
ıgit, & per accidens ineſt. Quod ait, animam
primò & per ſe ineſſe corpori, ſed mediante
o innato, illud & contra veteris Philoſophiæ
ıtem eſt, & prorſus repugnat Ariſtoteli & ſoli-
tioni. Corpus enim, ut ex Ariſtotele docet
cl. Martin. in metaphyſ. fol. 279. ſe habet in po-
ı non ad ſpiritum, ſed ad animam, & ſicuti
(dicta-

(dictatore Ariſtotele)nullum eſt vinculum vel nulla alia cauſa unionis ceræ & ſigilli ceræ impreſſi, quam potentia ceræ, quæ apta eſt recipere & retinere ſigillum; ita in corpore nulla alia eſt cauſa unionis cum anima niſi potentia in corpore & ſuſcipiendi & recipiendi animam, & eadem ratione in materia potentia ſuſcipiendi & retinendi formam. Ad cæteras ſtultitiæ rationes reſpondere velle, eſſet hominis ſtulti & inepti.

CXXXII. Quod porrò ait, cùm dico omnem formam ita ineſſe materiæ, ut eam penitus prorſuſque proximè nulla re mediante informet, id eſſe principii petitionem, tàm falſum eſt, quàm verum ſit, aſſertionem Ganymedis eſſe veteris & recepti principii negationem. Sed lepidus moroſophus vult ex hoc inferre abſurda abſurdorum, abſurdiſſimus ipſe. Quærit enim an anima rationalis immediatè informet quatuor elementa, an verò materiam primam. Reſpondeo quod utraque. Sic enim forma corpus humanum informat, ut æquè minutiſſimas primæ & ſecundæ in eo materiæ particulas tangat. Eſt enim materia prima ſub elementis, & elementa in miſto, & omnes horum particulæ æqualiter informantur in corpore miſto, quia ſubtiliſſima formæ ſubſtantia nullam partem ſubjecti primò & per ſe expertem formæ relinquit, ejuſque potentiam undiquaque explet in miſto.

CXXXIII. Sed objicit; ſublato Calido innato non amplius informari elementa in homine: Ergo Calidum innatum eſt vinculum animæ & corporis elementaris. Reſpondeo, quod, etſi materiæ diſpoſitio ſit cauſa introductionis & conſervationis formæ in materia,

teria, non ſequatur inde, hanc diſpoſitionem eſſe
gis immediatum ſubjectum diſpoſitæ materiæ
m ſit ipſa materia. Potentia enim materialis, quæ
ipſa receptivitate eſt de eſſentia materiæ, ut lo-
:ur Scaliger, immediatè actuatur & propriè ex-
ur forma. Neque enim id, quod in materia ſic af-
materiam; ut commoda maneat pro retinenda
na, eſt primum formæ ſubjectum. Calor ſym-
tos in miſto conſervat materiæ unitatem, ut ſit
modum ſubjectum formæ ſpecificæ in miſto, &
re hoc pereunte miſtum ejuſque forma perit;
ıe tamen eſt vinculum formę cum ſubjecto cor-
: miſto; neque primum formæ ſpecificæ ſubje-
n, quo inſit corpori miſto.

:XXXIV. Demum concludit, me concedere for-
n informare materiam formis præditam. Sed
hoc unquam negavit? Neque enim hoc in quæ-
ıe fuit, neque à me negatum eſt. *Illud verò nega-
uod formæ, quibus materia prædita eſt, non ſunt ſub-
n immediatum & proximum formæ ſpecificæ, quod-
rma non inſit per aliam formam, neque formæ ſit for-
rc.*

d ille calumniari pergit & ait, me pueriliter
ındere formam immanentem cum tranſeunte,
dico formam ſubſtantialem & ſpecificam non
:re ſuperveniente nobiliore, quemadmodum
manet forma ovi oriente forma pulli. Ratio-
ıddit duplicem, quia aurum ſub annulo (puta
a annuli) lignum in menſa lignea non maneret,
e elementa in miſto. Sed ratio hæc eſt ſcurrilis
lta. Menſæ enim & annuli forma non eſt ſub-
alis ſed accidentalis, & hic committitur turpis

confu-

confuſio actus accidentalis & ſubſtantialis. De hoc enim eſt quæſtio, non de illo. Elementorum formas quod attinet, hæ manent in miſto ſub ſpecifica miſti forma, quod nulli alteri formarum contingit. Pręter enim elementorum formas nulla uſquam manet in miſto quatenus miſtum eſt ſuperveniente forma alia. Et hic de tali forma eſt quæſtio, quæ ejuſdem totius corporis miſti futura eſt forma ultimata; an illa cum ſpecifica miſti corporis forma præcedente poſſet ſimul eſſe in eodem ſubjecto.

CXXXV. Formam enim illam, quam D. Sennertus comminiſcitur à ſpecifica generatam, ut ſit ejus ſubjectum, quâ mediante illa inſit, eâque intereunte officium formæ in toto præſtet, & ſubſtantialis & ultimata fiat, in uno ſubjecto eodem tempore poſſe ſubſiſtere nego. Etſi enim nondum ſit ultimata (loquor ſecundum illorum phantaſiam) tamen eſt forma ſubſtantialis actu jam actuans materiam, licet dicente D. Sennerto officium formæ non exerceat. Non enim tunc demùm informare materiam incipit, cum altera, cujus fingitur ſubjectum, interit. At tales duas formas ſubſtantiales in eâdem materiâ, quarum una immediatè hanc actuat & informat ſine officio formæ, & altera ineſt per hanc ipſam formæque munus exſequitur, in unâ eſſe materiâ poſſe abſurdorum abſurdiſſimum & aphiloſophum eſt. Cum enim ſic ſtatuat D. Sennertus, neceſſum eſt illum aſſerere unam rem ſubeſſe eodem tempore duobus actibus ſubſtantialibus, quorum alter ſit forma immediatè informans materiam ſine officio formæ, & alter mediatè informet, officium formæ exercens. Ridiculus itaque eſt Ganymedes, quod quęrit,

,ubi D.Sennertus dicat, unam rem duabus formis
ſtantialibus ſubeſſe.

CXXXVI. Deinde ait D. Sennertum non dixiſſe
mam Calidi innati eſſe formam ultimatam cum
eſt nobilior. Sed hic iterum impoſtorem agit. Non
m eſt hic quæſtio de forma Calidi innati, ſed de
ma, quam anima vel forma ſpecifica generavit in
jecto, ut eâ percunte ſit forma totius, quæ me-
nte Calido innato, in quo D. Sennerto hærere
mò dicitur, inſit toti. Et quamvis forma Calidi
ati actu non ſit ultimata præſente nobiliore, ta-
n ſi hæc ſit talis, ut totum mediante Calido inna-
informare poſſit vel informet, & recedente ſpe-
ca fieri poſſit ultimata totius in uno ſubjecto,
n ſpecifica conſiſtere nequit. Addam cauſam.
rma illa, quam generavit anima, ut ſit ſibi pro
jecto, illa eſt in tota materia ut forma, & per hanc
s ineſt anima juxta D.Senn. Et hæc non tunc de-
m fit forma ſubjecti, cum perit anima, ſed tunc
fficium & operationes formæ progreditur, quas
ea perfecit anima.

Hæc forma eſt ſubſtantialis, & differt ab anima,
eſt eadem cum anima. Non eadem, quia non eſt
ma, neque juxta D. Sennertum per diviſionem
illa genita: ergo alia & alterius eſſentiæ. Res vero
formam informantem totam ejus materiam eſt
quod eſt; Sumamus pro exemplo Rhabarbarum,
ſt per formam Rhabarbari, Rhabarbarum, & per
nam aliam, quæ immediatè informat Rhabarba-
materiam, ſimul & eodem tempore, eſt aliud di-
ſum à Rhabarbaro. Abolita enim anima Rha-
bari, Rhabarbarum eſt alia res & diverſum quid
à Rha-

à Rhabarbaro per aliam formam: atqui id quod ſit anima Rhabarbari pereunte, hoc ipſum jam erat eâdem adhuc præſente: & ſic Rhabarbarum unum ſecundum idem & ſecundum totam ſuam ſubſtantiam eſt Rhabarbarum & non eſt Rhabarbarum; ſed hoc eſt abſurdum. Abſurditas autem hæc fluit ex hoc, quod unam rem duabus formis ſubſtantialibus, quarum una mediatè, altera immediatè informet materiam & altera inſit per alteram, Philoſophiæ corruptores comminiſcantur, & contra ſolida antiquitatis & veritatis principia affirmare non erubeſcant.

CXXXVII. Ad verba mea, quod dico formam ſolum habere reſpectum ad materiam, ut materia eſt, cujus potentiam explere, & cum eâdem unam ſubſtantiam conſtituere nata eſt, unde regula Scaligeri, quod formæ non informentur & forma non habeat formam, reſpondet, Materiam eſſe corporum ſimplicium vel compoſitorum: in illis ſimplicem materiam informari, in his corpus conſtans materia & forma. Vnde Ariſtotelici dicant, formas non ſpecificas ſe habere inſtar materiæ. Verum nihil ad rem ille eſt & manet veterator: Non negavimus corpus aliquod ut miſtum conſtans formis elementaribus, aut animatum conſtans variis partibus peculiarem formam habentibus, informari forma ſpecifica totius: ſed hoc negavimus, formas elementorum in miſto, & formas partium corporis animalis eſſe primum ſubjectum formæ, quod primò informetur, & quo mediante informetur ſubjecta totius corporis materia. Tandem cum D. Sennertus diſertè hoc doceat Inſtit. lib. 5. p. 1. c. 2. & ipſe jam defendere nô poſſit, D. Sennertũ ſic ſtatuiſſe & docuiſſe impudenter negat.

CXXXVIII. Sed

CXXXVIII. Sed longè impudentius eſt, quod roximè ſequitur. Ponit enim meum argumentum, uod tale eſt: Quamdiu commoda eſt diſpoſitio pro orma nulla forma perit: Rhabarbari verò forma ſeundaria eſt diſpoſitio (pro primaria juxta D. Senertum) quomodo igitur hac ſalva & manente illa erire & interire poteſt? Nunc attende lector quid eponat veterator, quandoquidem hic conſtrictus eneatur: optimum aſylum ipſi ſunt calumniæ & mendacia: quorum hic duo grandia ponit. Primum eſt quod dicat, me hic per formam intelligere vel appellare Calidum innatum, quod mendacium eſt ſeſquipedale: videatur theſis mea 37. in diſputat. de morb. ſubſtant. In hac ago de illâ formâ, quam D. Sennertus in Inſtit. lib. 5. p. 1. c. 2. fingit eſſe genitam ab anima, quæque reſpectu animæ ſit, quam diu illa inest, quaſi materia, & ſit diſpoſitio, in quâ recipi & per quam actiones ſuas nobiliores exercere poſſit, & anima recedente officio formæ fungatur; verba hæc ſunt D. Sennerti. Hac manente dixi, non poſſe perire vel interire aut recedere animam. Hanc autem formam me unquam aut alibi dixiſſe Calidum innatum eſſe, turpiter & ſcurriliter mentitur Ganymedes D. Sennerti Sperlingerus.

CXXXIX. Quod dixi theſi 23. in diſputat. de morb. ſubſtant. Calidum innatum eſſe quaſi entelechiam viventium, ſi ex illo velit torquere me ſtatuere Calidum innatum eſſe formam, iterum agit impoſtorem. Dixi enim eſſe quaſi entelechiam, non ipſam entelechiam, quæ eſt anima: Neque hæc locutio, ſi & magnificentius de Calido innato locutus fuiſſem, à præſtantiſſimorum virorum vocabulum hoc uſur-

pantium dicendi conſuetudine aliena eſt. Crato in epiſtol. à Scholtzio collectis epiſt. 115. de Calido nativo diſſerens, inquit, ex ſemine & ſanguine aeream cœleſtemque quandam vim ſpirare, quæ ſit entelechia membrorum. Et paulo ante ex Hippocrate & Galeno affirmat, calorem emphytum formam eſſe partium ſolidarum. Nemo verò tàm ſiniſtrè debet ſuſpicari de magno Cratone, quod ipſe illud quod corpus eſt, Calidum innatum dixerit eſſe formam. Et cum non tantum de actubus ſubſtantialibus ſed & accidentalibus prædicatur entelechia, teſte D. Sennerto in phyſic. lib. 1. c. 8. & cum caliditas accidentalis ſit illud, à cujus prædominio Calidum innatum denominetur, & anima potiſſimum (ſunt enim ſubſtantiæ efficaces & operativæ per ſuas qualitates) operetur, non ineptè quiſquam dixerit, calorem innatum eſſe quaſi entelechiam.

CXL. Sed ulterius progrediamur in examine calumniarum & mendaciorum Ganymedis Sperlingii: ait ibidem, jacto & facto ex mendaciis jam refutatis fundamento, Freitagii dubium eſſe, cur Rhabarbarum moriatur præſente adhuc Calido innato. Verum quod in hoc loco illud ſit meum dubium Ganymedes ille iterum mentitur. Non enim hac vice & in hac theſi 37. hic quæro, cur Rhabarbarum moriatur præſente adhuc Calido innato, ſed cur ejus anima, manente & incolumi illa forma, quam pro ſubjecto & materia proxima ac diſpoſitione, per quam inſit, habet, excedat, intereat vel pereat. Eam D. Sennerti formam ſecundariam illius fictione ab anima in toto genitam, ut ſit diſpoſitio & ſubjectum

formæ

mæ proximum, nuſquam ego nominavi Calim innatum.

CXLI. Cum verò antea & alibi dixerim, mortem n poſſe obvenire rei viventi ſalvo Calido innato, quo vita, omnium ſententiâ, conſiſtit, me iterùm em hic illud ingeminare mentitur; & cum nihil reondere poſſit ad proximè præcedens argumenım, devolvitur ad veriſſimum & totius antiquitas ſuffragiò probatiſſimum axioma, quod futilibus inutilibus deſtinctiunculis eludere non dubitat. Quare vitam ſalvo Calido innato viventium poſſe erire non ſubterfugit turpiter & rabioſe affirmare. Duas itaque ponit diſtinctiones, quibus hoc probare annititur. Prima ſumpta eſt à morte naturali & violenta; in hac non perire Calidum innatum, ut in fune aut gladio interfectis videre ſit, ait; in illa vero naturali morte vere perire Calidum innatum. Vnde in tractat. de Calid. innat. fol. 61. ait, cadaver fieri privatione vitæ ſive adſit ſive abſit Calidum innatum: in tractat. verò de morb. ſubſtant. exercitat. 7. quæſt. 4. diſtinguit inter calidum influens & Calidum innatum ſeu inſitum: in Rhabarbaro perire vitam propter denegatum calidum influens præſente adhuc Calido innato.

CXLII. Hic primò quærendum, an non in Calido innato ſeu inſito conſiſtat vita: D. Sennertus in locis pluribus videlicet in Inſtitut. lib. 1. c. 4. & ibid. c. 5. docet in Calido innato ſeu inſito conſiſtere vitam animantium, illo inquam calido, quod ſit pars corporis: & in phyſic. lib. 8. c. 2. idem docet, & ipſe Ganymedes in tractat. de Calid. innat. fol. 78. diſerte affirmat. Quod ſi verum eſt, uti certè eſt, tùm falſiſſi-

mum & abſurdiſſimum eſt, vitam poſſe perire ſalvo Calido innato, incolumi & ſuperſtite. Vana eſt itaque diſtinctio, quâ in morte violenta dicitur manere calidum inſitum. Niſi enim per violentam mortem violenter affligatur pereatque Calidum innatum & inſitum, vita quæ propriè & verè in Calido innato eſt, perire vivenſque eo ſuperſtite mori nequit. Interire verò Calidum innatum per ſenectutem & ἄναψυξις in animalibus & ſtirpibus naturaliter, & ſimul violenter κατὰ σβῆσιν Philoſophorum antiquitatis & antiquæ veritatis veriſſima eſt ſententia & à nobis ſufficienter probatum eſt: Non poſſe autem Calidum innatum violenter perire, ſed ſi pereat naturaliter, ſaltem perire uti vaniſſimum, ita & turpis eſt novatorum ut bonas artes corrumpant natorum, & doctrinæ phyſicæ corruptio. Si vero quædam res, quæ ex Calido innato & inſito vivit, uti viventia omnia hujus merito vitam habent, perire & mori poſſit violenter, illabefactato, uti aſſerit impudens Ganymedes, Calido inſito, tùm illud vivens, quod per violentam mortem exſtinguitur & obit, adhuc naturaliter vivit in Calido inſito, quo res ſaltem naturaliter moriantur per ætatem & annorum decurſum.

CXLIII. Sed cũ nemo tàm barbarus & inſenſatus ſit, dummodo ſenſus compos fuerit, qui nõ videat in morte exſtingui calorem animantis, & veriſſimum & inſuperabile ſit principium, mortem eſſe exſtinctionem caloris nativi, aliam profert diſtinctionem & ait, Rem perire propter denegatum calidum influens, etſi adhuc præſens ſit Calidum nativum. Vnde ait illud, quod Calidum innatum ſit vinculum animæ,

animæ, eſſe incluſive quoad calidum influens non excluſivè intelligendum.

Verum hic primò ingens abſurditas novatorum & doctrinæ corruptorum inſpiciatur. Vita neceſſariò & ſolummodò interit eo, in quo conſiſtit, pereunte calore: Si interit perdito influente, ſed ſalvo manente inſitò calore, neceſſario in calore influente vita conſiſtit. Verum vita corporis non eſt in illa re quæ non eſt pars corporis & de eſſentia corporis. Id enim quod animatum eſt illud vivit: atqui ſpiritus & calor influens nec animati nec pars corporis ſunt.

Sed ille objicit, in ſtrangulatis & vulneratis mori animalia ob defectum calidi influentis, non propter abſentiam calidi nativi. Quare ſic? quia putat Calidum innatum non niſi naturaliter poſſe perire. Verum in allegatis caſibus & in omni morte ſeu violenta ſeu naturali illud perire neceſſum eſt. Fundamentum enim vitæ & caloris influentis auctor eſt inſitus, à quo viciſſim fovetur & conſervatur innatus, neque in illa re, cujus ope vita ſubſtentatur, vita conſiſtit. Spiritus vitalis influens eſt pabulum inſiti & illum hoc pacto conſervat, non tamen cum inſito eſt vitæ particeps.

CXLIV. Quæritur itaque an pereunte calore influente poſſit manere & ſupereſſe innatus? Reſpondemus, innatum ne per momentum quidem poſſe manere ſalvum omnino exſtincto influente calore, quod ſuperius abunde demonſtravimus ex ipſius D. Sennerti inſtitutionibus. Non enim perit vita, quia influens calor exſtinguitur & ſuffocatur, ſed quia hujus continuo & indeſinente nutricatu & fœtu, qui

 ſem-

ſemper in actu ſecundo eſſe debet, deſtitutus calor inſitus & innatus, in quo vita conſiſtit verè, neceſſariò ſtatim interit. Id ſuperius demonſtravi uberius; quandoquidem ſubſtantia noſtra in perpetuo fluore conſiſtit, continua etiam reparatione indiget, quæ perficitur nutritione, quæ eſt perditi reſtauratio & ſemper eſt in actu ſecundo; unde flammula illa caloris innati ſine perpete & non interrupta aëratione ne paucis momentis ſalva manere poteſt, & ipſa ſpirituoſa ſubſtantia jugi reſtauratione ex elementis in ſpirituoſum vaporem ſubtiliatis, indiget, unde ex ſpiritu naturali vitalis, ex vitali animalis jugiter generatur, quâ ſi deſtituatur, nec ipſemet ſupereſſe aut ſubſiſtere, nec vitales actiones & operationes exercere poteſt. Quâ de re ſuperiùs actum eſt uberiùs.

CXLV. Sed & Calidum innatum, quod elementaris naturæ eſſe D. Sennertus cum Ganymede negat, ipſe Ganymedes vehementer læſis & ad ſummam intemperiem perductis qualitatibus elementaribus non poſſe ſupereſſe & ſubſiſtere tradit in tractat. de morb. ſubſtant. quæſt. 7. ubi docet, calore elementari, qui membra animalium perfectorum ad tactum faciat calida, vehementer intenſo, & ſiccitate in febribus hecticis admodum aucta fieri anomaliam in toto ſubjecto, unde Calidum innatum cum ſuo humido diſpergitur. Et quæſt. 6. ait; Calidum innatum purum & immiſtum in corpore non exſiſtere, ſed cum calore ſeu potiùs particulis igneis conjunctum, quibus ſublatis vel diſgregatis mutatiſque cæteris qualitatibus, nec Calidum innatum ſalvum manere poſſe docet. At in morte violenta non tantum,

tum, uti ſupra demonſtratum, ea pereunt, quibus ſuſtentatur & continuo reſtauratur & ſine quibus ſupereſſe nequit calor ſpirituſque innatus, ſed & qualitates elementares, quarum nimiâ intemperie & intenſione & mutatione Ganymedes Calidum innatum ſalvum eſſe non poſſe & diſpergi aſſerit, ad ſummam deveniunt intemperiem: adeò ut Calidum innatum facta (juxta novatorum & ſanioris doctrinæ corruptorum phantaſiam) anomalia diſgregari & diſpergi neceſſum ſit. Diſpergitur itaque & interit neceſſariò ſtatim Calidũ innatum in morte violentâ, quia in hac calorem, quem elementarem vocant, quo corpus animalis perfectioris ad tactum eſſe calidum ait Ganymedes, adeò perire animadvertimus, ut in cadavere dominetur frigus ad tactum, calore longè, qui in vivis erat, intenſius. Proinde ſi vehementi mutatione qualitatum elementarium Calidum innatum ſalvum eſſe nequeat & diſpergatur, ſanè in morte violentâ illud ſupereſſe & incolume præſtare non poteſt.

CXLVI. Hâc ipsâ ſuâ novâ doctrinâ rancidum etiam illud ſuum axioma, quod cadaver fiat privatione vitæ ſive adſit ſive abſit Calidum innatum abſurdæ falſitatis arguunt: Si enim vita perire nequeat, niſi pereat calidum, in quo vita conſiſtit & cadaver fiat privatione vitæ, certè cadaver fieri nequit ſalvo & illæſo Calido innato.

Verùm uti novatorum moroſophia & novæ ſectæ doctrina ex abſurditatibus & falſimoniis eſt conflata, ita innumeris ſcatet contradictionibus longè turpiſſimis: Eſt ne contradictio evidentiſſima Calidum innatum poſſe permanere in cadavere, & tamen

men ſtatim diſpergi cũ qualitates elementares ſupra modum, quod fit in cadavere, hecticorum aliiſque morbis obeuntium mutãtur & incaleſcunt & intenduntur, unde talis ſequatur in ſubjecto anomalia, quod diſgregari neceſſum ſit, nec ſalvum eſſe poſſit Calidũ innatum. Major eſt inter Novatores ipſos, videlicet præceptorẽ & diſcipulum contradictio, cum D. Sennertus, tunc demùm fieri Calidum innatum ferè incorruptibile & ferè quinteſſentiale corpus, cum ab inutili elementorum mole delibretur, & inutilibus quiſquiliis liberetur, aſſerat: Diſcipulus verò affirmet, Calidum innatum adeò concretum elementis ejuſque qualitatibus, ut his intenſis aut reſolutis iis nequeat ſupereſſe, & Præceptor doceat contrà, quod ab hac mole liberatum ſtudeat perennitati vel æternitati, de quibus ſuperius uberius. Hæc ſunt pulchra illa novæ ſectæ ad bonarum diſciplinarum & veritatis corruptionem introducta dogmata.

DISPV-

DISPUTATIONIS NONÆ de Calido innato contra ſophiſmata Sennertiana DISCURSUS TERTIUS.

An mors omnis ſeu violenta ſeu naturalis fiat caloris nativi exſtinctione? vel an unius ejuſdemque caloris exſtinctione mors eveniat violenta & naturalis?

CXLVII. MOrtem naturalem Ganymed. aſſerit oriri exſtinctione Calidi, quod propriè ſit ſubſtantia: tractat. de Calid. innat. fol. 2. Hæc ſubſtantia eſt illis ſpiritus depaſcens jugiter humidum, non calor elementaris aut ſimile, uti ibidem fol. 26. ait. Ex quibus intelligitur, apud illos ſpiritum ſine calore & humido, quod propriè Calidum innatum depaſcit, pro Calido innato accipi; quod & probat D. Sennertus, cum inquit: Scriptum reliquêre ſapientes, nihil aliud eſſe calorem naturalem quàm ſpiritum; quod & latius confirmat & tueri conatur ejus Ganymedes non in unis locis. Hoc Calidum innatum ut ſubſtantia eſt, verè eſſe cauſam vitæ (videlicet inſtrumentalem) hoc ipſo vivere animalia & ſtirpes teſtatur ibidem fol. 7. huic non opponi frigus, quia non ſit elementare quid: unde ejus exſtinctione privativa mortem definiri juxtà Ariſtotelem aſſerit.

Calorem verò elementarem nequaquam vivificare, coquere, legitimam temperiem partibus cor-

poris conciliare, pro ſua bruta audacia aſſerere non veretur in tract. de morb. ſubſtant. quæſtio.7. quod nullum agens agat ſupra proprias vires; unde calor elementaris vivificare, chylificare & ſanguificare nequeat.

CXLVIII. Hic igitur quærendum, an vita ſit ab aliquâ re aliâ, præterquam à calore, ſive ea ſit elementaris ſive ſupraelementaris conditionis, atque adeò omnis mors non definiatur exſtinctione Calidi innati. Primò videmus ex verbis Ganymedis tractat. de Calid. innat. fol. 61. etiam hominem poſſe mori ſive adſit ſive abſit Calidum innatum, unde ipſi talis oritur diſtinctio, quod in morte naturali Calidum innatum exſtinguatur, in violenta verò non. Rem confirmat quæſt. 6. in tractat. de morb. ſubſtant. hoc exemplo, quod juvenis è vulnere ſtatim vel paulò poſt moriens, ſalvo Calid. innat. moriatur, quod & fieri poſſe non unis in locis teſtatur.

Cum itaque vita conſiſtit in hoc Calido innato, uti habet fol. 78. in tractat. de Calid. innat. quatenus ſalvum eſt, non verò, uti ſentit, à calore elementari ſit & ſalvum illud maneat in morte violenta, quæritur in quâ re conſiſtat illa vita, quæ perit violenter, unde mors violenta ſalvo Calido innato? Si nullus illis datur calor, in quo vita conſiſtit, quàm ſpiritus primigenius, unuſque ſit tantùm calor vel calidum, quod ipſi ſpiritus eſt, cujus beneficio & quo ſalvo conſtet, & nihilominus hoc ſalvo inferatur mors, neceſſum eſt, mortem non rectè definiri per exſtinctionem caloris nativi: quam tamen definitionem illi amplectuntur & urgent in tractat. de Calid. innat. fol. 8. & ſalvo Calore innato hominem poſſe mori: & vi-

& vitam in aliquâ aliâ re conſiſtere quam calore & calido, cum tamen dixerit in tractat. de Calid. innat. fol. 59. vitam formaliter ab anima eſſe, verùm hoc Calidum innatum materialiter & inſtrumentaliter vitam dare; & ibid. fol. 78. in Calido innato vitam ipſam conſiſtere.

CXLIX. Eſt autem in calido vita ut proximo & immediato animę ſubjecto, quatenus eſt pars corporis & οἰκείως, dicente D. Sennerto in inſtit. lib. 1. c. 5. animæ ſubjicitur, quo corrupto animam cum vita emigrare ſit neceſſe. Anima verò non animat, neque aliud quid habet pro ſubjecto proprio, quàm corpus ejuſque partes propriè dictas. Quocirca vita perire non poteſt niſi ſpiritus ille innatus vel Calidum innatum, in quo vita primò conſiſtat, afficiatur. Nam ſpiritus influens non pertinet ad eſſentiam partis, teſte D. Senn. lib. 2. inſtit. p. 1. c. 4. fol. 139.

Vita itaque noſtra conſiſtit in Calido innato, ut ait Ganymedes tractat. de Calid. innat. fol. 78. & D. Sennertus ait, non in influente ſed inſito, & conſervatur actione calidi in humidum. Agit verò in humidum illud, uti affirmat etiam Ganymedes dicto tractatu, depaſcendo illud, hoc eſt in ſubſtantiam ſuam vertendo. Vbi duo notanda: primum eſt, quod ſpiritus ille ſine calore elementari non conſtituat Calid. innat. juxtà D. Senn. nec ſine illo agere poſſit. Spiritus enim ut ſubſtantia, non agit niſi per ſuum quem obtinet calorem, ut ex D. Senn. ſententia demonſtravimus. Secundum, quod non tantum conſervetur ex pabulo humidi converſi in ſpiritum, ſed & aëratione ſeu aëre attracto, cujus uſu continuato ne exiguo quidem tempore flammula illa vitalis,

ex ſpiritu ſuavi calore igniculato conſtans, citra exſtinctionis periculum carere poteſt. Quin imo calorem innatum ſingulis partibus, quia per ſe imbecillior eſt, nec ſolus ad omnes actiones ſufficit, influens ſpiritus excitat, auget, inſtaurat eique quaſi actum & perfectionem tribuat, qui ex tenuiore ſanguine & aëre ope reſpirationis attracto genitus eſt, docente D. Sennerto. Quocirca Calidum illud innatum elementaris eſt conditionis elementariq; pabulo conſervatur.

CL. Et ſic vita conſiſtit in tali calore, qui non ſit quinteſſentialis naturæ vel ſuperelementaris conditionis: Et ut vita non conſiſtit in calido quinteſſentiali, ita neque in occultis qualitatibus, quia illæ nec ex elementis ſecundum D. Sennertum ejuſque defenſorem, natæ & productæ, nec elementaris naturæ ſunt. Quod & ipſe ſubornatus fatetur in tract. de morb. ſubſtant. quæſt. 6. ubi ait, *Calidum innatum non eſſe occultam qualitatem, ſed σῶμα, nec omne illud, quod elementorum conditionem excedat, confeſtim eſſe occultam qualitatem.* Cum itaque vita noſtra non conſiſtat in occultis qualitatibus, ſed in Calido innato, quod non eſt occulta qualitas, aſſerente Subornato, nec in quinteſſentiali aliquo corpore vel qualitate, ſed in ſpiritu ex elementis genito & calore elementari ſuaviter igniculato, cum quo Caloris innati eſſentiam perficit & conſtituit, omninò ſequitur, eo, in cujus integritate vita conſiſtit, ſalvo vitam non poſſe perire, nec mortem ſine ejus exſtinctione & corruptione oriri, & omnem mortem ſive naturalem ſive violentam eſſe exſtinctionem caloris nativi; & ut mors oriatur neceſſum

ceſſum eſſe exſtingui calorem nativum, ſive id fiat violenter, ſive naturaliter per naturalem conſumptionem humidi, cujus defectu ipſe demùm gracileſcat & intereat; adeò ut nihil magis ſit monſtroſum, abſonum & aphiloſophon, quam dicere mortem ſalvo Calore innato oboriri.

CLI. Cum verò ex ejus ipſiusmet aſſertione certum ſit, mortem oriri per exſtinctionem caloris nativi, quæritur, Quis ſit ille calor, qui in morte violenta pereat, cujus exſtinctione mors definitur, remanente nihilominus Calido innato ſalvo: vel quæritur, Quid illud ſit, quod pereat ſalvo Calido innato, cujus interitu mors oboriatur. Neceſſum verò eſt in eo vitam conſtitiſſe, cujus interitu mors oboriatur. Et ſic duplex neceſſariò eſſet vita, alia in hac re, cujus interitu mors violenter oritur, & alia qua in Calido innato poſt mortem violentam alioquin ſuperſtite conſiſtat & naturaliter pereat. Verum autem in Calido innato non conſiſtere vitam, aut Calidum innatum in morte violenta ſalvum manere meram calumniam & mendacium, & quod cadaver fiat privatione vitæ ſive adſit ſive abſit Calidum innatum falſum eſſe, extra dubium eſt.

CLII. Verum hæc diſtinctio inter mortem violentam & naturalem, ubi Calidum innatum, in quo vita reſidet, ſalvum manet (in morte violenta uti nugantur) licet vita pereat, tantæ eſt ſubtilitatis, quod eam nec Galenus nec Ariſtoteles & multò minus eorum diſcipulus D. Freitagius intelligat, cujus ignorantiam vehementer exprobrat Freitagio in tractat. de Calido innato, fol.

fol. Cor Zenodoti quam admiranda ſubtilitas! Quia enim ſpiritus ſeu Calidum innatum illis eſt ſuperelementaris naturæ & quinta eſſentia vel quintum corpus, illud ſalvum ac incolume poſſe manere violenter perdito illo, in quo vita conſiſtebat, neque perire niſi naturaliter deficiente humido ab ipſo conſumpto, ſtatuunt. Sed redit eadem abſurditas, videlicet vitam poſſe perire ſalvo calido, in quo & in cujus integritate vita conſiſtit, & ſine cujus corruptione & exſtinctione mors oriri nequit.

CLIII. Sed miſſis phantaſtarum nugis *ſine Calido innato vitam vel in aliâ re quam in hoc inſito non influente conſiſtere, & Calidum innatum quatenus tale alibi exſiſtere ſine vita abſurdorum abſurdiſſimum eſt.* Sive enim calor, cujus exſtinctione mors & poſitione vita definitur, violenter pereat, vel illud, in quo vita, per violentam mortem abolita, conſiſtit, intereat, ſive Calidum innatum naturaliter intereat, utrobique ſpiritum & ejus calorem junctim ſimulque perire neceſſe eſt. *Non enim in morte violenta ſpiritus ille innatus vel ſolus vel cum ſuo calore ſuperſtes eſſe poteſt*; quippe quod aſſiduò vitalis ſpiritus influxu augeatur, reſtauretur, inque actum deducatur & perfectionem capiat docente D. Sennerto, quo ipſo ſi deſtituatur ipſum continuò perire neceſſe eſt, quodque ne exiguo tempore ſine ſui interitu à communis aëris, qui reſpiratione ducitur, uſu & ſuſtentatione intercludi poſſit, quem ſanè in cadavere ducere nec ab eo refici poſſit. Generatur enim ſpiritus vitalis influens ex tenuiore ſanguinis portione, & vapore & aëre per reſpirationem

nem attracto in corde, quod vim vivificam pulſificæ junctam habens in flammeam quaſi ſubſtantiam quod traxit, convertit,& in ſpiritum vitalem mutat, qui continuo influxu atque irradiatione inſitum fovet & ſuſtentat, dicente D. Sennerto: & cum tunc continuo deficere ſpiritum inſitum, cum deſtituatur pabulo, ejuſque defectu eum perire neceſſe ſit, quando videlicet humido naturaliter depaſto non habeat unde ſuſtentetur, multò magis per mortem violentam ipſum interire oportet, cum in cadavere nec ſpirituum vitalium, unde jugiter & continuò reſtauratur & perficitur innatus, fiat generatio, viſque cordis vivifica pulſificæ juncta ſpiritus influentes generans ſit abolita, nec aeris, unde & illi generentur, attractio fiat, nec ſit amplius caloris & ſpiritus in humidum actio, quia quamdiu illa viget vita non deſinet, & vita deſinente illâ vigere nequit. Et demum cum Calor innatus tàm quo ad qualitatem quàm ſubſtantiam ſit ex elementis, & exſtincta vita quodcunque in demortuo corpore eſt elementare, ad ſua redeat principia, uti Fernelius lib. quarto Phyſiolog. optimè docet, ſpiritum illum, uti eſt corpus Calidi innati, quod vitam toti tribuit, nec ſupereſſe nec remanere vel ut quinta eſſentia ſeparari poteſt. De qua re poſtea latius. Sed & ſe ipſum refutat Ganymedes, cum ait, elementaribus qualitatibus collabentibus fieri talem anomaliam, ut Calidum innatum diſpergatur: Atqui calor, qui calefacit corpus vivens & illis eſt elementaris, tàm perit in morte violenta quàm in naturali.

CLIV. Ex

CLIV. Ex his jam patet monſtroſa abſurditas novarum regularum novæ Novatorum ſectæ, videlicet quod mors oboriri poteſt ſalvo calore nativo: animal poſſe mori ſalvo calore nativo, in quo hactenus creditum conſiſtere vitam, & cujus exſtinctione mors definita eſt. Venenum ſalvo calore nativo & apertis qualitatibus, è quorum cenſu ille innatus eſt, hominem interimere, quaſi vita animalis in alia re ſit quàm in Calido innato, ut eo integro & intacto animal perire neceſſe ſit ex veneno. At ſi vita, quæ in morte violenta perit, non conſiſtit in Calido innato, & nihilominus verum manet, quod mors ſit exſtinctio caloris nativi, neceſſum eſt, calorem, qui exſtinguitur, eſſe elementarem, quia alius ſpecie differens non datur. Talem verò eſſe ex hoc apparet, quod hujus caloris exſtinctione ſtatim in corpore mortuo invaleſcat frigus, in quo ille per vitam dominabatur, cujus, ne in toto regnaret & ſuperaret, vim reprimebat & continebat, quæ demùm per mortem exſtincto calore in totum graſſatur. Siquidem quamdiu vivunt animalia deprehendantur eſſe calida, quod ſenectus & mors à frigido, quod omnes animæ functiones à frigido opprimantur, à calido juventur. Sed & ex hoc apparet, elementarem hunc eſſe calorem, quod per frigus contrarium exſtinguatur; tàm in toto quàm in parte. Et demùm, hunc elementarem calorem, quatenus eſt animæ inſtrumentum & caloris emphyti officio fungitur, majora præſtare poſſe, quàm cum ab ignea forma dirigitur, liquidò patet, ex hoc, quod ille calor, quem & elementarem eſſe proprio D. Sennerti teſtimonio &.

ſenten-

ſententia ſuprà demonſtravimus, vitæ vitaliumque actionum auctor, ut eſt animæ miniſter, ſit in animantibus.

CLV. Sed ut rem dilucidius proponamus, tenendum, vitam directione animæ ut cauſæ primariæ pendere ex actione caloris nativi in humidum, unde & ipſis novatoribus in calido & humido conſiſtere dicitur. Calidum illud vel eſt ſolum corpus ſine qualitate caloris, vel corpus ſeu ſpiritus, in quo aſſerente D. Sennerto qualitas illa ſeu caliditas hæret. Spiritus enim ſine calore nec operatur, nec efficax eſt, & opera caloris omnes ſuas actiones, teſte D. Sennerto lib. de Galen. cum Chymic. conſ. & diſſ. perficit. Calor verò ille cum ſpiritu, cui inſidet, quemque ſuaviter quaſi igniculat, conſtituit flammulam illam, quam propriè Calidum innatum nominamus; quæ conſervatur ventilatione & aëratione, pabuloque *aëris* attracti (ſic dicebat Hippocrates, calidum nutriri *frigido*) & jugi converſione humidi, cui inſidet, à quo ceu flamma oleo elychnii nutritur. Calor itaq; iſte innatus animę inſtrumentum eſt proximũ, quod & vult D. Sennertus proprium eſſe animæ ſubjectũ, quo pereunte animam perire vel abire neceſſe ſit.

CLVI. Proinde hæc quatuor, anima, calor, ſpiritus innatus & humidum, adeò arctè cohærent, ut uno horum pereunte nullum cæterorum (exceptâ animâ rationali) ſuperſtes eſſe poſſit. Nec enim anima ſine calore animali, ut proximo inſtrumento & neceſſaria qualitate, pro diſpoſitione ſubjecti, in quo eſt, adeſſe, ne calor ſine ſpiritu, cum quo conſtituit flammulam vitalem humido nutriendam, eſſe, nec ſpiritus operari & ſe conſervare ſine calore,

nec calor ſpiritusque ſine humido, quo nutriuntur, perdurare poteſt, humidumque illud ex elementis conſtans, calore & ſpiritu, quo conſervabatur, cui undiquaque miſtum erat, pereunte, unde ipſiſſima mors, diffluere & in ſua principia ſolvi neceſſum eſt, uti ex Fernelio demonſtratur. Quia verò Calidi innati eſſentia ex caliditate & ſubjecto ſeu ſpiritu potiſſimum conſiſtit, teſte D. Sennerto (unde juxta eundem, humidum, quo nutritur, non eſt pars propriè dicta nutriti) quæritur, cujus defectu primò oboriatur mors, quę definitur exſtinctione caloris. Calorem, cujus exſtinctione mors definitur, eſſe qualitatem teſtatur Fernelius lib.4.phyſiol.c.2. & 6. cujus ſententiam & verba Ganymedes amplectitur & contra me citat recitatque in tractat. de Calid. innat.fol.7.

CLVII. Hunc calorem, quia tale eſt proximum animæ inſtrumentum, ut ſine illo nec ſpiritum uſurpare ad vitam vitaleſque actiones, nec in corpore ut ſubjecto eſſe, & ſine quo ſpiritus nec ſubſiſtere aut conſervari poſſit, affici, ſi vita interire aut perire debeat, neceſſum eſt. Hoc pereunte ſpiritum remanere poſſe, & contra ſpiritu intereunte, illum manere incolumem abſurdum eſt. Et quia calor illud eſt, quo ſpiritus ſubſtantia continua nutritione ex humido ſeu actione in humidum reficienda conſervetur, & anima ſine ejus miniſterio & opera nec ſpiritum nec ullius organi actiones perficere poſſit, eo deficiente anima vivificare amplius nequit, ejuſque caloris exſtinctione mors propriè oboritur, cæteris omnibus organis animæ per interitum hujus ad omnes actiones imò ad præſentiam ejus in toto conſervandam inuti-

inutilibus. Quando itaque mortem definiunt cum Ariſtotele Philoſophi per exſtinctionem caloris nativi, intelligunt primò hanc qualitatem ſpiritui inſidentem, non ſpiritum, cui inſidet, licet ille nec ſalvus eſſe poſſit pereunte ſpiritu, & ipſo pereunte ſpiritus ſuperſtes eſſe nequeat. Vnde magis elucet vanitas regulæ novatorum, quâ dicunt, mortem violentam oboriri ſalvo Calido innato. *Sive enim calidum purè ut ſpiritus conſideretur & ut corpus, veluti dicunt, ſive ut corpus cum ſua caliditate, à qua nomen habet, certum eſt, nec ſpiritum vitalem ſine calore, nec calorem ſine ſpiritu, quatenus Calidi innati eſſentiam conſtituit, alibi vel ulibi ſupereſſe poſſe.*

CLVIII. Hunc calorem, uti qualitas eſt & vitam operatur, ut mors oboriatur, perire neceſſe eſt; ejus enim exſtinctione mors definitur. Quia verò omnes modi, quibus calor hic perire & interitu ſuo mortem cauſari dicitur, de ejus, uti qualitas eſt, exſtinctione agunt, eumque ut qualitas eſt interire faciunt, ſequitur potiſſimam vitæ mortiſque in eo rationem conſiſtere. Exſtinguitur verò ille calor vel naturaliter vel violenter: unde mors naturalis vel violenta. Naturaliter perit calor, cum ipſemet humidum, quod in ſpirituoſam, cui inſidet, ſubſtantiam convertit, ſenſim depaſcitur, nec æqualis, cujus ab initio fuit bonitatis, reſtitui poteſt, unde languidior fit calor, & ſubſequitur ſiccitas per gradus, quæ in animantibus γῆρας ſenectus, in plantis ἄναυσις ſeu ariditas nominatur authoribus Ariſtotele & Galeno.

Humido verò adeò conſumpto, ut calori pabulum prorſus deficiat, ipſummet exſtingui neceſſum eſt, qui interitus μάρανσις κατὰ φύσιν vocatur: & ſic

 mors

mors naturalis juxta Ariſtotelem fit à principio inſito. Eleganter hoc explicat Galenus lib. 1. de ſanit. tuend. c. 2. Corpus quæ noſtrum lædunt corrumpuntque genere duplicia ſunt. Alia nobiſcum congenita, & quæ vitare nequeas, quæque ex ipſis generationis principiis, veluti radice oriuntur. Sanguis ſemenque genitale generationis noſtræ primordia ſunt: ille, ceu materies quædam apta concinnaque & opifici ad quodvis ſequax: hoc, opificis rationem obtinens. Vtriuſque ſubſtantia humida eſt, quam talem ſervare conveniens non erat, ſi modò ex eò nervi, oſſa &c. conformari debebant. Oportuit igitur ſtatim ſub initio hoc addi, quod ſiccandi vim haberet, qualis maximè eſt ignis, tùm etiam terra. Humidum oportuit ſuperare terram ut cederet opifici, ignem efficacia & virtute ut efformaret. Ab hoc cogitur paulatimque concreſcit, quod in utero conceptum eſt, mox ſicciusredditur veluti ad lineamenta & rudimenta membrorum, donec ſpeciem cujuſque exactam præbeat. Iam in lucem editum, tùm ſiccius tùm valentius efficitur, donec ad ἀκμὴν, ſummum ſuum incrementum perveniat, oſſibus nimirum per ſiccitatem non ultrà ſequacibus. In eo quod ſequitur tempore, partibus jam ſupra modum ſiccatis, non ſolum cujuſque officium minus probè adminiſtratur, ſed etiam ipſum corpus macilentius graciliuſque redditur, unde naturale ſenium & tandem mors. Vide Galen. lib. de marcor. cap. 4. Atque hactenus de morte naturali.

CLIX. Vti vero illa ab interno, ita hæc ab externo oritur principio pereunte calore κατὰ σβέσιν vel κατὰ μάρανσιν. Κατὰ μάρανσιν, cum perit vel ita afficitur

citur ab externo calore aut cauſa eum accedente, ut humidum ſuum præproperè & violenter depaſcatur & conſumat, ſuumque in quo hæret, ſpiritum diſſipet, adeoque ſeipſum conficiat , quod contingit in febribus violentis & in defectu frigidi & cohibita eventilatione per reſpirationem & tranſpirationem; vel perit defectu pabuli , ſublata inter calorem & pabulum proportione, ita ut ritè reſtaurari nequeat. Deficit verò vel ob ſubſtantiæ alimentoſæ deficientem quantitatem, ut in magnis hæmorrhagiis & fluxionibus humorum , vel averſionem caloris ſpirituumque & ſanguinis ad extra, ut in gaudio immoderato; vel immodicos corporis motus, vel rarefactione & diſſipatione & evacuatione à calore externo, vel corrumpitur à veneno.

Κατὰ σβέσιν perire dicitur à contrario frigore, vel obrui & ſuffocari à multitudine alimentorum & humorum & excrementorum vel meatuum ſtipatione, quâ à commercio aëris ſeparatur.

CLX. Hic calor, quia ejus opera anima vitam vitaleſque operationes exercebat, animalis nominatur, non quia ſpecie ab eo, qui miſti eſt, vel à cœleſti differat, cum omnes ſint ejuſdem ſpeciei & conſequenter elementaris conditionis, ſed ratione officii, quod anima dirigente perficit animæ functiones vitales, ipſaque vita eo intereunte & exſtincto pereat & mors oboriatur.

* Atqui hic eſt calor, qui innatus dicitur & animalis, quo quidem exſtincto perit vita & anima animalis, excepta rationali, non vero ipſum corpus ejuſque partes, cui inſedit, in corruptionem ſtatim abeunt, aut in ſua ſolvuntur continuò principia. Namque

que & caro & oſſa & venæ aliæque partes pro diverſitate ſuæ conſtitutionis breviori vel longiori tempore ſeu diutius longiuſque ſupereſſe queunt.

Quapropter hæ partes demortuæ deſtitutæ calore vitali, nihilominus poſſident peculiarem ſuum calorem, qui earum integritatem tuetur, & ab animali non ſpecie ſed ſubjecto & officio differt. Cum verò mediante calore ut inſtrumento potiſſimo rerum tàm animatarum quam inanimatarum miſtarum fiat generatio, ab eoque in integritate ſua ad finem conſerventur, & corruptio generationi ſit contraria, liquidius negotium patebit, ſi primò modum generationis animatorum & miſtorum conſideremus, & an unus idemque ſit calor ab eodem vel diverſo efficiente primario directus, qui utrumque ut potiſſimus δημιυργὸς & miniſter perficit.

CLXI. Eleganter rem ex Ariſtotele proponit & exponit erudititiſſimus, celeberrimus & nunquam ſatis laudatus D. Duncanus Liddelius lib. 1. de febrib. cum inquit: *Generatur mixtum ex elementis per determinationem humidi cum ſicco à calore contemperato, ſupra humidum dominante. Nam in mixtione elementorum, vis generandi debetur qualitatibus activis, non ſeorſim, ſed primario calori, quatenus à frigore contemperatur: cujus proprium eſt, ſi proportione materiæ, quæ humido & ſicco definitur, reſpondeat, concoquere, determinare, aliena ſeparare, ſimilia in unum cogere, elementorum motus finire, diſſidentium concordiam ſive σύμφυσιν efficere, unde calor ille σύμφυτος ſive connatus dicitur, unicuique mixto perfecto, quatenus mixtum ex partibus homogeneis conſtat, proprius, propriumque formæ inſtrumentum, cujus ratione ἀπάθεια ei convenit. Quare alius erit hic calor à*

calore

calore animati, proprio animæ inſtrumento, qui corpori diſſimiliũ partium principium vegetationis tribuit, & humidum ſuum non tàm continet quàm depaſcit, unde non σύμφυτ☉ ſed ἔμφυτ☉ nominatur, cui velut materia ſubſternuntur & ſubſerviunt calor connatus omneſque facultates elementorum, quibus perficitur mixtio. Igitur generatio & corruptio alia mixtis, qua mixta, alia animatis, qua animata, convenit. Generatur autem animatum à plaſtica ſeminis facultate, inſtrumento caloris, cujus participatione vita definitur ab Ariſtotele. Corrumpitur igitur animatum exſtinctione caloris illius vivifici, quæ mors propriè dicitur. Exſtinguitur vel naturaliter decurſu ætatis, depaſto humido radicali!, aut violenter, à cauſis externis, quibus aut κατὰ σβέσιν ſuffocatur, aut κατὰ μάρανσιν elangueſcit. Generatio verò mixti fit συγκρίσει elementorum, per terminationem humidi cum ſicco à calore connato ſive proprio. Proinde corrumpitur propriè mixtum διακρίσει elementorum, per ſeparationem humidi à ſicco ſuo, ex caloris proprii defectu, qui ſupra ſuum humidum non dominatur, ſed cum humido evocatur. Nam deficiente propriè calore in mixto, ipſa elementa συμφύσεων unitate & vinculo deſtituta ſeparantur & humidum evocatur. Hactenus D. Liddelius.

CLXII. Ex his apparet generationem & corruptionem aliam miſtis, qua miſta, aliam animatis, qua animata ſunt, convenire; & aliam idcircò diverſamque utrobique eſſe etiam corruptionem. Generationem & conſervationem fieri à calore tàm animati quàm miſti, & eo intereunte ſequi corruptionem rerum. Calores verò hos, diverſos eſſe non ratione ſpe-

ſpeciei & eſſentiæ, ſed ſubjecto, & directorum diverſorum, à quibus uſurpantur, officiis: & poſſe alterum, dum eſt in uno eodemque corpore, perire, ſalvo alio: ſic ſalvo calore ſymphyto in animalis corpore, emphytus interire poteſt. Dum itaque moritur animal, non perit per interitum caloris ſymphyti, nec perit ut miſtum quid, ſed per exſtinctionem caloris innati & emphyti, qui proximum animæ inſtrumentum eſt ad conſervandam vitam, unde & animalis dicitur, peritque animal ut animatum, non ut miſtum quid, vel quatenus corpus ejuſque partes ex elementorum per miſtionem ſyncriſi ortæ ſunt & conſtant, & calore ſymphyto eorum unio & ſyncriſis, quæ conſiſtit in humido cum ſicco unito, definito & determinato, conſervatur, ut teſtatur D. Sennertus lib. 1. Inſtit. c. 4. Quocircà moriente animali per exſtinctionem caloris innati, ſuperſunt partes corporis, (in quibus calor emphytus vitæ fuerat auctor) quas ſymphytus calor ut corpora miſta ad tempus conſervat. Sic caro, os, venæ habent ſuam formam ſubſtantialem & calorem connatum, quo ut miſta conſervantur, poſtquam vitâ & vitali anima caloreque privata ſunt.

Idem eleganter explicat Zabarella lib. 2. de miſti generat. & interit. c. 4. cum inquit; *Tres invenio modos univerſales, quibus ſtatutum eſt, res in natura interire. Unus eſt ſimplicium corporum; alius miſtorum animatorum; alius demùm miſtorum inanimatorum. Simplicibus aſſignatus eſt modus, ut per mutuam inter ſe actionem & paſſionem intereant &c: animatis aſſignatus eſt modus per humidi naturalis conſumptionem factam à proprio naturali calore, eaque mors dicitur,*

de

de qua Ariſtoteles agit lib. de vit. & mort. & paulo pòſt *miſto inanimato, id eſt, prout miſtum eſt, & cum abſtractiône ab anima ſi ſit animatum, aſſignatus eſt à naturâ proprius modus, ut intereat per putredinem, quæ nihil aliud eſt quam diſſolutio in elementa, & eſt verè contraria generationi miſti, quæ fit per elementorum miſtionẽ. Quemadmodum enim,* inquit idem eodem lib. c. 1. *generatur miſtum ex unione humidi cum ſicco, facta à calore naturali, hoc eſt, convenientem proportionem habente: ita interitus miſti fit, quando humidum ſeparatur à ſicco ex defectu caloris naturalis, qui ob ſuam debilitatem non poteſt amplius illud regere & continere. Hunc verò modum corruptionis miſti juxta Ariſtotelem vocat naturalem: alio modo perit miſtum violenter per combuſtionem ignis omnia elementa in ſuam naturam vertentis, quo ipſo violentus accidit interitus miſto, ut animato mors ex morbo vel gladio.*

CLXIV. Clarius idem Zabarella rem tradit lib. 3. de generat & interit. c. 3. ubi dictitat: *Non eſt idem interitus animæ & formæ miſtionis. Et forma miſtionis non poteſt in toto corpore interire, niſi prius intereat anima. Quia duplex in viventibus eſt calor: unus eſt elementaris, qui temperaturæ eſt calor: alter vitalis, qui inſequitur animam, de quo loquitur Ariſtoteles lib. de vit. & mort. & lib. 2. de ort. animal. c. 3. ubi apertè diſtinguit calorem animalem, quem cæleſtem & prolificum vocat, à calore elementari, quem igneum & deſtructivum dicit, non prolificum. Horum autem duorum calorum non poteſt eadem eſſe deſtructio. Nam calor elementaris non corrumpitur niſi per putredinem; at corpus animalis non putreſcit totum, durante vita animalis; adjectus enim calor vitalis calori elementari magnum reddit calorem, qui non poteſt educi à calore ambientis. Ideo vitalis calor non interit per putre-*

dinem, ſed ejus corruptio mors eſt: poſtea verò hoc per mortem exſtincto, remanet calor elementaris, qui vitali calore deſtitutus, educitur à calore ambientis, & ita poſt mortem corpus interit per putredinem. Vnde non ſolum diſtincti ſunt horum calorum interitus, ſed unus eſt altero poſterior tempore, & illum neceſſariò præſupponit. Quoniam enim uterque interitus fit poſt alterationem præviam, proindè non ſubitò, ſed in tempore: corpus autem non putreſcit, niſi poſt mortem; ideò forma miſtionis non interit, niſi poſt receſſum animæ.

Idem calores hos aſſerit unius eſſe naturæ & ſpeciei, & nihilominus diverſas ab his proficiſci operationes, adeò ut alter ſit vitalis & vivificus & animæ generativus, & ſupra proprias vires agat, quod contingere ait propter diverſa principia agentia calore utentia: ideoque *calorem conſiderari ſecundum ſe & ſecundum propriam naturam, vel ut eſt inſtrumentum agentis primarii, quod calore uti dicitur. Ipſam caloris naturam ſecundum ſe conſideratam eſſe unam & eandem: ſi verò uti inſtrumentum conſideretur, alium dici vitalem, & animalem & cœleſtem ſeu vivificum, quatenus tales actiones edit directus à cœlo vel ab anima.*

CLXV. Hæc, amice lector, ſolidæ veteriſque Philoſophiæ, ab Ariſtotele inculcatæ, tot ſeculorum irrupto conſenſu & ſerie defenſæ, ſunt principia; hæc vanus & ſcurrilis ille ſycophanta arrodere; his turpiter inſtigante & docente D. Senn. oppedere & barbarè oggrunnire non erubeſcit infrunitus ille & novæ Phyſicæ malè feriatus magiſter & recens natæ barbariei profeſſor. Etſi verò non ſit neceſſum reſpondere neganti totius antiquitatis & recepta à tot ſeculis & adhuc retenta veritatis principia, quia, ut reliquit

reliquit Hervetus, ſic unus aſinus plus poſſet negare, quàm decem Philoſophi probare, & principiis in qualibet diſciplina propriis ſit ſtandum, tamen ut ea, quæ adfert ex mera organiendi & calumniandi libidine & inviſo Eumenidum furore & livore, hac extrema mundi ſenectâ, veritatem ſolidæ Philoſophiæ & orthodoxæ Theologiæ peſſumdare nequicquam annitente, profecta eſſe, lectori demonſtrem, paucis ad barbara blateramenta reſpondebo.

CLXVI. In tractat. de morb. ſubſtant. quæſt. 7. negat, calores hos differre ſubjecto; negat differre munere; negat differre forma, cui tanquam inſtrumenta inſerviunt, & à quâ diriguntur. Subjecto non differre aſtruit, quod omnis qualitas ſit aſſignanda ſuo πρώτῳ δεκτικῷ, à cujus forma originem ducit, & ſine quo de ſubjecto non migrat in ſubjectum peregrinum: undè concludit, unius ſpecie caloris non niſi unum eſſe ſubjectum. Addit in tractat. de Calid. innat. fol. 68. quicquid non reciprocatur cum ſuo adjuncto, ſed eo anguſtius eſt, illud πρῶτον δεκτικὸν iſtius non eſt. Miſtum non reciprocatur cum calore miſti vel ſymphyti, quia idem ſpecie calor etiam eſt in igne, idem in animato. Hactenus allatrator Ganymedes. Qui ea, quæ ſuperius tradita ſunt, intelligit, facile hos inanes eſſe latratus percipit. Caloris, quatenus eſt igneus & ſpecie à ſymphyto & emphyto non differt, πρῶτον δεκτικὸν eſſe ignem, & per ignem eſſe in miſto & animato, quatenus illa ex elementis conſtant, neceſſarium eſt, & Phyſicæ initiatis notiſſimum.

Verum cum calor ille ἔμφυτος & σύμφυτος miſti & animati longe alia ratione ſit in miſto & animato, quàm

quàm in igne, diverſam ex miſtione cum elementis aſſecutus rationem, longe aliter idem ineſt miſto & animato quàm igni. Nam primò ratione ſuæ qualitatis ita eſt cicuratus temperatuſque, ut non amplius opera ignis, urendo, conſumendo & deſtruendo efficiat, ſed animati, ut velut inſtrumentum animæ vivificet, unde animalis dicitur, teſte D. Sennerto lib. 1. Inſtit. c. 4. Secundò ineſt in miſto & animato diverſa ratione atque in igne. Etſi in miſto inſit per ignem, tamen non amplius ibi ineſt ſoli igni, ſed toti miſto: nulla enim vel minutiſſima miſti particula caloris eſt expers, qui calor id generavit & generatum conſervat, uti vinculum humidi cum ſicco. Aliter itaque calor eſt in miſto, aliter in igne; & ratione officii & ratione ſubjecti. Et idcirco miſti calor dicitur ſymphytus ſeu connatus, recteque illius πρῶτον δεκτικὸν dicitur miſtum & cum eo convertitur. Nam ubicunque datur calor, qui per elementorum miſcibilium alteratorum unionem à ſe generatum corpus conſervat, & in eo ſyncriſin elementorum tuetur ibi datur calor σύμφυτος, & nullibi datur calor σύμφυτος unionem ſicci cum humido conſervans, non depaſcens, niſi in corpore miſto; Ergo reciprocatur calor ſymphytus cum miſto.

CLXVII. De calore emphyto, ratione ſubjecti, idem eſt judicium. Calor enim vitalis & animalis, licet quoad primævam eſſentiam ſpecie non differt ab igneo & ſymphyto, imò per ignem, ex quo corpus animalis & Calidum innatum uti ex cæteris elementis conſtet, inſit, tamen quia nullibi eſt ut inſtrumentum animæ, nec ut vivificus, quàm in animali & animato, & toti inſit corpori omnibuſque partibus

partibus viventibus ex elementis coagmentatis,cum animato corpore,ut calor ἔμφυτος reciprocatur. Exſtincto enim calore emphyto perit animal,& eodem cum debitis requiſitis poſito , ponitur animal & animatum. Et quamvis ſpecie non differat ab igneo,tamen poſito igneo calore non ponitur animal vel animatum , nec ubicunque datur vel exſtinguitur igneus calor, ut non eſt ἔμφυτος, datur vel perimitur animal vel animatum.

CLXVIII. Hinc corruit nova objectio Ganymedis, quæ ibidem in tractat. de Calid.innat.fol. 70. & 71.producitur: quæ eſt talis. Quodcunque ſubjectum non eſt πρῶτον δεκτικὸν ſeu ſymphyti ſeu emphyti caloris,ab illius forma calor ſymphytus & emphytus non dirigitur : Atqui nec miſtum eſt ſymphyti nec animatum emphyti caloris πρῶτον δεκτικόν. Ergo &c. Sic multæ formæ utuntur qualitatibus, quarum illæ in primo ſubjecto non ſunt cauſæ: ſic anima utitur calore &c. Verum jam probatum eſt, animatum & miſtum cùm illius tùm hujus caloris ex allegata ratione eſſe primum ſubjectum.

CLXIX. Sed & hos calores differre ſubjecto prolatis ex Ariſtotele, Zabarella & Duncano invictis rationibus probatum eſt, in quibus hæc potiſſima eſt: quod calor animalis in eodem corpore perire poteſt ſalvo calore miſti. *Calor vero quilibet non perit ſalvo ſubjecto, neque ſubjectum ſalvo calore*, uti ſuperiùs demonſtratum eſt. Sed quid opus accerſere tot rationes tantorumque veteris ſapientiæ myſtarum, relegetur Ganymedes ad ſcholam D. Sennerti, ferulam meritus, quod ſui Præceptoris principiorum & præceptorum aut non memor,aut non gnarus,tàm turpiter

piter ſuam prodat vel malitiam vel ignorantiam. D. Sennertus in epitom.ſcient.natur.lib.8.c.2.rectè inquit; Hominis temperamentum quod attinet, in eo ut & in aliis animalibus, quorum ille quaſi regula eſt, duplex temperamentum reperitur, unum corporis quatenus ſimpliciter miſtum, alterum corporis viventis. Nam dum homo moritur temperamentum quod viventi competebat unà evaneſcit: in cadavere tamen, donec putredine corrumpatur, partes aliquamdiu ſuam ex elementis compoſitionem & temperiem retinent.

Temperamentum verò hominis ex harmonia omnium partium reſultans ibidem aſſerit eſſe calidum & humidum. eandem vide ſententiam D. Sennerti in Inſtitut. lib. 1. c. 4. ubi vitale temperamentum in calido & humido elementari ponit & vitam in calido & humido conſiſtere. Hactenus ille. Ex quibus primò liquet D. Sennertum ſtatuere, vitam conſiſtere in calido & humido, quatenus ſunt elementaris conditionis: alioquin enim temperamentum hominis viventis ex qualitatum harmonia, in qua dominentur caliditas & humiditas, in quibus vita conſiſtat, conſtare non poſſet. Temperies enim reſultat ex miſcibilium alteratorum unione: miſcibilia illa in ſe agunt, quæ unius ſunt generis & elementaris conditionis &c. Secundò ſequitur ex ſententia D. Sennerti, calorem animalem & temperiem viventis ſubjecto differre à calore & temperie miſti, quod illo animati perdito hic, qui miſti eſt, aliquamdiu ſe ſuſtinere & ſupereſſe poſſet, donec ab externo ambiente evocatus & pro miſto conſervando inidòneus factus ſubjectũ in corruptionẽ abire permittat.

CLXX. Hinc

CLXX. Hinc non tàm puerile quàm ſcurrile eſt, quod objicere non veretur, calorem miſti & calorem animati non perficere diverſas operationes, quia ſpecie non differant, (unde rectè contra ipſum concluditur, calorem animati, qui nativus dicitur eſſe elementaris conditionis) ſiquidem ut Zabarella, Archangelus Mercenarius, Duncanus aliique veritatis veteriſque ſapientiæ myſtæ docuerunt, calor ut à calore ſpecie non differt, cum in ſe & ex ſuâ naturâ conſideratur, & ſic eaſdem uterque operationes perficit: verum uti eſt & conſideratur alter velut inſtrumentum animæ, vivificat, nutrit, coquit, quod ita eſſe demonſtratum eſt ex eo, quod exſtincto hoc calore vita vitaleſque actiones intercidant, licet fuerit elementaris conditionis; quodque alter calor videlicet miſti ſequens formam miſti, calore animati exſtincto ſyncriſin elementorum in miſto adhuc tuetur, & humidum cum ſicco, ne ſeparentur unita, conſervat. Vnde apparet ingens calumnia & bonas diſciplinas perdendi ſtudium, dum contrà recepta Philoſophiæ principia in tractat. de Calid. innat. fol. 72. impudenter non veretur aſſerere, calorem ſymphytum ſeu miſti non aliter tueri humidi cum ſicco unionem, quàm lupus defendat ovem, hoc eſt, ipſum calorem miſti non conſervare, ſed deſtruere miſtum, cujus integritas ex ſicci cum humido unione dependet.

CLXXI. Atque hic iterum ad ferulam ſui Præceptoris D. Sennerti remittendus eſt maleferiatus ille Ganymedes Sperling. Docuerat enim D. Sennertus in epitom. natur. ſcient. lib. 3. c. 3. ipſam miſti generationem & prævìam ad formam alterationem à calore

re per ſe & primario proficiſci, & (paulò poſt) totam miſtionis ſeu generationis miſti naturam in debita humidi cum ſicco conjunctione, quæ à calore in certo gradu conſtituto fit, conſiſtere, & quandoquidem eadem generationis & conſervationis miſti cauſa ſit, tam diu miſtum etiam in ſuo ſtatu naturali durare, quamdiu debita & juſta humidi & ſicci permiſtio ſub juſto caloris dominio conſiſtit. Vbi porrò docet, miſtum non perire, quia calor humidum ſiccumque ipſemet ſolvat miſtùmque corrumpat, ſed quia calor connatus miſti partium unionem conſervans vi externi ambientis diripiatur, & evocetur ab opere conſervationis.

CLXXII. Sed pergit cornicari & ex falſis barbarici & novæ Philoſophiæ principiis & hypotheſibus frivolis novas nectere conſequentias. Cum enim in diſputat.de morb. ſubſtant. dixiſſem juxta vetuſtatis & veritatis principia, calorem nativum communem temperiei rationem & vegetationis principium & vim tribuere corpori animati, humidumque in quo hæret jugiter depaſcere, Ganymedes tractat. de morb.ſubſtant. quæſt. 7. inquit; *quid Calido nativo cum temperie?* vides quo ſe ungue ſcabat: ille falſa deducit ex falſo principio Paracelſico, quod ſolus ſpiritus, qui non ſit ex elementis, abſque ullo calore conſtituat Calidum innatum: cujus opinionis abſurditas ſupra eſt diſcuſſa: eaque ſatis eluceſcit ex proximè citatis D. Sennerti verbis, quibus docet, temperamentum hominis viventis reſultans ex harmonia omnium partium eſſe calidum & humidum & vitam in calido & humido conſiſtere. Quod & D. Sennertus in Inſtit.lib. 1.cap.4.adhuc apertius docet,

cum

cum aſſerit, calidam & humidam temperiem maximè naturæ humanæ convenientem eſſe, eamque omnibus actionibus edendis aptiſſimam , in quâ caliditas frigiditatem & humiditas ſiccitatem ſuperet, idque moderatè: in hoc calido & humido vitam conſiſtere , & hoc calore quamdiu animal vivit opus habere, ut præcipuo inſtrumento ad omnes actiones edendas, & humiditate ut pabulo ejus: & vitam quamdiu homo vivit in caliditate & humiditate, ſuos gradus habentibus, conſiſtere.

Ergo calidum & humidum, in quo vita conſiſtit, eſt de temperie totius, & nulla temperies eſt, niſi ex omnibus qualitatibus inter ſe mutua actione & paſſione in unam qualitatis harmoniam redactis. Verum calor & humor, ſi eſſent ſuperelementaris naturæ , non agerent in reliquas paterenturve ab illis, neque in unam cum illis temperiem coaleſcerent.

CLXXIII. Porrò in progreſſu ibidẽ abſurda abſurdis cumulat; ait enim caloris miſti interitum non eſſe ſubſtantię corruptionẽ, quod per accidentium poſitionem non ponatur, & per eorundem remotionem non removeatur. Vides nugas ſcurriles & ſcuticâ dignam ignorantiam. Nonne & ipſius Præceptor D. Sennertus docet, in phyſi: ſua miſtum corpus, quod ſubſtantia eſt, perire corrupto calore ? nunquid putredo , quæ ex caloris connati humidum cum ſicco & ſyncriſin elementorum conſervante, ablatione & diſſipatione oritur, eſt corruptio ſubſtantiæ? an non poſito calore humidum cum ſicco miſcente, uniente & conſervante ponitur ſubſtantia , eoque ſublato ſolvitur? phy! pudeat præ livore & rabie oblatrantem, vel malitiæ vel ignorantiæ.

Deinde ait, falſum eſſe calorem miſti in animato primò & per ſe non pati: falſum eſſe ait, calorem miſti, ſi tali intemperie afficiatur, ut officium facere nequeat, nullam aliam invehere mutationem quam ſubſtantiæ corruptionem.

Verum malitioſe errat in primo effato: ille enim calor, qui vitæ & vitalium actionum, uti inſtrumentum animæ auctor eſt, qui vivificat, coquit, nutrit, propriè, primò & per ſe læditur: atque ille eſt animalis, & elementaris uti probatum, conditionis. Hujus vi ut dictæ actiones perficiuntur, ita & ejus læſione læduntur, & interitu abolentur. Qui quamdiu animal vivit per ejus præſentiam calor miſti in toto perire nequit, ut ex Zabarella probatum eſt & ex Duncano: in parte verò perire poteſt, ſed non niſi illo primùm totaliter peſſumdato, unde gangræna totaliſque partium corruptio. Ex ſuperioribus enim patet, calorem animalem ſeu emphytum poſſe perire remanente miſto. Paſſiones itaque caloris in vivo corpore primò & per ſe accidunt Calori animati non miſti, non ſymphyto: unde in frigore manus, quod exemplum ille pueriliter objicit, alteratur primò & per ſe calor animalis, non miſti, per quem ad ſenſum non ineſt tantus calor, uti videre eſt in cadavere, quod undiquaque frigidum eſt per exſtinctionem caloris animalis & emphyti, & nihilominus ſupereſt calor miſti in partibus, donec hoc pereunte in principia ſua reſolvantur & planè pereant.

CLXXIV. Quod tertiò ſubjicit pro inſtantia, id & ex falſo principio majoris abſurditatum fundamento depromptum eſt. Primò enim objicit me dicere,

cere, calorem nativum eſſe animæ inſtrumentum, ſed non addere cujus inſtrumentum ſit calor miſti. Ad quod reſpondemus ex Duncano & Zabarellâ, calorem miſti dirigi à forma miſti: habet enim pars corporis quælibet peculiarem ſubſtantiam & formam ſubſtantialem, uti ipſemet fatetur: foveri tamen & conſervari miſti calorem ab animali, qui & uberius ineſt & à nobiliore principio: cujus indicium eſt, quod exſtincto animali calore calor miſti, quo adhuc in ſua ſubſtantia conſervantur partes miſti, poſtea etiam ſenſim pereat & diſſipetur, unde putredo & totalis partium corruptio.

Quod autem inquit, calorem miſti ab anima, ut & reliquas qualitates dirigi, unde calor miſti coquat in ventriculo, quod non ſit ab animali diverſus (nota lector, quod calorem miſti dicat non eſſe ab animati diverſum, unde neceſſariò uterque eſt elementaris: & quod uterque anima uti poteſt pro inſtrumento ad perficiendas concoctiones) id abſurdorum abſurdiſſimum eſt. Quippe ſi calor miſti directus ab anima poſſet concoctionem & actiones caloris animalis perficere, videlicet vivificare, coquere, nutrire, ſanè per exſtinctionem caloris nativi non exſpiraret vita, non deſinerent fieri coctio, nutritio, cæteræque actiones, ipſique animæ recedere & perire non foret neceſſum ob corruptionem caloris innati, quia has omnes actiones per ſymphytum & miſti calorem, qui pereunte animali & emphyto remanet, uniuſque ſpeciei eſt, perficere poſſet.

Cum itaque ſuperſtite & ſalvo calore ſymphyto, emphytus (quo læſo læduntur actiones in vivo animali, & pereunte animal perit) pereat, ſequitur miſti

calorem in animali modo ſupra dicto eſſe impatibilem, nec eſſe proximum animæ inſtrumentum, ad edendum actiones vitales, eoque non faciente officium, quod eſt ſyncriſin elemẽtorum in miſto tueri, miſti corporis ſubſtantiam perire, & læſionẽ actionis caloris miſti eſſe conjunctam cum ſubſtantiæ corruptione. Si itaque verum eſt, actiones fieri à calore nativo, ut eſt animalis & proximum animæ inſtrumentum, non à calore miſti, neceſſe eſt læſo calore emphyto & animali actiones vitales lædi, & corrupto interire: adeoque hominem, ſi ægrotet, ægrotare ut animatum, non ægrotare ut miſtum; perire ut animatum, non ut miſtum; quia cum perit miſtum, jamdudum perit animal, exſtincto calore, cujus læſione ægrotavit & cujus interitu periit.

CLXXV. Et ſcuticâ dignum eſt quod objicit, hominem laborantem ex frigiditate & humiditate, non laborare ut animatum, quia videlicet non ſit morbus in calida intemperie, cum nullus per qualitatem à calore diverſam inferatur morbus, niſi deſtruat temperiem & menſuram caloris, cujus in omni actione vitali primaria vis eſt. Frigus enim inducendo frigiditatem lædit calorem, ejuſque actionem vitæ neceſſariam corrumpit; humiditas obtundit hebetatque; ſiccitas activæ juncta exaſperat vel minuit. Tyrones rerum Phyſicarum ſolent ejuſmodi objectiones afferre, cum rem non intelligunt, ſed diſcere incipiunt.

CLXXVI. *Denique quod ait, calorem miſti ab anima directum animæ actiones perficere, id antea ſtrenuè negavit, aſſeruitque calorem elementarem nihil aliud facere quàm calefacere, nec eſſe animæ inſtrumentum ad actiones,*

ſed

ſed calidum illud, quod ipſi eſt ſpiritus, eſſe animæ inſtrumentum, ejuſque actiones expedire, quia calor elementaris nunquam ita dirigi poſſit ab anima, ut actiones alias quàm calefaciendi & ſua natura ſuperiores perficiat. Quin imò calorem elementarem, qui nobis ineſt, non ineſſe in corpore per miſtionem elementorum, ex queis componitur, ſed in minutiſſimis particulis igneis, quas atomos igneas vocant, quæ ſint per ſubſtantiam Calidi innati diſperſæ.

CLXXVII. Et cum ait, calorē miſti à calore animati non eſſe diverſum, & ejuſdē conditionis & ab anima directum, poſſe æquè ut is, qui animalis dicitur, coquere: animalis verò calor ſit is, quem Innatum propriè nuncupamus, quid eſt quod cum alterius quàm elementaris naturæ & originis eſſe tanto conatu diſputet, cum hic eum eſſe elementarem ingenuè fateatur; imò quid eſt, quod calorem miſti, quem neceſſario fatetur eſſe elementarem ſi ab anima dirigatur, non poſſe alias actiones edere, quæ ignis ſunt propriæ, clamitet, cum tamen loco citato fateatur, ventriculo intemperie laborante (videlicet frigida) animam non bene coquere, eoque valente rectè coquere.

CLXXVIII. Ex his, quæ dicta ſunt hactenus, patet *futilem, inutilem & rancidam eſſe diſtinctionem, quâ aſſerunt novæ ſectæ conditores, in morte violenta non perire Calidum innatum, in quo vita propriè conſiſtit; & ſalvo calore innato, cujus exſtinctione mors definitur, animal poſſe mori.*

Quæſitum ergo fuit, ſi ſalvo calore innato pereat vita, cujuſnam caloris exſtinctione mors oboriatur. Ad hoc reſpondet blatero Sennertianus, violentam mortem ſtrangulatis & ſuffocatis obvenire, non

propter abſentiam Calidi innati, ſed ob defectum Calidi influentis. Vnde concludit violentam mortem eſſe exſtinctionem calidi influentis, remanente innato; atque ubi hoc tradit, veteratoriè & fraudulenter loquitur; inquit enim in tractat. de morb. ſubſt. quæſt. 7. Calido innato ſalvo animam non abire, id intelligendum eſſe incluſivè non excluſivè: ſcilicet non excludendum eſſe calorem influentem, alioquin non patere cur moriantur ſtrangulati, in quibus non protinus pereat Calidum innatum.

Si itaque hoc quod dicit incluſivè perire calorem de utroque, videlicet de influente & innato, intelligat, quorum alter ſine altero non exſiſtit, res plana eſt. Si vero intelligat de ſolo calido influente, uti patet ex hoc, quod ante aſſeruit, vitam perire ſive adſit ſive abſit Calidum innatum, in tractat. de Calid. innat. fol. 61. falſiſſimus & impoſtor eſt mendaciſſimus. Illud enim, in quo vita propriè conſiſtit, periclitari & perire neceſſum, ſi vita auferri debeat; atqui vita propriè conſiſtit in corpore ejuſque partibus eſſentialibus & calore nativo inſito; quatenus ad eſſentiam corporis ejuſque partium pertinet, non in calido influente, quod nec vivit, nec eſt pars corporis, ſed cedit in nutrimentum ſeu ſuſtentationem Calidi innati. Deinde ipſe D. Sennertus in Inſtit. lib. 1. c. 4. non in calore influente ſed inſito vitam conſiſtere ait, eumque affirmat eſſe partem corporis cap. ſeqq.

CLXXIX. Vide cordate lector, brutam bruti magiſtri abſurditatem. Si itaque poſſet remanere & ſuperſtes eſſe calor innatus pereunte influente, & ſine ejus ſubſidio ſupereſſe, non periret vita ex defectu influen-

influentis, quia in hoc non in illo conſiſtit vita. Et ſi propter defectum influentis perit vita, quia innatus calor ſine influentis ſuſtentatione ne per exiguum temporis ſpatium ſupereſſe poteſt, non ſequitur in influente eſſe vitam : Neque enim idcirco in aëre vita noſtra eſt, vel aër vivit , quia vix per momentum ejus uſu calor innatus ſine ſui exſtinctione & vita periculo carere poteſt. Si verò calor innatus ſalvus manere poteſt, & non exſtingui neque perire, ſi à conſortio aëris aut influxu influentis caloris ſeparetur, neque ejus integritate propriè vita indubitato ipſorum etiam teſtimonio, conſiſtit, neceſſum eſt, mortem caloris influentis ſaltem privatione ſeu in ſtrangulatis ſeu in vulneratis obvenire.

At cum veriſſimum ſit Calidi innati, in quo vita conſiſtit, naturam & eſſentiam, ni jugi influxu caloris influentis & aëratione conſervetur & reſtauretur, continuò perire, falſum eſt deficiente aëre & influxu caloris influentis , Calidum innatum ſuperſtes manere poſſe, id docet ipſe D. Sennertus lib. 1. Inſtit. c. 4. & 6. & lib. 2. c. 4. ubi ait, vitalem ſpiritum ſeu influentem ex puriore ſanguinis parte & aëre genitum, maximum ad vitam uſum habere, quod non ſolum cum calido cordis inſito præcipuum actionum cordis ſit inſtrumentum , ſed & per arterias in corpus univerſum diſtribuatur, innatumque ſingulis partibus calorem, qui per ſe imbecillior eſt, nec ad omnes actiones ſolus ſufficit, excitet, augeat, inſtauret, eique quaſi actum & perfectionem , quatenus videlicet in ejus ſubſtantiam vertitur, tribuat, unde & Calidum influens à nonnullis appellatur.

CLXXX. Et uti deficiente pabulo ex naturali

actione caloris in humidum, perit exſtinguiturque calor in ſenibus, ita quocunque modo pabulum illud calori ſubtrahatur ſive naturaliter ſive violenter, calorem innatum perire neceſſum eſt. Nam aëratione & appulſu reſtaurationeque calidi influentis negato æquè exſtinguitur & perit calor violenter ex cauſis violentis denegato hoc pacto & deficiente pabulo, quàm naturaliter eodem annorum multitudine conſumpto.

CLXXXI. Et licet reponi poſſet, calorem exſtingui ut qualitatem in violenter mortuis, quod & accidit cum à frigore contrario exſtinguitnr, vel humorum multitudine obruitur, quomodo κατὰ σβῆσιν Philoſophis perire dicitur, atque ſic remanere ſpiritum ablato & exſtincto, qui eum inſedit, calore, tenendum, quod ſolus ſpiritus, ſi ſupereſſe poſſet, (quod tamen fieri nequit) exſtincto calore, uti vitam, quæ in Calido innato conſiſtebat, ſine calore tueri non poterat, neque cæteras animæ actiones ad vitam neceſſarias perficere valebat, ita etiam ſuam eſſentiam amplius tueri nequeat, uti ex ſuperioribus patet; quodque Calore innato, tanquam neceſſaria eſſentiæ ſuæ parte deſtitutus & privatus, non amplius conſtituit Calidum innatum. Et ſi ſolum ſpiritum velit Calidum innatum nominare, qui tamen ſolus Calidi innati eſſentiam ipſo D. Sennerto teſte non conſtituit, tamen neque ipſe perdito calore ſeu caliditate ei inhærente, & conſequenter exſtincta vita ſupereſſe poteſt. Quia Fernelius lib. 2. phyſiol. c. 5. ex Hippocrate, quem divino, cum hæc ſcriberet, afflatu impulſum fuiſſe prædicat, nobis demonſtrat, homine animam agente ſingula in proprias naturas

refluere,

refluere, ex quibus unumquodque conſiſteret: *quia natura rerum obitus conficiens eo ſingula refert, unde fuerant accepta. Homines cum ſolutis corporum vinculis è vita excedunt, quod innati caloris diſſipatur, id omne in univerſam ignis naturam revolare; ſpiritus ſubſtantiam partim in ignem, partim in aëris regionem effuſam refundi; humorem redire ad aquam aut halitum aquæ aërique confinem; ſolidiores partes, quibus craſſior eſt firmitudo ſenſim aqueo humore exhauſto in terram & cinerem abire.*

Ex ſuperfluo hoc addam, quod Ganymedes & adulator Sennertianus in tractat. de morb. ſubſtant. quæſt. 6. *fateatur, mutatis etiam qualitatibus cæteris nec ipſum Calidum innatum (quod ipſe non vult eſſe elementaris conditionis) ſalvum manere poſſe: quod Calidum innatum purum ac immiſtum in corpore non exſiſtat, ſed cum calore ſeu potius particulis igneis aliiſque pluribus conjunctum ſit, quibus ſublatis vel diſgregatis id in priſtina diſpoſitione non maneat, ſed, ut poſtea quæſt. 7. inquit, per qualitates elementares talem introduci ἀνωμαλίαν, ut Calidum innatum cum humido primigenio diſpergatur, quod accidere ait in febribus cùm aliis tùm hecticis.*

CLXXXII. Ex quibus abundè liquet, pereunte calore & conſequenter exſtincta vita ſpiritum, in quo erat calor, nec habere rationem & naturam amplius Calidi innati, & ſi haberet, ſuperſtitem eſſe non poſſe. Calorem verò, qui in ſpiritu hærens, omnium actionum vitalium proximè inſtrumentalis cauſa eſt, cujus etiam exſtinctione mors definitur, eſſe qualitatem, & quidem elementarem, ex eo patet, quod nulla qualitas tranſeat in peregrinum & toto genere diverſum ſubjectum, uti ipſe teſtatur D. Sennertus lib. 5. Inſtitut. p. 1. c. 2. (Caliditas enim illa non eſt in

Calido innato vel ſpiritu, quatenus hæret in atomis igneis per ſubſtantiam Calidi innati diſperſis , ſed quatenus accidens, ex cujus cum materia & ſubjecto concretione conſtituitur illud, quod Calidum innatum vocatur, in quo & illa dominatur eique appellationem tribuit) quod accidens transferatur cum ſuo ſubjecto; quod calores iſti quicunque ſint ſeu animalis, ſeu cœleſtis, ſeu miſti, teſte ipſo Ganymede in tractat. de Calid.innat. fol. 18. ſpecie inter ſe non differant; quodque omnibus primò & per ſe adverſetur & contrarium ſit frigus. Hanc verò caliditatem, uti accidens & elementaris naturæ eſt, D. Sennertus ſupra allegatis locis docet, ſpiritu ad omnes ſuæ ſpeciei actiones perficiendas uti. Hunc calorem elementarem, in ſimilaribus exſiſtentem, omnes actiones in corde & partibus corporis exercere teſtatur D. Sennertus lib. 1. de febrib. c. 1. eundemque in febribus accenſum, eas, quas naturaliter conſtitutus benè perficiat, actiones vitiare & corrumpere. Hunc calorem ab igneo ſpecie non differre, ibidem fatetur, & ab illo Calidum innatum habere denominationem, atque illud, dum pro ſpiritu accipitur, hoc, ad omnes operationes ſuas perficiendas uti: quin imo ſine eo non reperiri, quemadmodum facultas animalis ſine naturali non invenitur lib. de Galen. cum Chym.conſ.& diſſ. aſſerit. Verè itaque calor vivificus eſt, & omnium actionum auctor, & cuique ejus legitima menſura & temperatione vitam & ſanitatem conſiſtere, eoque exſtincto mortem obvenire certum eſt.

DISPV-

Disputationis Nonæ de Calido innato

Discursus Quartus.

An vita interire poſſit & cadaver fiat privatione vitæ ſive abſit ſive adſit Calidum innatum, & an hoc ſit corpus ſuperelementare, nec ex elementis compoſitum.

CLXXXIII. Animal vel hominē, dū violēta morte perit, ſalvo & ſuperſtite Calido innato mori, dùm naturali morte decedit, totali innati Calidi exſtinctione interire, & fieri cadaver privatione vitæ ſive abſit ſive adſit Calidū innatum cum D. Sennerto & pro D. Sennerto plenis buccis vociferatur ejus Ganymedes in tractat. de Calid. innat. fol. 60.

Hujus inſulſi effati veritatem ut demonſtremus, operæ pretium fuerit, ſiquidem in hoc tanquam in columna & baſi magna fundatur ab illis errorum lerna. *Indubitatò verum eſt, nullam interire formam, aut è ſuo recedere corpore, ſalvo, cui inſidebat & quod informabat, ſubjecto & materia: & vice verſa, nullum ſubjectum, ut ſubjectum fuit ſuæ formæ, incorruptum manere pereunte vel recedente forma.* Hunc æternæ veritatis canonem veriſſimo confirmat axiomate D. Sennertus lib. 5. inſtit. pag. 1. c. 2. cum inquit: Porrò *requirit quælibet forma propriam οἰκεῖαν ὕλην ſeu adæquatam materiam, quæ non niſi uni formæ ſubjicitur, & cum hoc ſimul eſt & ſimul interit. Talis materia adæquata, propria & qua cum forma ſupereſt & interit, eſt D. Sennerto Calidum inna-*

innatum, quod lib. 1. inſtitut. c. 5. ait, proximum & immediatum eſſe domicilium, quod οἰκείως animæ ſubjicitur, ita ut ſi corrumpatur, animam ipſam è corpore migrare & vitam cum morte permutari ſit neceſſum.

CLXXXIV. Omnem formam materiatam ſeu materiæ immerſam actuare propriam ſuam & adæquatam materiam, & facere ut hoc ſit, eiq; ob id tribuere exſiſtentiam, & nullam formam materiatam extra ſuam per ſe poſſe exſiſtere materiam, ex veteris Philoſophiæ immobilibus decretis diſputat. 3. theſ. 51. & ſeqq. ſatis ſuperque demonſtratum eſt.

Res omnis perit pereunte forma. Forma, cui nihil eſt contrarium, interit propter ſubjecti corruptionem: quamdiu enim illud integrum, nec pro forma ſuſtinenda ineptum & inhabile redditum eſt, forma interire nequit. Perit itaque forma omnis propter pereuntem materiam adæquatam ſeu ſubjectum ſuum proprium, *adeò ut ſimul, teſte D. Sennerto, pereant forma ejuſque ſubjectum, neque ſubjectum maneat integrum & incorruptum pereunte forma, neque forma alibi exſiſtat aut exſiſtere poſſit pereunte ſubjecto proprio.* Cum verò nulla res depereat in nihilum, forma pereuns redit in potentiam materiæ, unde orta eſt; & ſubjectum ejus, poſtquam forma actuante & exſiſtentiam tribuente orbatum eſt, ſolvitur in ſua principia, ex quibus compoſitum & ortum. Si verò dentur formæ materiatæ, quæ inſtar animæ rationalis ſeparatæ à ſua propria materia per ſe exſiſtere poſſunt, deturque ſubjectum ſeu materia, quæ ſine forma exſiſtentiam ſuam tueri atque ſuperſtes eſſe poteſt, quod de ſuo Calido innato prædicant novæ abſurditatum ſectæ Stentores & conditores, res tali materia

ria talique forma conſtans erit perennis ac incorruptibilis æternaque, & ſic nullum perire poſſet animal, vel ad minimum homo eſſet immortalis. Dari verò tale quintum corpus, ſeu quintam eſſentiam corpoream, quæ ſit ſuperelementaris conditionis & ſimplex & incompoſita, docent D. Sennertus lib. 1. inſtitut. c. 5. & ejus Ganymedes in tractat. de morb. ſubſt. & de Calid. innat.

CLXXXV. Hoc corpus vel non eſſe ex elementis compoſitũ & nobilioris quàm elementa eſſe originis; vel, ſi ſit elementare, eſſentiam ſuam habere à forma peculiari idem aſſerit loco citato. Habet itaque eſſentiam ſuam vel ſine forma, quod ſit originis ſuperelementaris, vel habet eſſentiam ſuam à forma peculiari, & ſic materialiter eſt originis elementaris, ut ibidem docet.

Si primum admittas, dabitur corpus ſine forma & exſiſtentia corporis ſine forma, quod abſurdum: ait enim, ſi ſit elementare corpus tùm indigere forma, quia nobiles operationes ab elementis provenire nequeunt. Si ſecundum recipias, Calidum innatum materialiter conſtat ex elementis, & non magis quintum conſtituet vel erit corpus vel quinta eſſentia propter formam nobiliorem, quam homo cæteræque res ex elementis materialiter conſtantes & nobiliorem formam habentes. Tertium ſi ſtatuas, quod materia Calidi innati ſit ſuperelementaris, & forma omnis D. Sennerto eſt ſuperelementaris conditionis & conſequenter incorruptibilis, neceſſum eſt rem ex incorruptibilibus principiis natam, maximè eſſe incorruptibilem. Quicquid enim corrumpitur, id reſolvitur & corrumpitur in ſua principia,

vel

vel quia ſua pereunt principia: Materia Calidi innati eſt corpus ſuperelementare & ſimplex; ideoque à nullo patitur, (Hippocrates ait, ſi homo unum eſſet non doleret:) quippè quod ex contrariis non conſtat principiis, neque perit, quia ex nullis conſtat, & compoſitum eſt principiis, in quæ recidat: Ergo ut ſit incorruptibilis neceſſum eſt, quod incorruptibilia habet principia, quibus nihil contrarium eſt, quo diſſolvatur & pereat, id neceſſariò eſt incorruptibile: Formas rerum materiatarum & præcipuè animatarum eſſe incorruptibiles ex novatorum abſurditatibus patet: Habent enim ſuos actus entitativos, quibus extra propriam materiam exſiſtunt; vel ſi pereant, in nihilum perire neceſſum eſt, quod natura non admittit, neque Philoſophia vera & Theologia orthodoxa credit.

CLXXXV. Verum cum hæc ſublunaria corpora generationi & interitui ſint obnoxia; pereant verò pereunte forma, & nulla forma perire poſſit ſine corruptione & interitu ſubjecti ſeu materiæ adæquatæ, ut teſtatur ipſe D. Sennertus, ſanè ſine corruptione Calidi innati, quod immediatum proximum & οἰκείως ſubjectum eſt animæ, anima emigrare & interire & animal mori nequit. Calidum itaque innatum, juxta D. Sennertum lib. 1. Inſtitut. c. 5. ut materia animæ ſeu formæ ſubjicitur: anima enim actuat & informat non formam, ſed materiam.

Et ſi recurrat ad formam illam commentitiam lib. 5. inſtitut. pag. 1. c. 2. æqualis redundat & redit abſurditas. Ibi enim ait & aſſerit, animam in Rhabarbaro & rebus vegetabilibus generare aliam formam; qua utitur loco ſubjecti & materiæ, cui primò inſit

&

& per quam inſit toti plantæ vel rei: hanc pereunte anima & forma ſpecifica permanere in re, & ſublimium ſupraque elementorum conditionem actionum & virtutum eſſe cauſam.

Verum uti dixi æqualis redit abſurditas: nulla forma perit, ſubjecto ejuſque conſtitutione, per quam forma inerat, integra atque incorrupta. Nunquam, teſte D. Sennerto, perit anima, ſubjecto, quod propriè, immediatè & οἰκείως ipſi ſubjicitur, integro. Nihil hic addam de abſurditate hujus opinionis, quâ ſtatuit, formam habere formam, formam informare formam, formam ineſſe per formam: quæ principia cum cavillari & convellere nititur, reponit, me dicere formam principalem non informare ſubjectum, quod præditum ſit aliis formis. Exemplum ponit in corpore humano, quod conſtat materia elementari, in quâ formæ elementorum ſuperſunt.

Verum me negare formam ſpecificam informare materiam, formis aliis conſtantem, turpiſſimum eſt calumniatoris mendacium. Non nego materiam retinentem formas elementares informari, ſed formam ignis, formam terræ & aquæ & aëris, informari & eſſe ſubjectum formæ ſpecificæ, per quam informet, prorſus nego.

CLXXXVI. Sed ut principiis veræ Philoſophiæ & immobilis veritatis oggannire pergat, porrò inquit: Nulla forma informatur: cordis, epatis, cerebri formæ informantur: ergo non ſunt formæ: Item, quicquid non informatur, illud ad corpus humanum non ſpectat: forma cordis, hepatis, cerebri non informatur: ergo &c.

CLXXXVII. Impudentes hæ vel ſcurriles ſunt cavillationes

villationes. Quæſtio erat, an per formam quandam intermediam aliam, toti corpori vel materiæ informatæ inſit immediatè forma ſpecifica, & mediante illa forma informetur corpus vel ſubjectum & materia formæ ſpecificæ. Illud negavi dixique nullam formam totius ineſſe per aliam formam immediatè totum informantem, nec per multas alias formas partium vel materiæ totius, unde mirabilis ſequetur abſurditas, ſi anima per formas elementorum & formas partium corporis materiæ corporis ineſſe dicatur, quemadmodum de forma Rhabarbari ſtatuit D. Sennertus. Non negavi materiam habentem alias formas informari, ſed materiam mediantibus his formis informari negavi.

Forma itaque ſpecifica immediatè non informat in ſubjecto formam ignis, aëris, vel cordis & cerebri, ut per illas inſit toti, ſed corpus illud conſtans elementis & partibus formas habentibus; idque informat, non per formas has, ſed hæ ſunt ſub dominio ſpecificæ inſtar materiæ, quia inſunt corpori, quod propriè eſt materia & ſubjectum formæ ſpecificæ; variis partibus particulariter informatis conſtans.

Et quæſtio erat, an una quædam eſſet forma totius, quæ immediatè ſit ſubjectum formæ ſpecificæ in toto, & quâ mediante forma eſſet in toto; non de variis formis in materia, quia hæ omnes unius formæ ſubjectum primum eſſe nequeunt.. Nihil porrò dicam de forma hac commentitia, an generetur ab anima; hæc enim in ſequentibus ſatis excuſſa & falſimoniæ convicta ſunt.

Revertamur itaque ad rem: ex præmiſſis rectè concludimus, *nullam formam perire ſalvo ac integro*

tegro

tegro ſuo ſubjecto, quocirca nec anima nec vita recedere vel perire poteſt ſalvo & ſuperſtite Calido innato proprio ejus domicilio, & materia, ſive ea habeat illam formam commentitiam (quod abſurdum) ſive ſit proximum atque immediatum ſine alia forma ſubjectum.

Hoc ut demonſtrare pergamus tenendum, quod vita interire nequeat, niſi illud, in quo conſiſtat inſtrumentaliterque exerceatur, corrumpatur & intercidat. Vita eſt interitui obnoxia, quocirca id, in quo eſt, videlicet inſtrumentaliter & per quod exerceatur, corruptioni obnoxium eſſe oportet. Quid verò ſit illud in quæſtionem venit. Vitam naturalem eſſe ab anima in corpore organico, & vitę ſubjectum eſſe corpus animatum ab anima informatum, extra dubium eſt: & ex animæ & corporis conjunctione oriri vitam ſapientum eſt ſententia. Forma omnis requirit ſubjectum & materiam propriam & adæquatam cui inſit, quod D. Sennertus teſtatur ſequentibus verbis lib. 5. inſtitut. p. 1. c. 5. *Forma qualibet ſibi convenientem ac idoneam requirit materiam, ac diſpoſitionem, in qua recipi & per quam actiones ſuas exercere queat.* Diſpoſitio verò eſt qualitas, non forma: hæc ad ſubſtantiæ, illa ad qualitatis prædicamentum pertinet: neque forma diſpoſitio eſt ad formam aliam recipiendam, quod contra naturam formæ; neque eſt ſubjectum immediatum formæ per quam inſit alia forma, cum formæ non ſit neque inſit forma, neque forma habet formam, neque forma formæ inſtrumentum eſt. Forma enim habet reſpectum ad materiam ejuſque potentiam, & materia ad formam. Forma actuat materiam non formam: forma

Iii eſt

eſt actus materiæ, non formæ: ex actu & potentia fit unum, non ex duobus actibus &c. Nulla etiam forma efficax eſt, niſi per inſtrumenta qualitatum.

CLXXXVIII. Si forma ſubſtantialis immediatè ut inſtrumentum alterius formæ operari & actiones perficere poſſit, utique forma princeps cujus inſtrumentum illa eſſet, per ſe immediatè agere poſſet, nec egeret medio vel inſtrumento: Sed nulla forma ſubſtantialis immediatè agere abſque proprio ſuo poteſt inſtrumento. Illud inſtrumentum eſt qualitas cuique formæ idonea. Proinde diſpoſitio eſt apparatus materiæ, qua fit propria & οἰκεῖα formæ, quaque mediante inducitur forma & cujus opera in ſubjecto conſervatur, & per quam actiones ſuas exercet, & quâ pro inſtrumento utitur. Vnde incomparabilis & magnus Duncanus ait lib. 2. artis medic. c. 2. *Temperamentum eſt proxima actionis cauſa: Actio omnis à forma. Forma verò ſine neceſſariis inſtrumentis efficax non eſt: nam quatuor ſunt quæ in animato corpore cohærent: Functio à facultate, facultas à forma mediante partis temperamento ut diſpoſitione neceſſaria.* Et paulo poſt: *Finis temperamenti eſt, ut ſit inſtrumentũ neceſſarium ſine quo non operatur ulla ſubſtantia aut pars.*

CLXXXIX. Diſpoſitio itaque materiæ eſt, quæ facit ut anima in ſubjectum corpus introducatur, & cum illo conjungatur & cohæreat & conjuncta maneat, eſtque illud inſtrumentum, per quod actiones ſubſtantia ex animæ & corporis coalitu nata, ſeu animal edat. Hac diſpoſitione mediante, materia proprium eſt animæ ſubjectum & domicilium, ibidemque illa manet: hæc eadem animæ, & totius ſubſtantiæ inſtrumentum eſt, *quia actiones ſunt compoſitorum.*

Cum

Cum itaque vita ſit ab anima, quatenus corpus informet & eſt in corpore, & diſpoſitio ſit illud medium, quo jungatur & ſervetur in corpore, & inſtrumentum ſubſtantiæ proximum, per quod omnes actiones ſuas edat & operetur, & hac læſa lædantur actiones ſubſtantiæ totius & vitales operationes, eaque pereunte anima recedat vel pereat & mors obrepat, Philoſophi & Medici in iſta diſpoſitione durante & benè habente collocarunt vitam & ſanitatem, inque ejus læſione & interitu morbum & mortem: *unde mortem per caloris innati extinctionem definiunt.*

CXC. Verum ut in hanc diſpoſitionem quæ & qualis ſit inquiramus abs re non fuerit. Ratum eſt toti antiquitati, & D. Sennerto lib. 1. inſtitut. cap. 4. quod in illa conſtitutione & temperie, quæ humanæ naturæ convenientiſſima eſt, conſiſtat vita & ſanitas, ille allegat & probat locum Galeni lib. 3. de ſan. c. 3. (neque enim aliter, ſi in veritate ſtare velit, agere poteſt) lib. 1. inſtit. c. 4. ubi inquit: *Qui maximè ſunt humidi, ii maximè ſunt longævi, iidem & ſanitate, ubi corpus ad robur pervenit, plus cæteris fruuntur, cæteriſque qui parem ætatem agunt, valentiores ſunt ad extremum uſque ſenium.* Ideo illud temperamentum (calorem verò non excludit) teſtibus Medicis omnibus & Philoſophis, eſt laudatiſſimum. Idem D. Sennertus ibidem approbat ſententiam Ariſtotelis lib. de longit. & brevit. vitæ, dicentis, *vitam noſtram conſiſtere in calido & humido, & quam diu vivit animal in quacunque ætate calore opus habere, ut præcipuo ad omnes actiones inſtrumento, & humiditate, ut caloris pabulo. Frigiditatem vero & ſiccitatem ad mortem deducere,*

& quo citius animal refrigeratur & ſiccatur, eo citius ſeneſcere & mori. Etidem D. Sennertus pergit ibidem profiteri, *eam temperiem calidam & humidam naturæ humanæ eſſe convenientiſſimam omnibuſque actionibus edendis aptiſſimam, in qua caliditas frigiditatem & ſiccitas humiditatem moderatè ſuperet.* Verùm cum calor conſervetur & paſcatur humido ſuo, quod pro pabulo habet, & oppugnetur à frigore, & ab eo ut contrario patiatur, & ſiccitas agat in humidum, uniformis illa temperies manere nequit. Elegantiſſimè omnium hoc explicat Galenus lib. 1. de ſanitat. tuend. c. 2. ubi ait. *Corpus quæ noſtrum lædunt corrumpuntque genere duplicia ſunt. Alia nobiſcum congenita, & quæ vitare nequeas, quæque ex ipſis generationis principiis veluti radice oriuntur. Sanguis ſemenque genitale, generationis noſtræ primordia ſunt: ille ceu materies quædam apta concinnaque & opifici ad quodvis ſequax: hoc opificis rationem obtinens. Utriuſque ſubſtantia humida eſt, quam talem ſervare conveniens non erat, ſi modo ex ea nervi, oſſa &c. conformari debebant. Oportuit igitur ſtatim ſub initio addi hoc, quod ſiccandi vim haberet, qualis maxime eſt ignis, tum etiam terra. Humidum oportuit ſuperare terram ut cederet opifici, ignem virtute & efficacia ut efformaret. Ab hoc cogitur paulatimque concreſcit quod in utero conceptum eſt, mox ſiccius redditur veluti ad lineamenta & rudimenta membrorum, donec ſpeciem cujuſque exactam præbeat. Iam in lucem editum, tùm ſiccius tùm valentius efficitur, donec ad ἀκμὴν ſummum ſuum incrementum perveniat, oſſibus nimirum per ſiccitatem non ultra ſequacibus. In eo quod ſequitur tempore, partibus jam ſuprà modum ſiccatis, non ſolum cujuſque officium minus probè adminiſtratur, ſed etiam ipſum corpus macilentius graciliuſ-*

que

que redditur, unde naturale ſenium & tandem mors. Vide eundem Galenum lib. de marcor. c. 4.

CXCI. Ex quibus patet, in temperie calida & humida primò vitam & ſanitatem; deinde omnem ætatum mutationem & rationem conſiſtere: & quod vita & ſanitas conſervetur caloris & humidi conſervatione; deſtruatur verò ab invaleſcente adverſario frigore & ſiccitate calorem humidumque pariter oppugnante & abſumente. *Vita proindè conſiſtit in conſervatione caloris & reſtauratione abſumptæ per calorem humiditatis.* Calor conſervatur ejuſque in quo hæret ſpiritus ex aëre & igne compoſitus, nutritur & continuo reſtauratur humidi, in quo hæret, pabulo, & calore ſpirituque naturali influente & aëre attracto. Quare cum ſubſtantia ex continua actione caloris nativi in humidum, quo vita conſervetur, ſit in perpetuo fluxu & conſumptione, perpetua quoque ejus, quod conſumitur, reſtauratione ſeu regeneratione opus habet. *Unde Scaliger dicit exercitat.* 31. *vitam ſive conſervationem eſſe veluti perpetuam generationem: & conſervationem eſſe eſſendi continuationem. Quocirca iis alamur, ex quibus facti ſumus. Ut vero id quod ſubſtantiam noſtram conſumit eſt ſemper in actu ſecundo, ita etiam hoc, quod eam reparat & reſtaurat continuo debet eſſe in actu ſecundo, ſi vita conſervari debet. Reficitur autem & reparatur id, quod perditum eſt, nutritione, unde nutritio ſemper eſt in actu ſecundo & perditi reſtauratio dicitur. Perficitur autem ſubſtantiæ nutrientis in ſubſtantiam nutriti converſione.* Conſiſtit itaque vita in tali temperie, quæ cum ſuo ſubjecto in continua mutatione eſt & fluore & conſumptione, & ob id jugi reſtauratione & ſui regenera-

tione opus habet. Hoc temperamentum D.Sennertus lib. 1. inſtitut. c.4. inſitum vocat, & viventibus proprium, in quo vita conſiſtat, & per Calidum innatum à primo ortu inhæreat. Hunc verò calorem eſſe mitem & debilem, neque ad vitam ſolum ſufficere (ubi hoc notandum, quod per ſe ſolus ſufficiat, ſi debitè indeſide ſuffectu quantum continuò perit, reſtauretur) ut ſit opus ſubſtantia tertia è corde præcipuè effluente, & per arterias in univerſum corpus diſtributa innatum ſingulis partibus calorem excitante, augente, reſtaurante, eique quaſi actum & perfectionem tribuente, ait D. Sennertus lib. 1. inſtitut.

CXCII. Corporis noſtri ſubſtantia triplex eſt, videlicet carnoſa, ſpirituoſa & ſolida, quæ triplici quoque alimento indiget. Indiget verò alimento, quia id quod conſumitur alimento reſtaurari debet. D. Sennertus ait loco proximè citato, epatis munus eſſe omnibus partibus ſolidis, carnoſis & ſpirituoſis alimentum conficere. Naturalem verò ſpiritum in epate genitum ſuppeditare materiam qua partes corporis noſtri ſpirituoſæ reficiantur. Hunc verò ſpiritum eſſe tenuiorem & ſpirituoſiorem ſanguinis partem, ex quâ in cor affluente & aëre, ope reſpirationis & arteriarum dilatatione attracto, in ſiniſtro cordis ventriculo miſtis atque elaboratis & quaſi in corpus tenuiſſimum & cœleſte redactis, generetur ſpiritus vitalis. Aëre hoc attracto, inquit D.Sennertus, ut familiari pabulo ſubſtantiam ſpirituoſam in nobis refici, & pro aëris puritate vel impuritate ſpiritus puriores vel impuriores gigni.

CXCIII. Spiritus itaque influentes cum ex aere

& ſan-

& ſanguinis tenuiore portione generentur, & quilibet in propria ſua officina fiat, ibique propriam, dicente D. Sennerto, formam accipiat, & ex hoc reſtauretur, augeatur, & cum ſubſtantia noſtra ſpirituoſa in continuo flore conſiſtat (eleganter Galenus ait, cum partes corporis noſtri minus ſint durabiles, jugi indigent reſtauratione caloris per arterias, & nutritione per venas) id quod jugiter perit, jugiter reſtauretur, undè ne exiguo temporis momento aere per reſpirationem & arterias attracto carere poſſumus, neceſſario ſequitur, quod falſum ſit, ſpiritum illum innatum, in quo vita conſiſtit, quintam eſſe quandam eſſentiam ſuperelementaris naturæ, quæ non ex elementis generetur, ſed à creatore, elementis jam creatis, ſit rerum viventium ſpeciebus indita, ita ut in iis non generetur ex elementis, ſed ex prima creatione per traducem in ſingulas ſpecies propagetur.

CXCIV. De altera ſubſtantia corporea Calidi innati, videlicet humido quod etiam eſt pars corporis viventis, inquit D. Sennertus, *quod hominis materia ſit duplex, una, quatenus habet corpus miſtum ſimpliciter; altera, quatenus habet corpus vivens. Quæ viventibus propria & in omnibus calida, humida & unctuoſa ſit, cujus conſumptione homo per ſenectutẽ extenuatur & rugas contrahat, quæ non contrahantur ratione materiæ, quâ conſtat corpus, quoad ſimpliciter miſtum eſt, ſed quatenus hoc Calido innato viventibus proprio perficitur, in quo (ſunt verba D. Sennerti) vita conſiſtit, quoque animal deſtitui nequit, qui etiam in ſyncope, ubi per diſſipationem & perditionem ſeu inopiam ſpiritus influentis calor inſitus mirificè debilitatur, nihilominus partes ad tactum tepidæ ap-*

parent, nec omnino ita frigidæ ſunt, ut in mortuis, quando ſine hoc calore vita conſiſtere nequeat, & in eo mirificè debilitato & per defectum influentis imminuto, vita adhuc ſuperſit & perſiſtat. Hic itaque calor animantibus inſitus & proprius, in quo vita conſiſtit, is eſt, qui animal calefacit & quem ad tactum ſentimus, eſtque elementaris, & in ſyncope vehementer minuitur & ad teporem remittitur, in mortuis planè exſtinguitur, dictante ibidem D. Sennerto. Cujus totali exſtinctione corpora planè refrigerantur, ut hujus caloris merito mors definiatur per exſtinctionem caloris nativi.

CXCV. Calorem verò hunc, quia accidens eſt, eſſe elementarem & ſpecie ab elementari non differre ipſe D.Sennertus docet lib.1.de febrib.c. 1. & lib. de Galen.cum Chymic.conſ.& diſſ.cap.10. fol.244. ubi eum efficaciſſimum & evidentiſſimum eſſe in animalibus, calidoque innato denominationem tribuere ab eoque ferè ſeorſim reperiri non poſſe docet. Ineſt verò ille calor corpori Calidi innati ut qualitas prædominans & toti denominationem tribuens teſte D. Sennerto lib. 1. inſtitut.c.5. eſtque cauſa & illud proximum inſtrumentum, quo omnes actiones quæ calori nativo adſcribuntur, immediatè perficiuntur, ut teſtatur idem D.Sennertus lib.de Galen. cum Chym.conſ.& diſſ.c. 10.fol. 257.

CXCVI. Cum itaque Calidum innatum conſtet ex qualitate cum ſubjecto, ſeu concretum ſit ex qualitate & ſubjecto & qualitas illa ſit elementaris ipſo D. Sennerto teſte, neceſſum eſt, ut illud ſubjectum ſeu corpus & ſubſtantia Calidi nativi, cui illa proximè & immediatè inſidet, ſit ex elementis & elementaris

taris conditionis. Cum teſte etiam D. Sennerto lib. 5. inſtitut, p. 1. c. 2. accidens transferatur cum ſuo ſubjecto, nec extra ſuum ſubjectum proprium in alieno & toto genere diſſidente corpore eſſe poſſit & aſſignandum ſemper ſuo πρώτῳ δεκτικῷ. Qua ratione inviƈtiſſima cum demonſtraſſem Calidi innati ſubſtantiam eſſe elementarem, nihilque haberet quod reſpondere poſſit, Ganymedes effutit primò illam caliditatem non eſſe de eſſentia Calidi innati, cum tamen D. Sennertus dicat, per Calidum innatum intelligi qualitatem illam ſeu caliditatem, quæ elementaris eſſe probata eſt, ſed non nudam & ſolam, verum cum ſubjecto ſuo; ſeu id quod concretum eſt ex qualitate & ſubjecto. Deinde etſi ſpiritus ut ſpiritus (ſi quis nonnihil argutari velit) non ſit πρῶτον δεκτικὸν caliditatis, tamen quia ſpiritus illam habent caliditatem elementarem, probatur per hoc, quod cum qualitas omnis cum ſuo primo & nativo ſubjecto transferatur, neceſſario ſpiritus ille ſit elementare corpus & ex elementis, quorum merito eis ineſt iſta caliditas, compoſitus. Proinde cum negat veterator, ſpiritum ſeu Calidum innatum eſſe πρῶτον δεκτικὸν caliditatis igneæ ut ignea eſt, illud negat, quod ego nunquam affirmavi. Per hoc enim, quod omnis qualitas inſit ſuo πρώτῳ δεκτικῷ probo Calidum innatum eſſe elementare, quia conſtet caliditate elementari, quæ cum ſuo primo ſubjecto ita transfertur, ut cui corpori inſit ut qualitas, hoc neceſſario ſit ex elementis, quia elementa nullibi ſine ſuis qualitatibus reperiantur. Quomodo tamen caloris innati ſubjectum dici poſſit ſupra demonſtratum eſt.

CXCVII. Hic cum conſtrictus teneretur Ganymedes Sennertianus, nec ullum videret effugium, mavult ad mendacia & barbaras opiniones confugere quam veritati cedere. Ait enim barbarus ille moroſophus, caliditatem illam, (quæ in febribus intenditur, cujus per accenſionem definitur caloris nativi in igneum converſio) de qua agimus, & à qua Calidum innatum denominationem habet, eſſe & manere in ſuo igne ſeu viventis particulis igneis & aëreis vel atomis igneis per ſubſtantiam Calidi innati diſperſis; ubi primò turpiter oggannit & contradicit ſuo Præceptori, quem mendaciis & calumniis, cùm aliter non poſſit, defendere, bardo auſu molitur. Ejus enim apertis & diſertis verbis ſatis expreſſa eſt ſentẽtia lib. 1. inſtitut. c. 5. ubi inquit: Caliditatem illam ut qualitatem inhærere ſubjecto ſuo, quod eſt materia Calidi innati: illudque concretum ex caliditate ſeu qualitate & ſubjecto, appellitat Calidum innatum, in quo illa qualitas ſeu caliditas inſit, & à qua nominetur, quia ex eo conſtet & in eo dominetur.

CXCVIII. Quocirca caliditas illa non eſt in ſubſtantia Calidi innati, quatenus in eo diſperſa ſunt corpuſcula ignea minuta & atomi igneæ, alieniſſimæ ab eſſentia Calidi innati, ſed quatenus eſt qualitas quæ cum ſubjecto & ſubſtantia Calidi innati, ipſam calidi naturam definit, eique proprie & proximè inhæret, ut quemadmodum illa ſola caliditas non conſtituit Calidum innatum ſine ſuo ſubjecto, ita ſubjectum non conſtituit Calidum innatum ſine caliditate, quæ in eo dominetur, videlicet efficacia & viribus, & à qua denominationem habet. Quod

antem

autem illa caliditas vel calor ille ſit præcipuum ad omnes actiones inſtrumentum ex hoc patet, quod D. Sennertus locis citatis ex lib. de Galen. cum Chym.conſ.& diſſ. & ex inſtitut. in corpore Calidi innati dominium tribuat caliditati ut qualitati, & quod nullas Calidi innati actiones perfici & fieri à Calido innato doceat, niſi operatione hujus qualitatis, quam ait animæ inſtrumentum eſſe, lib. de Galen. & Chym.conſ.& diſſ. multaque operari,quæ ſola non efficit, ſed ut eſt inſtrumentum animæ; unde ut inſtrumentum animæ in ventriculo chylificet, in epate ſanguificet & alibi aliter agat.

Deinde & in hoc oggrunnit ſuo Præceptori,quod Calido innato non calefieri corpus ſed atomis igneis per ſubſtantiam Calidi innati; quod interim nec calidum nec frigidum eſſe & nihilominus Calidum innatum vocari, nec ab atomis iſtis in eo diſperſis calefieri, & nihilo magis incaleſcere quam ipſam animam, garrit. Cum tamen D. Sennertus illum calorem, qui ſit viventibus proprius & in quo vita conſiſtat, corpus calefacere, nec eum calorem in viventibus, quatenus in vivis manere debent, deleri poſſe, & in ſyncope correptis non eſſe abolitum, ſed facere, ut extremæ partes ad tactum adhuc tepeſcant, eoque per mortem exſtincto corpus planè frigidum reddi doceat,lib. 1.inſtitut.c.4.

CIC. Sed &, iterum oggrunnit ſuo Præceptori, qui vitam in calido & humido (uti ſuperius probatum) conſiſtere dicit, quatenus illud ex temperie cum frigore & ſiccitate conſtat tali,ut moderatè ſuperet eique dominetur, in qua creſcente frigiditate & ſiccitate calidique & humidi naturam ſenſim depeculante,

peculante, oriatur ſenium & ipſa demum mors, uti ſupra latius vidimus. Quod cum ita ſit & ab omni ævo veriſſima philoſophiæ veteris huc uſque propagatæ fueit ſententia, vitam & ſanitatem in calido & humido elementari, non in Calido innato ſuperelementaris conditionis & æthereo, uti vocat, vel ex regione idæarum petito, qui nec calidus, nec frigidus, nec tepidus, imò commentitius ſit, conſiſtere, indubitatæ veritatis eſt.

Vbi etiam animadvertendum, quod licet ſpiritum quem ætheri analogum & ſuperelementaris eſſe conditionis affirment, tamen ex aëre & ſanguinis tenuiſſima portione in corpus tenuiſſimum & puriſſimum & pene cœleſte (ſunt verba D. Sennerti) redactis fieri aſſerant. Fit itaque ſpiritus, qui eſt corpus ætheri analogum & pene cœleſte ipſo fatente, ex elementis ſuaque propria in genitali quavis officina inſignitur forma, eodem docente. Quin imò ſubjectum, quod cum caliditate ſeu qualitate concretum, conſtituit Calidum innatum, conſtare aërea, oleoſa & pingui ſubſtantia, ipſe D. Sennertus diſertis & conceptis verbis fatetur lib. 1. inſtitut. c. 4.

CC. Quæ autem ex barbaro & monſtroſo novæ ſectæ & moroſophorum commento, ubi Calidum innatum dicitur omnis caloris expers & non calidum, neque eo calefieri corpus & nihilominus in eo conſiſtere vitam, quę indubitato in calido non æquivoco & commentitio, ſed in calido energeticè actuque calefaciente conſiſtit, eoque exſtincto uti probatum eſt, perit; & ubi ſtatuitur, igneas atomos per corpus ſparſas corpus calefacere adinſtar ſcintillarum in cinere & ollis ſuppedaneis vetularum clunibus

bus ſuppoſitis ſenilia corpora calefacientium, calefacere noſtrum corpus; calorque non inſit nobis per elementum ignis, quatenus per miſtionem ex elementis conſtamus, ſed quatenus elementa nobis inſint & agant, ut atomi igneæ, aëreæ, aqueæ, terreæ, ex quibus fluctuantibus & diſperſis in corpore conſtemus, & calefiamus, refrigeremur, ſiccemur & humectemur, cum tamen elementa non conſtare ex atomis & atomos non ex elementis in tractat. de format. orig. & ex iis pariter ut ex elementis conſtare corpora noſtra pari inſania effutiverit: Quæ inquam abſurditates & contradictiones ex barbaris iſtis commentis ſequantur, etſi paulo uberius in ſequentibus deſignentur, referre omnes, eſſet hominis bonis horis inutiliter abutentis, ulterius diſcutere: Sanè decem Democriti hic habent quas rideant abſurdas ineptias & ineptas abſurditates, totidem verò Heracleti, qui defleant novatorum conatus impios ad corrumpendum divinas & humanas diſciplinas.

CCI. Demonſtratum eſt ſubjectum Caloris innati vel caliditatis, cum qua Calidum innatum conſtituit, eſſe elementare, quia ipſa ſit qualitas elementaris. Sed ulterius illud ipſum probare pergemus. Conſervari vitam continua & inſide actione caloris nativi in humidum & reſtauratione humidi per calorem conſumpti, immobile veritatis eſt principium. Ex illa actione caloris ſubſtantia noſtra in perpetuo eſt defluxu & conſumptione. Conſumitur autem humidum non à ſubſtantia aliqua immediatè, qualis eſt ſpiritus, uti videtur velle Ganymedes: quia nulla ſubſtantia eſt efficax ſine inſtrumento qualitatis, & ipſe D. Sennertus loco citato teſtatur, ſpiritum omnes

nes

nes actiones efficere per calorem, qui ei ineſt, & ſine quo ſpiritus ſeorſim ferè non reperitur. Illum verò calorem eſſe elementarem, ibidem D. Sennertus aſtruit. Elementaria verò non agere in ſuperelementare quippiam, ſed actiones eſſe agentium ſub uno genere idem vult D. Sennertus. Quemadmodum itaque calor non potuit agere in ſpiritum illum, propterea quod eſſet eorum opinione ſuperelementaris ſortis, ita non poſſet agere in humidum, ſi illud eſſet ſuperelementaris conſtitutionis. Verum quia in illud agit, ut porrò deinceps audiemus, & conſumit, neceſſario ex elementis natum & ortum eſt.

CCII. Vita non conſiſtit ſaltem ex actione caloris in humidum, unde conſervatur calor, ſed & reſtauratione humidi à calore conſumpti, quod niſi reſtauretur, calorem & ex hoc vitam ipſam exſtingui ilicò neceſſe eſt. Continua conſumptio continuam reſtaurationem requirit, uti dictum eſt. Reſtauratur verò id quod conſumptum eſt, nutritione. Nutritio eſt deperditi reſtauratio & perficitur nutrimenti in ſubſtantiam nutriti converſione.

Nihil quod crudum eſt nutrit, ſed ut tres in corpore coctiones tranſeat id, quod nutrire debet, neceſſum eſt. *Concoctio eſt perfectio à calore naturali ex oppoſitis paſſivis*, quam definitionem ipſe Ganymedes retinet in tractat. de Calid. innat. fol. 62. quamvis cæteroquin omnium Ariſtotelis axiomatum futilem cavillatorem & principiorum antiquæ & invictæ veritatis allatratorem ubique ſe probet. Calorem perficere concoctionem, quia agat in contraria, ſcribit ex D. Sennerto Ganymedes in tractat. de morb. ſubſtant. quæſt. 8. reſp. 1. Perficitur autem concoctio

ctio à dominio caloris ejuſque opera, quatenus frigiditatem domat, humidum cum ſicco permiſcet, id quod humidi inutilis ac ſuperflui adeſt conſumit vel ſegregat, humidumque cum ſicco miſtum unit, determinat, definit; unde coctio dicitur terminata humiditas.

CCIII. Quamobrem omnis coctio perficitur miſtione, licet in omni miſtione non concurrat concoctio. Fit enim à calore corporis animati;ubi nova per definitionem humidi cum ſicco peragitur miſtio, ibi ſubſtantiæ novæ fit generatio. Ait enim D. Sennertus lib. de Galen. & Chym. conſ. & diſſ. c. 12. fol. 349. quod miſtio & generatio parum differant, aut certè nulla generatio fiat ſine miſtione, & ſic vice verſa. Et Ariſtoteles lib. 4. meteor. Perficitur concoctio primariò, ut nova ſubſtantia vel novus ſubſtantiæ modus acquiratur. Hoc pacto cibus in ventriculo per concoctionem converſus in chylum, novam acquirit formam, & chylus in epate in ſanguinem converſus novam acquirit formam ſubſtantialem, fitque in corpore animato directore anima per concoctionem nova ſubſtantia. Habet enim ſanguis in corpore genitus formam quam ibi accepit ſubſtantialem, teſte D. Sennerto lib. 5. inſtit. c. 2. Sanguis autem ab anima ſeu potius corpore animato generatur per calorem, quatenus ille coctionis author eſt. Ex quibus apparet primò πλείωσιν ſeu perfectionem à calore eſſe non ſaltem accidentalem, ut nugatur Ganymedes in tractat. de Calid. innat. fol. 62. ſed & eſſentialem.

CCIV. Deindè cum calor frigidum ſuperando, fundendo, miſcendo humidum cum ſicco, determinando,

nando, uniendo & colligando, ut ſubſtantia nutrimentalis generetur, perficiat concoctionem, & actio omnis fiat à contrariis unius generis, ſequitur illa in quæ agit corpora, quæque miſcet & unit & in alibilem ſuccum convertit, eſſe elementaria: quod ex ipſo D. Sennerto patet lib. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 12. fol. 354. ubi ait; quod dum ex pane fiat chylus, ex chylo ſanguis, ex ſanguine caro, os, nervus &c. in qualibet generatione & nova miſtione, dum unũ in aliud cõvertitur, non fieri reſolutionem ſemper uſque ad elementa. Si igitur ad elementa fiat aliquãdo reſolutio, ſcilicet illa quę eſt ultima, & ultimą neceſſario fiat in elementa, neceſſario res per cõctionẽ & miſtionem genita eſt ex elementis. Iuxta enim D. Sennertum duplex eſt miſtio, una quæ à calore & ſpiritus nativi beneficio perficitur, quibus directoribus, inquit, elementa pro rei natura miſcentur: altera eſt ex corpuſculis jam antea miſtis & in ſua eſſentia conſtitutis. Vbi tamen hoc vult obſervari, quod nulla mixtio fiat niſi ex corporibus minimis & ad particulas minimas refractis mutua actione & paſſione qualitatũ elementariũ in ſe agentibus, vel ex particulis ad tantã parvitatẽ redactis, ut cujuſque earum plurimum contingat, plurimum alterius.

CCV. In qua re doctrinam Galeni & Avicennæ amplectitur: vide D. Sennertum in tractat. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 12. fol. 361. Cum itaque miſtio & coctio fiat à calore; & miſtio vera ſit corporum propriè elementarium, teſte eodem ibidem D. Sennerto, & calor miſcere & miſcendo concoctionem in nullis corporibus perficere poſſit quam in elementaribus, & quia omnis actio ſit intèr

con-

contraria unius generis, ſequitur, Primò quod calor dum ſit elementaris tantum agat in elementarem materiam, quodque calor miſcens & coquens & corpus coctile miſtumque neceſſariò ſint elementaris conditionis. Secundò, quod miſtio, coctio cæteræque actiones naturales, quæ fiunt à calore, nequaquam fiant à ſpiritu, qui ipſis dicitur Calidum innatum, & ſit corpus ſuperelementaris conditionis, nec ex elementis ortum, ſed à calore (quem concedit D. Sennertus eſſe elementarem) qui eſt in ſpiritu ex elementis nato, & humido radicali undiquaque miſtus. Quodque coctio, dum ſit actio animæ vegetantis, hærentem principalem agnoſcit cauſam animam; inſtrumentalem verò & proximam calorem in ſpiritu & humido primigenio, ibique dominationem, dicente D. Sennerto, obtinentem, & cum eo, ceu res neceſſaria, Calidum innatum perficientem, & denominationem largientem. Et cum coctio non ſit organica actio ab inſtrumento aliquo, ut corpus eſt, perfici nequit: perficitur enim alteratione & actione caloris in qualitates paſſivas, & cum omnis actionis ratio, uti ſupra demonſtratum eſt, fundetur in temperie ſimilarium, & ſimilares inchoentur & abſolvantur à temperie ſimilarium, organicæ verò fundentur in ſimilaribus & abſolvantur ab organicis, ſi maximè coctio eſſet actio organica, nihilominus præcipua vis, qua perficeretur, fundaretur & eſſet in temperie. Nemo autem unquam negavit, coctionem eſſe actionem à temperie ſimilarium, in qua dominetur calor, proficiſcentem. Et ipſe D. Sennertus omnes actiones vitæ à calida & humida temperie proficiſci teſtatur lib. 1. inſtitut. cap. 4. Accedit &

 hoc,

hoc, quod omnis actio ſit ab anima principaliter, & organicæ actionis ſpecies determinetur in organo, proficiſcatur autem à temperie & diſpoſitione organi. Nulla itaque actio immediatè completur ab organo, ſed perficitur ab eo immediatè, quatenus benè vel malè diſpoſitum & temperatum eſt. Vnde regula eſt univerſalis, *quod forma & anima non ſit efficax nec operetur niſi per qualitates.* Quod confirmat D. Sennertus lib. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. c. 10. cum inquit, *calorem multas perficere actiones ut animæ inſtrumentum, quas ſolus non efficeret & propterea etjam diverſa efficere, veluti in ventriculo chylum, in epate ſanguinem &c.*

CCVI. Tertiò ex dicta D. Sennerti Regula, quod omnis actio ſit inter contraria unius generis, falſum eſt, occultas qualitates unà eſſe cauſas miſtionis, quia eas elementaris non eſſe conditionis ſtatuit. Quartò vehementer errat D. Sennertus lib. inſtitut. quando ait, nobiliſſimas actiones, qualis eſt vis purgandi, venenis reſiſtendi eſſe in ſpiritu inſito & humido radicali, quatenus eſt corpus ſuperelementare, non quatenus habeat formam vel animam. Has enim ineſſe virtutes agendi, inquit, Calido innato, quia non ſit elementare corpus. Si verò ex elementis id eſſe ſtatuatur, tum neceſſario orirentur à formâ eſſentiam ejus potiorem conficiente. vide D. Senn. lib. 1. inſt. cap. 5.

CCVII. Ex his omnibus patet, quod nutrimenta non ſunt quinta quædam eſſentia ex elementis non genita, & rebus elementaribus concreta & connata, quæ tantum illud, quod quinteſſentiale in nobis eſt, nutriat, falſumque ſit, quod nutriens & nutritum

ſint

ſunt quintæ eſſentiæ ; nihilque alat & nutriat niſi quod ſit quinta eſſentia, & nihil alatur in nobis niſi quod ſit quinta eſſentia. Cujus falſitas etiam ex hoc dependet, quod nulla fiat coctio, niſi per accuratam partium materiæ, ex qua nutrimentum generatur, miſtionem, ut miſtio eſt plurium non unius corporis & quidem corporum contrariis qualitatibus præditorum: Eſt enim miſtio, dictatore Ariſtotele, miſcibilium alteratorum unio. Vnde etiam vidimus, quomodo ſe ſcalpant novatores ungne Paracelſico, qui prodire nutrimentum ſtatuit; non quatenus per mutationem ſubſtantialem concoctionis generatur, ſed quatenus nudè ſeparetur à corporibus, quibus includitur, elementaribus. Nulla igitur fit alimenti per concoctionem vi caloris in corpore generatio, ſed tantùm elementaribus corporibus inditi & quintæſſentialis corporis ſeparatio, cujus appoſitione ad humidum noſtrum radicale ipſis fit nutritio. Ait enim D. Sennertus, lib. 1. inſtitut. c. 5. fol. 35. quod animalia & plantæ, quæ homini & animalibus cibi loco ſunt, non ſimpliciter miſta ſint ex elementis, ſed ſuum humidum radicale, ſuumque ſpiritum inſitum obtineant, quo animalium, quibus in eſcam cedunt, ſpiritus inſitus Calidum innatum ſpiritumque radicale conſervatur & inſtauratur. Quodlibet enim animal, quicquid eſt in carnibus vel plantis humidi radicalis calidique inſiti ſui corpori apponit, ſuoque corpori aptum reddit & οἰκεῖον facit: reliquum corpus miſtum ut inutile excernitur.

CCVIII. Vides hic novatores iterum prodere auriculas Paracelſicas. Quintæ eſſentiæ animalium & plantarum nutriunt quintam eſſentiam animalium:

 nutri-

nutrimentum animalibus & plantis eſt concretum & connatum, non generatur per concoctionem in animalibus, nec generatur ex elementis ut elementaribus corporibus, ſed ſeparatur ut quinta eſſentia & apponitur quintæ eſſentiæ: Hæc ipſis eſt concoctionis loco: hoc ipſo illis perficitur nutritio: in hac ſeparatione quintæ eſſentiæ corpus miſtum, in quo tanquam involucro, matrice & theca latebat & hoſpitabatur, ut inutile rejicitur.

Quintæ autem eſſentiæ iſtæ ut corpora maxime ſimplicia, quia ex nullis aliis conſtant principiis materialibus, in nulla alia reſolvuntur, nec contrarium habent, à quo impetuntur, corrumpuntur vel alterantur, remotiſque & ſeparatis elementorum & elementatorum molibus, quiſquiliis ac involucris, in quibus tædioſe inhærent, in libertatem vindicatæ, ſunt (ferè inquit D. Sennertus) incorruptibiles. His ob dictas cauſas nec ægritudo nec interitus accidere poteſt. Ecce hominem aſtralem, quinteſſentialem, Paracelſicum & nunc etiam Sennertianum, qui cùm verè conſtituat ipſum corpus humanum, vereque nutriatur, & cætera corporis involucra ex elementis & miſtis corporibus conflata his, non nutriantur, quia nutrimentum ex quintis eſſentiis, quod tantum nutrit quintam eſſentiam, ei competere non poteſt; Simile enim nutritur ſimili; nec ab elementis & miſtis ali poteſt quod in nobis eſt elementare, quia quod præter quinteſſentiale eſt reliquum corpus miſtum, id ut inutile rejicitur, docente D. Sennerto. Huc accedit, quod Ganymedes in tractat. de Calid. innat. elementa & elementata non nutrire diſcurrat.

CCIX. Ideo-

:CIX. Ideoque homo potiore & vero ſuo cor-
: eſt quinta eſſentia, qua & unum eſt, & quod u-
ı eſt dictatore Hippocrate dolere & ægrotare
poteſt, quin imò nec perire. Si quid perit hu-
ıi corporis illud inutile eſt & ex elementorum
ſquiliis; à quibus verum corpus quinteſſentiale
:ratum fit (Paracelſo penitus & D. Sennerto ſe-
incorruptibile & ſui juris tanquam vindicatum à
ɔllaceis qualitatibus & in mole elementorum in-
li hærentibus.

CCX. Deinde nulla amplius eſt opus concoctio-
, nec concoctionem fieri neceſſum eſt, quia ali-
entum quinteſſentiale eſt connatum rebus & in-
get tantum ſeparatione, neque illud quia ſimplex
t & unum concoctionem recipere poteſt, nec per
ɔncoctionem alimentum fieri, neque alimentum
ĸ eo generari aliud quam per ſe jam eſt. Proinde
.on generatur ſanguis in epate, ſed ſeparatur à cibo,
n quo eſt cum genitus eſt. Et ſanè res ſeſe ex novato-
um dogmate & principiis aliter habere nequit. Res
:nim generatur per formæ generantis diviſionem.
Forma itaque ſubſtantialis ſanguinis neceſſario in
:hylo, & chyli in cibo eſt: habet enim ſanguis teſte
D. Sennerto formam ſubſtantialem. Sed ad rem:
nulla opus eſt concoctione in corpore, qua genere-
tur nutrimentum, neque verum nutrimentum fieri
poteſt per concoctionem, quia eſt ſecundum illos
quinta eſſentia & unum quid, & fruſtra jam omnia
coctionum inſtrumenta pro generando nutrimento
in epate, ventriculo &c. ſunt & ſupervacanea. Ve-
rum in quos errorum labyrinthos inextricabiles ſeſe
iſti Paracelſici novatores abjiciunt. Quomodo qua-

drat ad hæc id, quod D. Sennertus inquit lib. 1. inſtitut. c. 9. fol. 52. quod epar vim inſitam accepit materiam nutriendo toti corpori utilem, quam ſanguinem appellamus, progignendi primò & per ſe. *Pelagus contradictionum & horridarum opiniorum ſunt iſtæ D. Sennerti inſtitutiones.*

CCXI. Sed ut nihil ſuperſit dubii, quæritur, an ſi calor innatus ſit ſubſtantia ſuperelementaris (qualis, uti uberrimè probatum eſt, omnino non eſt) ex eo convincatur & concludi poſſit, quod ſupereſſe queat in cadavere exſtincta vita. Ait enim Ganymedes in ſphacelata vel gangrenata manu ex frigore & roſmarino ex frigore corrupto non perire Calidum innatum, quia alias anima rationalis etiam à frigore pateretur vel frigus pro hoſte haberet.

Vide, amice lector, impudentem barbariem audentis aſſerere caliditatē & frigus æquè parum agere & agere poſſe in ſubſtantiam corpoream, quæ ſubjectum caliditatis ab ipſo D. Sennerto in inſtitut. lib. 1. c. 5. ſtatuitur, quam ſubſtantiam ſpiritualem & incorpoream, quæ nullius elementaris qualitatis eſt capax. Sed ad quæſtionem, num Calidi innati ſubſtantia ſuperſit & ſupereſſe poſſit in cadavere exſtincta vita, reſpondemus, Quod juxta D. Sennertum ejuſque Ganymedem duplici de cauſa ſuperſtes eſſe nequit. Prima eſt, quod calor innatus in ſingulis partibus adeò per ſe debilis ſit, ut ad actiones omnes ſolus non ſufficiat, niſi ab influente in corde generato jugiter augeatur & inſtauretur, & actum & perfectionem capiat dicente D. Senn. Quod ſi ita ſit, & exſtinctio vitæ ſeu mors oriatur propter defectum calidi influentis, dicente Ganymede, neceſſum eſt à

morte

morte calidum inſitum ſuperſtes eſſe non poſſe, quod niſi continuo augeatur, reſtauretur & actuetur, continuo perire neceſſum eſt. Et præter hoc mirabilis ſequeretur abſurditas, ſi dicamus propter defectum calidi influentis exſtingui vitam ſuperſtite manente calido inſito, quod ex hoc ſequeretur vitam eſſe extra corpus animatum, cum calor influens non ſit de eſſentia animalis, nec pars corporis animati.

Secundò juxta Ganymedem non poſſe eſſe ſuperſtes Calidum innatum in cadavere, in quo jam exſtinctus ſit calor elementaris calefaciens corpus dum viveret, vel ſolutis elementorum compagibus & qualitatum elementarium ratione, ipſe docet in tractat. de morb. ſubſtant. quæſt. 6. cum inquit: *mutatis qualitatibus cæteris nec ipſum Calidum innatum ſalvum manere.*

CCXII. Atque hic iterum notandum eſt, quod Ganymedes denuo (quod vel centies fecit) ſuo contradicat Præceptori D. Sennerto. Hic enim ſtatuit Calidum innatum liberatum iſtis vinculis & inutili mole & quiſquiliis elementorum fere incorruptibile eſſe: hic vel mutatis tantum qualitatibus aut elementis quibus remiſtum eſt, ſublatis, ſalvum manere non poſſe aſſerit. Sed hæc parergῶs. Non enim his opus habemus argumentis ad diluendam novitii erroris barbariem, cum nondum probatum ſit, Calidum illud eſſe per omnia elementaris naturæ.

CCXIII. Sed quid ſi dicat in morte perire caliditatem vel calorem elementarem, quam Calido innato inhærere aſſeverabat D. Sennertus & cujus opera omnia ſua ipſi dicitur exſequi munia, quo pereunte

remaneat ſuperſtes Calidi innati *ſubſtantia, ut* eſſentialis eſt. Reſpondeo, quod calor *elemen-* ullibi ſit extra elementarem ſubſtantiam, & i pereat niſi cum ſuo ſubjecto, nec transferatur io proprio ſubjecto. Cum itaque non inſit *ei,* ſubſtantia ſuperelementaris, in ea perire ne- Et ſi ineſſet ejuſque exſtinctione vita tollere- lva manente calidi ſubſtantia, neceſſariò in eo teret vita inſtrumentaliter.

CXIV. Probavimus itaque, quod anima ſeu for- lla pereat illæſo ſuo ſubjecto, quodque per- anima ſubjectum illæſum eſſe nequeat: per- enim hæc duo ſimul, ut inquit D. Sennertus. irca Calidum innatum perire neceſſum eſt, ſi recedere debeat. Si id perit, falſum eſt, quod um innatum ſive adſit ſive abſit vita, ut gar- novatores, maneat ſuperſtes. Nam non abit vi- recedente anima, & anima non recedit niſi pto ſubjecto, & ut anima, putà corruptibilis, rma hoc habet à ſubjecti diſpoſitione & pro- nateria, quod dicente D. Sennerto, cum ea ſit aneat, & cum illa corrumpatur, neque corrum- aut corrumpi poſſit, quin læſo hoc primo ſub- ita etiam ſubjectum illud, quod D. Sennertus ſſe Calidum innatum, conſervabatur & in ſta- o permanebat, quia inſtrumento caloris nativi n quo ipſemet calor nativus & ſpiritus, cui hic t & cum quo quaſi flammulã conſtituit, rege- at cõtinuo & faciebat ut calor ille in ſpiritu & ue ex humidi nutricatu conſervaretur & hu- m ipſum continuò regeneraretur. Deficiente a, opera caloris jugiter humidum regenerantis

eoque

eoque calorem ipſum & ejus ſpiritum reficientis, totam compagem perire & id, quod Calidum innatum conſtituit, interire neceſſe eſt. Calor ſpirituſque in quo reſidet, niſi continua humidi reſtauratione & aëris attractu foveantur continuo, & ſubſtancialiter reficiantur, pereunt; ſpiritus niſi regeneretur à calore intercidit; hoc pereunte calor neceſſario perit. Calor ſi extinguatur, ſpiritus diſſipatur, humidum caloris gubernatione & opera deſtitutum nec regeneratione reſtauratum diffluit. Quare nec calorem ſine ſpiritu, neque utrumque ſine humido eſſe, aut inveniri, ipſe D. Sennertus lib. 1. inſtitut. c. 5. aſſerit. Et ſi proprium ſubjectum ſit animæ Calidum innatum, neque anima ſine hoc ipſo eſſe, neque ſic vita, quæ eſt ab anima, remanere poteſt. Quare nec vita ſine anima, nec anima ſine calore vitali (mors enim eſt exſtinctio caloris ad tactum & ſenſum calefacientis, quod & ruſtici norunt & cadaveris conſtitutio demonſtrat, quod poſito hoc calore ponatur in animalibus vita, ejuſque exſtinctione dominante frigiditate oriatur mors, ut D. Sennertus lib. inſtitut. c. 4. evidenter docet, nec calor ſine ſpiritu nec calor ſpirituſque abſque humido ſuo eſſe, exſiſtere aut ſupereſſe poſſunt.

CCXV. Id luculentiſſimè explicat ingenioſiſſimus Fernelius lib. 2. de element. c. 5. cum inquit: *Homines cum ſolutis corporum vinculis è vita excedunt quantum innati caloris diſſipatur, id omne* (ecce Fernelium ipſum ſtatuentem Calidum innatum ſubſtantialiter ex igne originem traxiſſe, quem tamen pro ſe D. Sennertus & ejus Ganymedes allegant) *in univerſam ignis naturam revolat. Spiritus ſubſtantia partim in*

ignem, partim in aëris regionem effuſam nobis refunditur: profluens humor aqua rurſus fit aut halitus, qui tum aquæ, tum aëri confinis eſt: ſolidiores partes, quibus craſſior eſt firmitudo, ubi ſenſim fuerit exhauſtus aqueus humor, tandem diſſolutæ in terram & cineres abeunt.

Id verò Fernelius ex Hippocrate demonſtrat aſſerente, homine animam agente, ſingula in propriam naturam deſcendere atque in eas refluere materias, ex quibus unum quodque conſiſteret. Vnde liquet & apparet ſeſquipedalis falſitas prodigioſi & in philoſophia ſana, vera & veteri inauditi, & à moroſophis novæ ſectæ Sennertiano-Paracelſicæ excogitati axiomatis, quod cadaver fit privatione vitæ ſive adſit ſive abſit Calidum innatum, quia in naturali morte Calidum nativum exſtinguatur, ſed in violenta maneat reſiduum: lapides loquitur bonarum artium & diſciplinarum corruptor & ſycophanta. In hoc tamen ſibi mirè placet: Freitagium ignorantiæ accuſat; quod profundum illud novæ moroſophiæ myſterium non intelligat. Verum patiatur Freitagium ſine crimine hoc ignorare, quod Hippocrates, Ariſtoteles, Galenus, totaque Græcorum & Arabum ætas ad noſtra uſque ſecula omneſque viri docti, tanquam rem inutilem non ſcientificam, ſed veras ſcientias deſtruentem, hactenus non intellexerunt. Vide quorſum novatorum barbara audacia & immane calumniandi libido erumpat.

CCXVI. Probavimus itaque nullam perire formam, nullam interire animam corruptibilem vel recedere incorruptibilem ſalvo ſuo, in quo ineſt & quod informat, ſubjecto. Si enim ſubjectum ſit quinteſſentiale & conſequenter incorruptibile, ſequitur

quitur quod animalia & cumprimis homo ſit immortalis. Deinde ſubjectum illud animæ, quod illi ſtatuunt eſſe Calidum innatum, nec quinteſſentiale aut ſuperelementare nec incorruptibile eſſe, ſed ex elementis juxta omnes ſui partes eſſe ortum & ex iis coalitum, & eſſe ob id corruptibile & corruptionis neceſſitati obnoxium, quod ſe ipſum per ætates conſumat naturaliter, vel conſumatur, ut hectica febri, corrumpaturque ex aliis cauſis violenter, & in utriuſque corruptionis modo ſeu naturali ſeu violento omnino perire Calidum innatum, & ejus corruptione, videlicet utraque vitam interire, adeò ut eo ſalvo mors oboriri & pereunte vita & anima in corpore ſupereſſe nequeat. *Unde apparet tam monſtroſum & rancidum eſſe effatum, quod vita poſſit exſtingui & fieri cadaver privatione vitæ ſive adſit ſive abſit Calidum innatum, quam bardum & barbarum hoc ſit, quo effutivit Calidum innatum non conſtare ex elementis.*

DISPU-

DISPVTATIONIS NONÆ

DISCVRSVS QVINTVS.

An & quomodo calor ſit inſtrumentum ad actiones vitæ neceſſarias perficiendas, & quiſnam ille ſit, cujus eſſentiæ & conditionis.

CCXVII. HAnc quæſtionem ut rectè examinemus tenendi & obſervandi ſunt canones, & hæc immobilia ſempiternæ veritatis principia. Primum eſt, *quod actiones animantium, quatenus animantia, in genere omnes edantur ab anima, ſpecies actionis determinetur ab organo, bonitas vel malitia actionis ſequatur & dependeat ab organi conſtitutione & temperie.* Secundùm eſt, *quod actiones hæ ſunt compoſitorum, non componentium.* Tertium eſt, *quod nulla ſubſtantia corporea operetur tales actiones neque ſit efficax, niſi per qualitates.* Quartò tenendum, quod hic agamus de actionibus quæ integræ & bonæ producuntur à ſanitate, & corrumpuntur per morbum. Quartum eſt, quod calor (uti eſt qualitas) à calore ſpecie non differat teſtificante ipſo Ganymede in tract. de Calid. innat. Quinto, quod teſte D. Senn. in Inſtit. l. 1. c. 4. alius inſit calor partibus quatenus ut miſtæ ſimpliciter ex elementis temperiem nactæ ſunt, unde partes ſimilares dicuntur, & alius calor quatenus ſunt viventia, qui ab influente *fovetur, & illum diximus eſſe ſymphytum, hunc emphytum.* Sextò, quod per calorem hunc emphytum non *nuda intelligatur qualitas ſed ſubſtantia,*

ntia, calore inſignita, à cujus prædominio teſte D.
nn. denominationem habeat. Septimò, quod ille
or vulgò deſignetur nomine Calidi innati, & licet
ſubſtantia tamen teſte D. Senn. *ſit pars corporis non*
tnica ſed eſſentialis, per omnes corporis partes extenſa,
corpori diſſimilium partium principium vegetationis
uens inſtrumentaliter. Octavò, quod illud calidum
ı peculiarem ullam partem ſeu ſimilarem ſeu or-
ıcam ſeorſim & ſolum conſtituat, ſed ad perfe-
nem ſimilarium in animante concurrat, unde
Senn. lib. 1. Inſtit. c. 4. ait totius temperamentum
iplici q. temperie conſtare: prima eſt partium
larium ex elementorum miſtione, ubi quælibet
propter peculiares actiones quibus deſtinata eſt,
ıliarem habet ex calido, frigido, humido & ſicco
periem, quæ tamen diverſæ temperaturæ om-
n partium in unam adeò referuntur & conſpi-
harmoniam, ut in toto homine inde media o-
ır temperies, quæ hominem temperatum red-
Secundum temperamentum eſt, quod partes
nent, ut viventia ob calorem ſingulis partibus
ıatum. Tertium pendet ex calore & ſpiritu vitali
ente potiſſimùm è corde redundante, qui inſi-
fovet, conſervat & perficit. *Proinde juxta D.*
Calidum innatum ut ſubſtantia concurrit ad conſti-
ıem eſſentialem partium ſimilarium, & ut temperies
ıſtitutionem accidentalem.

CXVIII. His poſitis quærendum in qua conſti-
ne ponatur ſanitas & morbus ſimilarium & vi-
mantum. D. Senn. reſpondet, non in eſſentiali,
nus ex materia & forma conſtant, ſed in acci-
li. Et in qua conſtitutione conſiſtit vita, in
eadem

eadem ipſi pariter conſtituitur ſanitas lib.1. Inſtit.c. 4. Vita vero & ſanitas D. Senn. conſiſtit in temperie calida & humida, quam & optimam eſſe ad vitæ ſanitatiſque conſervationem, & naturæ humanæ maximè convenientem docet ex Ariſtotelis lib. de longit. & brevit. vitæ, & Gal. lib. 6. de tuend. ſanit. cap. 3. vitam in calore conſiſtere quam diu homo vivit, quæ tamen caliditas & humiditas ſuos habeat gradus; Frigiditatem & ſiccitatem ad mortem deducere, ac quo citius animal refrigeratur ac ſiccatur, eo citius refrigerari & ſiccari. Verumenimverò D. Senn. docet, non quamlibet calidam & humidam temperiem naturæ humanæ eſſe convenientiſſimam & ſalubrem (ſcil. ut in ea vita & ſanitas conſiſtat) ſed hanc tantum humanæ naturæ convenientiſſimam & omnibus actionibus aptiſſimam, in qua caliditas frigiditatem, & humiditas ſiccitatem vincat, & quidem moderatè ſuperet. Si vero caliditas & humiditas hanc moderationẽ excedat, ita ut multo ſuperior ſit ſuis contrariis qualitatibus aut inferior, etiam, humanæ naturæ hanc temperiem eſſe inſalubrem: Ex quibus omnibus cõcluditur, vitam ſemper conſiſtere in calido & humido, & cum eo per varios gradus conſiſtere poſſe: alia enim atque alia eſt calidi & humidi in puero, juvene & ſene proportio; cum diverſis his conſtitutionibus vita in calido & humido conſiſtit, alia itaque eſt conſtitutio calidi & humidi quoad ſanitatem & morbum: In calido & humido optimè temperatis cum ſuis contrariis qualitatibus conſiſtit ſanitas, eaque varia eſt, & certam habet latitudinem, in qua ſanitatis tuetur rationem donec actiones ſenſibiliter lędantur. neque enim ille proti-

tinus morbo detinetur, qui perfectiſſimas actio-
exactè nō edit; inter conſtitutionem itaq; actio-
perfectiſſimas edentem, & eam quę jam vel neu-
ſt, vel actiones ſenſibiliter lædere incipit, magna
titudo: pari ratione morbus ſuā habet latitudi-
, in qua multum, plus & plurimum actiones læ-
& tandem aboleat. Iſta latitudo certos etiam ha-
terminos, intra quos vita adhuc conſiſtere &
nanere poſſit. Vita autem conſiſtit in temperie
li & humidi cum ſiccitate & frigiditate commo-
tis, qua quam diu ſiccitas & frigiditas calidita-
it primarium animæ inſtrumentum ad vitam &
s actiones, & humiditatem non ſuperant, adeo
ionibus vitæ neceſſariis edendis temperies ho-
reddatur inepta, vita etiam in morbo & in
ido permanere poteſt; frigiditate vero & ſicci-
c invaleſcente, ut calor primario humiditaſque
mbat, vel extinguatur, ſequitur ipſa mors.

XIX. Vnde ſequitur hoc, *quod in qua conſtitu-
humidi & calidi ritè temperatis cum ſuis contrariis
at ſanitas, in eadem quoque conſiſtat vita; & quod
non poſſit eſſe ſine vita, ſed vita ſine ſanitate; &
ita poßit eſſe cum morbo, donec is invaleſcat & a-
vitæ neceſſarias plane aboleat, invaleſcente omnino
ate & ſiccitate, vel ſuperflua & inutili humiditate
extinguentibus, quodque illa omnia à certo tem-
, in qua, ut inſtrumento animæ calor adhuc
tur, latitudine dependeant.* Calor itaque in
o reſidens pro debita cum cæteris temperie
ſanitatem & ætates hominis determinat, pro-
is conſtitutione diverſa eſt ſanitas vel mor-
cum perit, certiſſima mors.

Ex

Ex his liquet quod vita & ſanitas (puta ſimilarium) & morbus non conſiſtant immediatè in ſubſtantia, ſed certa diſpoſitione & temperatura earundem qualitatum, quatenus illæ ad naturæ commoditatem, & utilitatem, in mediocritate naturæ convenienti poſitę conſpirent, vel excedant deficiantve.

CCXX. Deinde quod anima vel forma per ſubſtantiam nullam immediatè exercet actiones, ſed per ſuas qualitates, quia actiones ſunt compoſitorum non componentium, & animal corpore & anima conſtans exercet actiones ſuas, quoad vitam & ſanitatem per organa ritè diſpoſita. Diſpoſitio enim organorum, per quam ſunt organa, & temperies partium ſimilarium ex qua conſtant, actionum proxima ſunt inſtrumenta: his utitur corpus animatum ad vitales actiones. Nulla enim ſubſtantia operatur niſi per qualitates, qualitas illa in homine eſt iſta diſpoſitio in qua pro naturæ lege temperata vel conſtituta, ſanitas & vita conſiſtit; & male diſpoſita, morbus.

CCXXI. Sed & penitius quam vulgò fit rem introſpicere, operæ pretium fuerit. In temperie in qua caliditas fundata in debita humiditate dominetur, cæteraſque, dicente Senn. qualitates, videlicet frigiditatem & ſiccitatem moderatè ſuperet, conſiſtere vitam & ſanitatem ex Ariſtot. Gal. ſuffragante ipſo Senn. demonſtratum, quod cum ita ſit, vita ipſa perire nequit niſi exſtinguatur ille calor humorq; peſſundetur in quo vita conſiſtit, proinde morbus organicus, licet actiones lædere & ſanitatem infringere poſſit, mortem nihilominus inducere nequit niſi ſimilarium conſtitutio, in qua calor & humor dominetur,

etur, lædatur, ut mors à quacunque etiam oria- :auſa rectè definiatur per caloris nativi exſtin- nem. Ex quo porrò ſuppullulat, quod uti in perie calida & humida moderatè ſiccitatem & iditatem ſuperante conſiſtit vita, ita etiam facul- ım ratio, medicè conſiderata & potentia ad ope- ıaturæ convenientia perficiendum, in eadem con- at. Eſt enim ſanitas ex moderatione & tempera- a omnium partium naturæ convenienti, in qua ıdatur potentia ad operandum, unde D. Senn. l. 2. ſt. pag. 1. c. 1. formaliter definitur ſanitas, quod ſit ıtentia ad agendum ea, quæ ſunt ſecundum natu- m; & morbus impotentia ad eadem, cauſaliter verò ıdem D. Senn. ſecundum Gal. l. de diff. morb. c. 2. :r omnium corporis partium naturalem conſtitu- onē actionum ſecundum naturam cauſam: morbus erò quod ſit conſtitutio præter naturam actiones edens. Ex quo patet, quod naturalis potentia & ım- otentia ad actiones, (medicè conſiderata) conſiſtat ı diſpoſitione partium corporis. Medicè autem onſideramus, quando in proximi ad actiones in- ſtrumenti diſpoſitione conſiſtere facultatem & po- entiam ad agendum dicimus. Etſi enim anima ge- ıeralis omnium actionum, uti dictum, cauſa eſt, ta- nen cum ſine organo nullam in ſpecie edat actio- nem, & ad edendum ſpecialiter actionem, potentia & facultas pendeat ab organi conſtitutione inſtru- mentaliter, in qua ſanitas & morbus fundatur, po- tentia & facultas ad actionem ejuſque ſubſtantia Medicis & Galeno dicitur fundari in partium conſti- tutione: hac enim habente ſe ſecundum naturam actiones naturæ convenienter perficiuntur, & malè

conſtituta vitiantur, unde cum Medicus læſa actione non curet animam, ſed conſtitutionem à qua immediatè actio perficitur, eâque percuratâ, reſtituatur, nec animæ vitio partibus ſeſe rectè habentibus actiones lædi queant, Medici facultatem ad actionem in conſtitutione partium collocarunt, inſtrumentalem cauſam pro primaria uſurpantes, ut ait Duncanus: Non enim hic de facultatibus animæ, quatenus ſunt vel ipſa anima vel poteſtativæ ejus partes, aut vires immediatè ex anima profluentes loquuntur, quod monitum volumus, propter calumniam Ganymedis Sennertiani, qui cum de qualitatibus è materia oriundis loquerer, me potentias ſeu facultates animæ, quatenus eſſentiales animæ ſunt ex materia produci, adeoque ipſam animam rationalem ex materia oriri in initio tract. de morb. ſubſt. turpiter & impudenter cavillatur.

CCXXIII. Quare cum Gal. & Medicis medicè nominamus facultatem naturalem conſtitutionem ex nativa rerum temperie, uti inquit. lib. 1. de ſimpl. fac. c. 1. ubi ait *facultatem eſſe certam elementorum temperiem, aut temperiei proprietatem* & lib. de præſag. ex pulſu *facultatum eſſentiam in ſingularum partium commodo temperamento poſitam, cum tunc demum ſuum munus quælibet obeat ſtrenue, cum eſt temperatiſſima, & contra male fungatur ſi intemperata ſit.* vide hac de re latius Fuchſ. lib. Inſtit. ſ. 3. cap. 1. Unde Gal. lib. 3. de ſympt. cauſ. cap. 1. de cauſis læſæ concoctionis in ventriculo differens, inquit, *quod virtutis ſeu facultatis (videl. concoctricis) læſio bifariam incidat, idque vel læſione ſubſtantiæ virtutis, aut morbi alicujus inſtrumentalis*, ſubſtantia autem facultatis aut virtutis læditur vitio tempera-

ra menti

nenti & qualitatum coctionem perficientium; morbos verò inſtrumentales impeditur, ſed in ſtantia non læditur, unde Crato in conſiliis ait: *Imbecillitas eſt intemperiei ſoboles, vera autem corroborata eſt temperiei reſtitutio.*

CCXXIV. Vbi plenioris elucidationis gratia hoc dendum, quod actiones ſunt partium ſimilarium l organicarum. Quælibet portio purè ſimilarium rtium eandem cum toto naturam & definitionem ibet, actioque ſimilaris cum corpore ſuo dividua t, atque omnibus particulis ex æquo inſidet & ſub uavis figura remanet nec variatur, quod ſecus accit in organicis, quæ certam ſtructuram requirunt. Diſſimilares & organicæ partes ex ſimilaribus componuntur, & ad harum actionum productionem requiritur certa ſtructura & conformatio: verùm ſola conformatio cæteraque ad organi perfectionem requiſita non ſufficiunt ad actionem organicam rectè perficiendam, niſi partes ſimilares pro naturæ modo temperatæ & conſtitutæ ſint. Organon itaque, etſi quoad organicam conſtitutionem integre habeat, ſi tamen partes ejus ſimilares, ex quibus componitur, diſtemperatæ & malæ affectæ ſint, actionem ſuam organicam debitè edere nequit. Similarium autem virtus in eſſentia non læditur ab organico morbo, & ſub qualibet figura & conformatione potentiam ſuam integrè ſervat, ſaltemque per organi vitium impediri poteſt. Vnde juxta veterum ſapientiam & Galeni Ariſtoteliſque decreta veriſſimè & rectiſſimè ſequitur & concluditur, quod partes ſimilares ratione ſuæ temperiei ſint virtutum & facultatum (medicè loquendo) fundamenta & prin-

cipia; & quod actiones ſimilarium inchoantur & perficiantur à ſimilaribus partibus: organicarum verò partium inchoantur à ſimilaribus & juſta organicæ ſtructuræ conformatione perficiantur, in quibus niſi virtus ſimilarium ex quibus conſtant, ſit integra, nec commodè inchoare actionem, nec inchoatam perficere organica valet ſtructura & ratio.

CCXXV. Hinc eſt, quod morbus organicus virtutis & facultatis ſubſtantiam lædere nequit, ſaltemque ejus operationem impedire poſſit, quodque ex organico morbo illæſa temperie ſimilarium, in quibus tota vitæ & potiſſima ſanitatis ratio fundatur, interire nequeat. Niſi enim organicus morbus temperiem ſimilarium in quo vita fundatur, lædat, mortem cauſari nequit. Temperies verò ſimilaribus primo ineſt, ut ſunt ſimilares, conſiſtitque in calido & humido, quatenus, dicente D. Sennerto in Inſtit. frigiditatem & ſiccitatem moderatè ſuperant. Hanc naturæ humanæ demonſtrat ibid. lib. 1. cap. 4. eſſe convenientiſſimam & omnibus actionibus edendis aptiſſimam, & in hac vitam & ſanitatem hominis conſiſtere.

CCXXVI. Quia verò in hac temperie conſiſtit vita & ſanitas, quod calor & humiditas ſic ſuperent frigiditatem & ſiccitatem, eamque ſic moderētur, ut temperies ſit vitæ & actionibus naturæ idonea, & in eadem morborum & ſenii & mortis origo & cauſa conſiſtat, frigus contrarium ſuum calorem imminuat & ſiccitate humidū depaſcatur, (ait enim ibid. D. Senn. quod frigiditas & ſiccitas ad mortem ducant, & quo citius animal refrigeretur & ſiccetur, eò citius ſeneſcere & mori; vitam autem per omnes

ætates

ætates in calido & humido conſiſtere) irrefragabiliter ſequitur, quod vita & ſanitas & omnium actionum naturalium facultas conſiſtat in temperie qualitatum elementarium.

Temperamentum enim reſultat ex mutua actione & paſſione primarum qualitatum, at ex D. Sennerti Doctrina actiones ſunt contrariorum ſub uno genere,& blaterante ejus Ganymede, calor elementaris aut frigus aut ulla qualitas elementaris in Calidum nativū nihilo plus agere poteſt, quam in ipſam animam. Eſt itaque vita & ſanitas ſita in tali temperie, quæ purè ſit elementaris, & ex contrario in eadem morbus, & mortis cauſa, *quia contraria ſunt ejuſdem generis & ſubjecti.*

CCXXVII. Sed & hic attendendum quod juxta D.Senn.lib.1.Inſtit.c.4.temperamentum in homine ſit duplex, unum quatenus habet corpus ſimpliciter miſtum, alterum quatenus corpus habet vivens: Temperamentum viventis iterum duplex eſt,vel inſitum vel influens. Ex his tribus temperamentis hominem conſtare ait. Inſiti temperamenti calorem aſſerit eſſe debilem & mitem, neque ſufficere ad actiones vitę,quocirca requiratur calor temperamenti è corde jugiter influentis, cujus reſtauratione & ſuſtentatione continua inſitum indigeat, & univerſum corpus calefiat. Cujus rei argumentum ſumit ex animi deliquiis, ubi corpus frigidum redditur, non propter temperamenti, quod corpori ratione miſti ineſt, mutationem, quippe quod in cadavere adhuc, exſtincta vita, ſuperſit & per putredinem ſolum pereat, neque ob caloris viventibus inſiti & proprii,in quo vita conſiſtit, defectum. Et ſi enim corpus appa-

reat ad tactum nonnihil tepidum, tamen quia vita in eo conſiſtit, ita frigidum fieri nequit, ut corpus per mortem frigidum redditur, ſed ob caloris influentis inopiam, quodammodò refrigeratur.

CXXVIII. Ex quibus omnibus liquet, illum calorem cujus merito corpus vivit & inſitus dicitur, & influentem, quo nutritur & ſuſtentatur eſſe elementaris conditionis, quia eorum præſentia & opera calefit totum corpus & vita ſervatur, & è contrario ex eorum defectu invaleſcit contrarium frigus & ſequitur mors: unde definitur mors, quod ſit caloris nativi exſtinctio. Proindè juxta D. Senn. in illo calore conſiſtit vita, qui totum corpus calefacit, & calefactione vivificat: calor autem nullus calefacit, niſi qui ſit elementaris & à contrario frigore perimitur. Calidum verò innatum Ganymedis Sennertiani nec calidum eſt, nec frigidum, nec à calore elementari uti ſimili intenditur, neque à frigore patitur vel perimitur, & nihil plus quam anima ipſa incaleſcit vel refrigeratur, nec calidum. frigidumque eſt, neque enim in eo caliditas ulla eſſe poteſt, quia eſt corpus ſuperelementare ex eorum phantaſia; nulla enim qualitas eſt in alieno ſubjecto, & dicente D. Sennerto lib. 5. Inſtit. c. 2. nulla migrat nec transfertur niſi cum ſuo ſubjecto proprio.

CCXXIX. Vita itaque conſiſtit D. Sennerto in temperamento inſito actu calefaciente totum corpus; in quo actu conſervatur ex jugiter influentis temperamenti calidi & humidi in corde generati & calorem in eſſe conſervantis accurſu: Temperamentum verò illud eſſe elementaris conditionis ex actu calefaciendi & reliquarum qualitatum contrariarum

rum,quibus invicem refractis & miſtis natum eſt,unione, ſatis apparet. Si verò recurrere & refugere velit, uti ſolet, ad hoc diverticulum, ut clamet Calidum innatum ſe accipere pro corpore & ſubſtantia ſuperelementari, reſpondemus nos agere de vita & ſanitate uti perficitur à temperamento totius corporis animati ad obeundas actiones communi inſtrumento: Anima enim ſeorſim non utitur inſtrumento vel temperamento, ſed corpus animatum (actiones enim ſunt compoſitorum nō componentium) in quo anima & forma directionem ſummam habeat.

CCXXX. Deindè ſubſtantia illa Calidi innati, teſte ipſo Senn. eſt pars corporis, ſpiritus humidumque innatum eſt de ſubſtantia partium corporis, neque ſeorſim exiſtit & diverſum quid eſt à corpore vivente, ſed illi ut pars ineſt, in qua temperatura illa vitalis ſeu vitale temperamentum eſt. Neque ſupra elementorum conditionem eſt, quia calor ille & temperies eſt elementaris, quæ alibi quam in elementari corpore eſſe nequit. Vnde ipſe D. Sennert. corpus Calidi innati, cujus humidi conſumptione ſicceſſimus, & caloris defectu refrigeramur, ex quo oriri aſſeverat ſenectutem; dicit conſtare non ex nuda qualitate, ſed ex aërea & oleoſa ſubſtantia, quæ humidum radicale appellatur lib. 1. Inſt. c. 5. Aërea certè & oleoſa ſubſtantia eſt elementaris naturæ; quod is poſtea aliter loquitur, nos non movet, quia in nulla ſententia ſtabilis eſt, & contradictionibus & ambigüitatibus, uti ſatis eſt demonſtratum, circumfluit *& tantum eſt conſtans in levitate ſua*.

CCXXXI. Secundo ex iis quæ dicta ſunt luce meridiana clarius apparet, quod D. Sennertus ipſe di-

ſtinguit, inter calorem miſti quo conſervatur corpus, uti ex elementorum miſtione conſtat, & calorem animati cujus opera corpus vivit, & actiones vitales exercet, quodque illum in vivo corpore impatibilem cum tota antiquitate ſtatuat, & hujus ratione hominem pati, ægrotare, & mori illum etiam in cadavere ſuperſtitem eſſe, à quo non recedat niſi per putredinem: unde vel craſſæ ignorantiæ, vel rabioſæ malitię argumentum eſt objicere calorem miſti à frigore lædi in homine, cum etiam in cadavere ad tactum frigidiore, quam vivens corpus eſſe queat, nihilominus calor miſti elementorum in eo ſyncriſin conſervet, in quo ab anima, uti Ganymedes fieri debere putat, non dirigitur: & moroſophiæ novæ ſcurrilis doctrina eſt, calorem miſti quà miſtum eſt, in ventriculo coquere & oculum per qualitatem elementarem quatenus illa miſto inanimato ineſt, videre. Sed hic & Sennerto & ſibi maximè eſt contrarius: primò quod calorem miſti dicat ab anima directum perficere actionem in ventriculo, cum elementaris calor animæ inſtrumentum eſſe nequeat Sennerto: Nobile enim & ſuperelementare agens (inquit) ſuperelementare requirit inſtrumentum lib. 1. Inſtit. c. 5. Sibi eſt contrarius, quod in tractat. de morb. tot. ſubſt. quæſt. 7. reſp. 1. calorem elementarem coquere, vivificare, nec alia naturæ egregia opera præſtare poſſe blateret, adducto argumento ex D. Senn. quod nullum agens agat ultra proprias vires, quodque calor tantum calefaciendo agat, quodque etiam ab anima nequaquam ſic dirigi poſſit, ut coquat vel aliud quid perficiat, quam calefaciat, quod pluribus in locis Ganymed. & Senn. clamant,

mant, licet pluribus ſimul in locis, uti & hic, contrarium doceant; ſed quis hæc contradictionum plauſtra enumeret? Paulo enim antè demonſtratum eſt D. Senn. docere calidam & humidam temperiem vitæ & omnium actionum vitalium eſſe authorem. Porrò falſum eſſe, ait, quod caloris miſti perditio ſit ſubſtantiæ corruptio; ubi barbarus ille oppedit ſuo præceptori id affirmanti l. 1. Inſt. c. 4. & lib. 3. phyſ. c. 3. cauſatur enim putredinem, quæ eſt corruptio. Deinde negat Calidum innatum communem animanti temperiem in toto corpore tribuere, quod tamen affirmat Senn. & tota antiquitas; addit rationem quærendo quid calido nativo cum temperie? quæ rancida eſt petitio principii, cum nondum demonſtraverit Calidum innatum diverſum eſſe à calore temperiem totius conſtituente. Vide, Lector, quam infrunitè & barbarè non tantum ſuo præceptori, ſed & toti antiquitati moroſophus ille oggrunniat, adductis rationibus ſcutica quam ſolutione dignioribus; quas ab initiatis Phyſicæ diſcipulis vix ſine ſtomacho mediocriter eruditus ſibi objici toleraret.

CCXXXII. Tandem ſciat ille Ganymedes præ livore furens & cæcutiens, quod dum antiquitatis & ſolidæ philoſophiæ doctrinam de calore miſti ſeu ſymphyto & animati & viventis, ſeu emphyto à me in diſput. de Cal. innat. adductam allatret & conſtercoret, ipſum ſuum vejovem & præceptorem vellicet, tundat, collutulet, refutet, non me, non antiquitatem; quemque defendere debebat, ejus doctrinam, impugnet; reconciliet ſe primum præceptori, meritaque plexus ferula reſipiſcat, ne dum alios re-

 futare

futare inducit, doctrinam à ſuomet præceptore aſſertam flagellet.

CCXXXIV. Verùm duo ſunt nondum ſatis diſcuſſa quibus novæ ſectæ barbaricæ ſyſtema fulcire & munire moliuntur. Primùm eſt æternæ veritatis & veriſſimi illius principii negatio: *Calor cum dirigitur ab anima facit opera animæ, cum à forma ignis, facit opera ignis.* Secundò, *quod omne inſtrumentum agit in virtute principalis.* Hæc principia mordicus negant, objecta veteratorie, & allegata impertinenter hac regula; nihil agit ſupra virtutem ſuæ ſpeciei, ſeu, nihil agit ſupra ſuas vires: Calor eſt agens, Ergo non agit ultra proprias vires. Ad quod ſi reſpondeamus verum eſſe, calorem, ut eſt qualitas in ſe conſiderata ratione ſuæ naturæ & virium non agere ſupra proprias vires, ſed ſi ab anima dirigatur accipere facultatem expediendi opera animæ. Senn. exclamat animam nullo modo poſſe facere, ut calor amplius quid agat, quam ut calefaciat, quia anima non poteſt facere ut calor frigefaciat: Hic magnis clamoribus variiſque ſtrophis & ſophiſticationibus contendunt, inſtrumentum nullas accipere vires à primario ſuo directore vel efficiente cauſa, adductis exemplis variis ad rem minimè pertinentibus, quibus rudiorum aut ſubruſticorum oculos perſtringere & glaucoma objicere, mediocriter verò eruditis nihil præter riſum excitare poſſunt: Adducit pro exemplis canem inſtrumentum venatoris, pennam ſcriptoris, malleum fabri: Hæc ajunt nullas à principali accipere, quibus agant virtutes, ſed propria virtute agere, principalem cauſam differre ab inſtrumentali, fine & modo agendi, & inſtrumentum nihil aliud habere

bere à cauſa principali quam 1. ut aſſumatur & adhibeatur.2. ut ad certum finem dirigatur: ut itaque nullas vires venator communicat cum venatico ad currendum & currendo perſequendum feram, nec faber malleo &c. Sed tantum aſſumitur, adhibetur, & ad certum finem dirigitur; ita calorem ajunt dirigi ab anima pro inſtrumento, non ut directione illa aliud quid efficiat, quam ut calefaciat, quia putandum non ſit, quod cum ab igne dirigitur tunc calefaciat, cum vero ab anima, non calefaciat; ſic enim non amplius eſſet calor, *imo animam non tam uti calore, quam igne cujus accidens calor eſt.*

CCXXXV. En ſtupendam novæ moroſophiæ ſubtilitatem vel pótius abſurditatem! Quid hic miſer Freitagius reſpondebit? Obſtupeſcet ſeu Gorgone viſo in ſaxum converſus, quia audivit eos qui lapides loquuntur. Quid igitur reſpondebis ex tuo Ariſtotele & Galeno Freitagi? Aio inquirendum in rem & rationem articuli novæ ſectæ. Quæro itaque quando calor elementaris vel ignis vel Calidum innatum quinteſſentiale uſurpatur ab anima ad vivificandum, ad chylificationem, ad ſanguificationem, & anima nihil habeat pręter directionẽ ad finem, & directio fiat ſine cõmunicatione virtutis ad inſtrumentũ quà inſtrumentũ agat. Vivificatio autẽ, coctio, nutritio, viſio, auditio fit à facultate animæ, ſine qua hæ actiones nõ perficiuntur, perficiantur vero ab anima idque opera inſtrumenti caloris, quæritur quã operam inſtrumentariam hic conferat calor ad coctionem? reſpondent calefactionem. At ſola calefactio non eſt coctio, nec ignis calefaciens, ut loquuntur, vel calor calefaciendo perficit coctionem. Ergo neceſſum

ceſſum eſt, ſi calor ut inſtrumentum animæ, id facere debet, ut hoc accipiat ab anima; verùm anima (inquiunt) non poteſt ita dirigere calorem, ut amplius quid faciat, quam quod calefaciat. Vis enim nulla accedit inſtrumento ab anima, vel forma utente, ut illi aſſerunt, & licet ab illa dirigatur calor, nihil tamen poteſt amplius quam calefacere. Aſſumamus itaque exercitii gratia, Calidum innatum ut eſt novatoribus & paradoxologis quinteſſentiale; Ab hoc fieri coctionem, vivificationem, viſionem, auditionem ajunt, non ab elementaribus qualitatibus; quia nihil agat ſupra ſuas vires. Ergo vires coquendi, vivificandi, videndi, audiendi ſunt in Calido innato ex eſſentia ſua vel ab anima communicativè; non ab anima communicativè, quia anima & cauſa efficiens primaria nullas inſtrumento communicat vel infundit vires, ſed adhibet tantum inſtrumentum viribus ſuis inſtructum ad certum finem: ita venator adhibet canem ad currendum, non largitur ei vires ad currendum; ita anima utitur calore ad coctionem ut tantum calefaciat, non ut coquat; quia ſive ab anima, ſive ab ignis forma uſurpetur calor nihil facit, quam quod calefaciat. Cum itaque facultas concoctrix, nutrix, vitaliſque ſit ab anima, neque anima communicet virtutem ullam inſtrumento, Calidum innatum ut ſubſtantia ſuperelementaris multo minus poteſt ad coctionem & vivificationem, chylificationem & chymificationem præſtare quam calor elementaris, quem calefaciendo actionem animæ juvare ajunt. Qua vi coquet Calidum innatum quinteſſentiale, quod eſt ſubſtantia? Nulla ſubſtantia operatur niſi per qualitates: qualitates illæ ſunt oc-
cultæ

cultæ vel manifeſtæ; non operatur per occultas, quia coctio fit à calido, ut eſt σῶμα, inquit Ganymed. in tract. de morb. ſub ſt. Et non fit per occultas qualitates, Ergo per apertas. Hoc concedit & docet D. Senn. dum ait, Calidum innatum omnes actiones, qualès ſunt vivificatio, coctio, nutritio per calorem qui ei ineſt, ut qualitas inſtrumentalis, perficere; ſed falſum eſt, calorem, ut qualitatem elementarem eſſe poſſe in corpore ſuperelementari & alieno ſubjecto ex elementis non conſtante. Deindè ſi calor eſſet inſtrumentũ Calidi innati, quo vitã & actiones vitales perficeret, tum Calidũ innatũ eſſet cauſa principalis à qua vita, & in qua potẽtia concoctrix, vivificatrix, vitalis. Verum Calidum innatum, ipſis ipſummet eſt animę inſtrumentum, quo dicunt ipſam uti ad actiones omnes vitæ neceſſarias. Hanc autem vim anima non communicat Calido innato, quia nullam vim addit inſtrumento, quod dirigit; nec Calido innato ineſt per naturam, quia facultas concoctrix, nutrix, vivificatrix, imò vegetativa & ſenſitiva eſt ab anima, & à nullo corpore ſive quinteſſentiale fingatur eſſe, ſive elementare: neque idcircò etiam poteſt eſſe aliqua alia ſublimior virtus in Calido innato, quia ſit ſuperelementaris conditionis, cum abundantiſſimè probatum ſit, illud corpus, quod Calidum innatum nominant, ex nudis & ſolis elementis eſſe compoſitum. Et mira eſt fabula moroſophorum de quintis eſſentiis ut ſunt corpora: repugnat enim ſacro codici à Moſe tradito ulla præter elementa eſſe alia quintæ eſſentiæ corpora à Deo creata, & ſi eſſent, non poſſe vel cum aliis jungi, miſceri, nec unum corpus ex elementis & ſuperelementaribus quinte eſſentialibus

libus fieri, ut prima diſput: in operis ſextiduani examine demonſtravimus.

CCXXXVI. Demum ſi per qualitatem elementarem ſeu caliditatem, ut ſcribit D. Senn. lib. de Chym. conſ. & diſſ. c. 10. Calidum innatum exerceret actiones omnes & vitales & naturales, tum princeps cauſa foret Calidum innatum, & hæc inſtrumentum, verum caliditas in Calido innato hærens, à qua hoc denominationem habet, prædominatur in calido, ut eſt ejus ſubjectum, dicente D. Senn. lib. 1. Inſtit. c. 5. *quod prædominatur non eſt inſtrumentalis cauſa, ſed princeps.* Deinde ſi Calidum innatum eſſet princeps cauſa, quæ per inſtrumentum caliditatis inhærentis perficeret actiones vitales, fruſtra eſſet anima, neque hæc foret princeps, aut ſi anima ſit princeps, & corpus Calidi innati ſit inſtrumentum, tum animæ inſtrumentum eſſet Calidum innatum, & Calidi innati inſtrumentum eſſet caliditas. Sed hoc eſt contra D. Senn. qui ait calorem multa operari ut animæ inſtrumentum, quæ ſolus non efficeret, & propterea etiam diverſa efficere, uti in ventriculo chylum, in epate ſanguinem &c. Animæ itaque calorem & coctionem dirigentis inſtrumentum eſt calor non Calidi innati. Quocirca calor inſtrumentum inſtrumenti non eſt, quod clarius patet ex ſuperioribus, ubi demonſtratur quod omnium actionum naturalium, quatenus per inſtrumenta efficiuntur, fundamentum ſit temperies, qua mediante anima eſt in ſubjecto, & quam pro proximo inſtrumento uſurpat. De his vide quæ ſupra dicta ſunt.

CCXXXVII. *His perſpectis concedamus propius ad rem. Omnis ad actionem vis & facultas eſt in anima & ab anima,*

anima, hæc utitur inſtrumento temperaturæ ad ſentiendum, coquendum: crure ad ambulandum &c. Temperies vero & conſtitutio organica non habent vim per ſe ut actiones exerceant; Calor enim ut calor non poteſt concoquere, nutrire, generare, actiones vitales exercere, neque crus ſua ſolius virtute ambulare. Sunt enim hæc omnia ex elementis & nihil agit ſupra vires proprias, vel vires ſuæ naturæ, ut inquit Ganymed. neque figura aut organica conſtitutio cruris, neque elementa ex quibus componitur, poſſunt facere ut ambulet; & anima, juxta Novatores, nihil virtutis communicat inſtrumento nec utitur inſtrumento amplius, quam quod dirigat, quemadmodum venator canem dirigit & irritat ut currendo & perſequendo propria virtute capiat leporem. Si itaque conſtitutio organica partium, & temperies ut inſtrumenta animæ vel ipſum etiam Calidum innatum, quod pro quinteſſentiali illis corpore venit virtutem ad actiones vitales, naturales & organicas inſtrumentaliter edendum ab anima nullam accipiunt, neque per ſe illas habent, anima ſine inſtrumento organorum immediatè coquit, ſentit, nutrit, audit, videt actioneſque illas perficit immediatè quarum princeps eſt cauſa, ad quas edendum facultas eſt in anima. Calor vel ignis ad coctionem nihil adfert, quàm calefactionem juxta D. Senn. & ejus Ganym. *calor verò igneus non coquit, ſed calefacit & urit.* Vtitur enim anima ad calefactionem particulis igneis, vel atomis igneis per ſubſtantiam caloris diſperſis, diſcurrente Ganymede. Ergo anima immediàtè coquit, chylificat, chymificat, quia hæ actiones ſunt ſupra vires caloris; calor ſaltem calefacit, & calefactio non eſt

eſt coctio: Et coctio, vivificatio, generatio eſt ſupra vires, ut ajunt, caloris. Hic illud certiſſimum eſt quod calor ut calor non vivificet, nã ut pura qualitas vel cũ humido juncta cõſtituens corpus Calidi innati nullá poſſidet habilitatem ad vitam niſi eam ab anima accipiat. Quod calor calefaciendo vivificat & coquit, à ſe ut eſt qualitas calefaciens habere nequit, ſi verò tantum calefacit & calefaciendo non vivificat vel coquit & calefactioni vis illa non ſit indita ab anima ut vivificet & coquat, neceſſe eſt animam per ſe immediatè ſine calore vel qualitate vivificare & coquere, ita ut quemadmodum calor immediatè & per ſe tantum calefaciat, ita anima immediatè coquat & vivificet. Calorem enim dirigit tantum ad calefactionem materiæ nutrimentalis. Coctionem itaque, quia hæc actio eſt ſupra caloris vires, ut ipſamet immediatè perficiat, opus eſt.

CCXXXVIII. Neque refert ſi dicant, ſine prævia calefactione materiæ animam coquere non poſſe, cum neceſſum ſit, animam exerere vim coctricem immediatè in materiam calefactam, quia aliud ſit coctio, aliud calefactio; & coctio foret ab anima, nulla, uti eſt coctio, vi caloris accedente, ut fiat coctio, &c. Hic etiam notandum eſt id abſurdum, quod ſtatuunt animam uti igne & calore igneo (Ganymed. in tract. de Calid. innat.) ad actiones, cum calor igneus actiones naturæ non faciat vel expediat, ſed deſtruat & ſit naturæ deſtructivus, niſi à temperie ceterarum refractus, commenſuratus & ab anima inflexus ad actiones vitæ perficiendas: *actiones enim authore Averrhoë fiunt à calore commenſurato.* Deinde quod barbarè ajunt, ignem non ineſſe corpori, idque calefacere,

calefacere, quatenus illud ex elementis conſtat, ſed quatenus igneæ particulæ & atomi per ſubſtantiam Calidi innati ſint diſperſæ. Vah! pudeat barbariei novæ.

CCXXXIX. Sed redeundo ad rem, dicimus quod anima materiata vel materiæ immerſa nullam perficiat actionem (exceptis mentis actionibus in homine) niſi per ſua organa & inſtrumenta, *quod nullibi anima exerceat actum ſecundum, ubi ipſa non ſit actus primus, & quod hic illum ut cauſa ſemper antecedat*, & actiones quidem omnes in genere ſint ab anima quia facultates ſint in anima, non fiant tamen ſine organis corporeis & inſtrumentis; determinantur enim in inſtrumentis ſpecies actionum, & ab inſtrumentorum conſtitutione & temperie in qua ſanitas & morbus conſiſtit, bene vel male perficiuntur. Proinde anima nullam edit actionem per ullum corpus vel in ullo corpore, cujus non eſt forma & actus primus; & organa atque inſtrumenta operari nequeunt, niſi ab anima informata & actuata. Sic anima actionem videndi non perficit niſi per oculum animatum, & oculus animatus niſi rectè diſpoſitus, quoad organicam & ſimilarium conſtitutionem actionem videndi non perficit; ubicunque verò rectè diſpoſitus ſit oculus in corpore animato, etiamſi in pede ſitus eſſet, in pede videret. *Unde ratio eſt regulæ & axiomatis vetuſti, quod actiones ſint compoſitorum non componentium.* Quandoquidem autem nec organica conſtitutio, ut eſt inſtrumentum, poſſit perficere actionem, nec temperies vitam vel coctionem, vel ut inſtrumentum ad actionem videndi ullam operam inſtrumentalem conferre, quia talis vis ipſi

connata non eſt, & nihil agat ſupra ſuas vires, neceſſum eſt, ut has ab anima accipiat, quæ non tantum dirigat hæc inſtrumenta, ut pro viribus innatis agant, ſed & innatas moderatur & idoneas reddit novis functionibus, & ſuperioribus inſtruit virtutibus ut ſupra innatam indolem agere poſſint. Id vero facit anima, quia eſt actus corporis organici potentiâ vitam habentis. Eſt autem hoc pacto actus primus & actus primus eſt propter actum ſecundum. Actus primus eſt ipſa ἐντελέχεια & informatio totius corporis organici. Actus ſecundus eſt operatio ex hac informatione neceſſariò ſequens. Quod itaque inſtrumenta operentur inſtrumentaliter, id habent ab anima, quatenus eſt forma corporis cujus ſunt inſtrumenta, & cum quo unum conſtituit. Actuat enim corpus, ut ſit animal, & actuat id, ut actiones animalis proprias, videlicet vitales, animales & naturales exerceat.

CCXL. Habent itaque inſtrumenta & organa corporis eorumque conſtitutiones id ab anima, quod operentur vitaliter, animaliter, naturaliter; quia anima eſt forma eorum, & facultates animæ ſunt de eſſentia animæ informantis corpus. Hinc corpus elementare vivit, quia informatur ab anima, & ex hoc coquit, nutrit, vegetatur, actioneſque omnes animali neceſſarias exercet, quæ omnia pereunt & intercidunt, recedente anima, & vigent cum anima, ut eſt in corpore informativè.

CCXLI. Eſt itaque corpus ſubjectum animæ & corporis partes inſtrumenta ejuſdem, per illam vivit corpus & actiones vitæ exercet, quia ab ea actum habet primum, qui ad ſecundum, cæteraſque omnes

ſecundi

ſecundi ſpecies. eſt cauſa principalis & originalis. Corpus itaque animalis vivit, & vitales actiones exercet elementis & elementatis corporibus eorumque qualitatibus ſuperiores, quia eam vim per actum primum & ἐντελέχειαν ſui, quæ eſt anima, habet. Quod enim oculus ut inſtrumentum animæ videre & calor corporis coquere poteſt, id habet ab anima facultatem ſuam corpori ejuſque organis communicanti, quin ſeipſam ei informando communicavit, cum illud actuando & ex ſeipſa & corpore unam ſubſtantiam unumque individuum conſtituant, in quo anima ejuſque facultates cuilibet parti unitæ communicatæ & per omnia extenſæ & fuſæ. Agit enim pars quælibet ſic, quia eſt animata, & actiones elementis, ex quibus conſtat ſuperiores edit, quia actum primum qui eſt cauſa ſecundi, poſſidet, qui eſt anima. Anima itaque per has partes, earũque conſtitutiones, ut inſtrumenta operatur, quorum eſt forma, & quarum materiam elementarem actuavit, & per actuationem vim ad actiones vitales cæteraſque omnes, quæ in elementis non erant, communicavit. Eſt enim anima in ſubjecto per organorum diſpoſitionem & temperiem, & hac utitur, ut inſtrumento proximo. *Hinc patet abſurdiſſimum eſſe idcircò comminiſci aliquod in corpore aliud corpus quintum, quia actiones vitales & naturales, cæteraque quæ à corpore fiunt, elementorum vires excedant, & vim has edendi aſſignare corpori huic quinto, & idcircò negare animam organis ſui corporis eorumque conſtitutionibus (cum tamen illa actuet) nullam ad operandum & neceſſarias ad vitæ actiones edendum, ut ſuis propriis & immediatis organis, communicare vim, cum organa & inſtrumenta varia ſint propter*

varias actiones vitæ neceſſarias, & anima, quæ eſt actus corporis hæc actuet, ut per hæc, illa opera ad quæ edenda innatam vim non habeat, per animæ actum & perfectionem accipere poſſint.

CCXLII. Vides nunc, amice Lector, turpiſſimam mentiendi & bonas artes & diſciplinas earumque veriſſimas regulas corrumpendi libidinem. D. Senn. in Inſtit. alta voce exclamat, animam non poſſe facere, ut calor aliquid amplius efficiat, quam calefaciat: idque propter triplicem rationem, prima ab ipſo allegatur, quia anima non poſſit facere, ut res aliqua ſupra vires ſuas agat; ſed quomodo & qua ratione id facere poſſit jam demonſtratum eſt. Secundò animam non poſſe facere, ut calor refrigeret (vide ad quam abſurdas objectiones livor & rabies iſtos novatores evomendum perduxerit.) Ergo non poteſt eo uti ut inſtrumento, ut vivificet, coquat, & opera animæ inſtrumentaliter perficiat. Sed nec anima humana poteſt informare lapidem, nec generare ſcarabęum. Ergo nec humanum corpus poteſt informare, neque ut cauſa principalis humorem ullum generare. Pudeat novatores barbari garritus, indigni qui citentur; tantum abeſt, ut tempus impendatur ad refutandum ab homine cordato & mediocriter erudito. Tertia ratio à novatoribus inventa eſt, quod principalis cauſa nullam communicet vim inſtrumentali: ad quam pariter reſpondimus. Tandem etjam apparet inſignis abſurditas & barbaries clamorum, quos in tract. de Calid. innat. Ganymed. edit, pro illius tertiæ rationis defenſione. Ait enim, quia venator cani venatico, quem ait eſſe inſtrumentum venatoris ad venationem, & capiendum leporem

non

non communicet vel inſufflet vires ad currendum & capiendum leporem; & ſcriptor calamo ſcriptorio non communicet vim ſcil. ſcribendi; aut faber malleo vim, ſcil. fabricandi, Ergo anima calori & ſuis inſtrumentis organiſque, nullam vim, qua operentur, communicare poteſt. Sed magna barbaries & inſcitia vel malitia eſt deploranda, nullam facere inter plurium generum inſtrumenta diſtinctionem: non diſtinguere inter inſtrumenta & organa corporis, quorum actus eſt anima, à qua vitam & operandi vim neceſſariò habent, & cum qua unam conſtituant ſubſtantiam & inter inſtrumenta partim inanimata animatorum, ut mallei fabrilis: & canis venatici: neque enim malleus eſt pars fabri animata habens vitam & virtutem à fabro, neque anima fabri eſt animatus. Vide amice lector quorſum ſe præcipitent barbariei & novæ ſectæ Paracelſicæ apoſtoli, quibus decretum eſt abſurdiſſima & impiiſſima quæque potius evomere & effutire in faciem literatorum, quam veritati cedere.

CCXLIII. Infrunitæ audaciæ eſt venerandæ antiquitatis, ad noſtra uſque ſecula perducta & derivata & æternùm vera principia pedibus conculcare, negare & rejicere velle. Verum eſt, verumque manebit *quod inſtrumentum agat in virtute ſui principalis*, uti illud ipſum ipſe Ganym. aſſerit in tractat. de morb. ſubſt. eoque ſibi turpiter iterum contradicit, & quod calor dum dirigitur ab anima, faciat opera animæ; quæ directio non eſt nuda directio, qualis eſt venatoris dirigentis canem in venatione, ſed cum communicatione virtutis talis, ut calor poſſit ea perficere, ad quæ ab anima dirigitur. Dupliciter

verò accidentia vim ſuam habent à formis, primò quia ſunt ejus ſubjecti propria, quod forma actuat, & cujus forma eſt entelechia, qua de re hactenus: vel quod à forma ſint immediate in ſubjecto ex potentia ejuſdem materiali genita. Calor ignis ideo facit opera formæ ignis, quia ab illo in ſubjecto eſt genitus. A quo quid habet eſſentiam, ab illo habet & operandi vim: qui dat eſſentiam, dat etiam conſequentia eſſentiam: quia modus operandi ſequitur modum eſſendi. Accidentia generantur à formis, educunturque ex materialis ſubjecti potentia, eorumque eſſe eſt ineſſe; quod igitur ſunt & inſunt, id habent à ſubſtantia, Ergo & virtutem agendi à ſubſtantia, cujus ſunt effecta & inſtrumenta. Forma cum non ſit efficax niſi per qualitates, haſce generavit, ut per eas operetur, quia vim operandi, largitur; forma ignis operatur per calorem ut inſtrumentum & per calorem urit. Forma magnetis per qualitatem ſuam occultam trahit. Forma dum qualitatem generat etiam vim qualitatis generat, ut quemadmodum ipſa qualitas eſt generata à forma, ſic etjam vis ejuſdem. Et hoc pacto qualitates dicuntur inſtrumenta formarum.

DISPV-

DISPVTATIONIS NONÆ

Discvrsvs Sextvs,

Propugnans veram de Calido innato doctrinam & refellens ſophiſmata Sennertiana.

CCXLIV. DE cætero reſtat, ut paucis conſideremus reliqua illa, quæ D. Sennertus per ſuum Subornatum afferat contra diſputationem meam de Calido innato, quibus venerandæ antiquitatis veritatem labefactare lividè & malitioſe molitur.

Initio ait, in tractat. de Calid. innat. fol. 1. Freitagium non formare ſtatum controverſiæ & omnia confundere, ideoque Andabatarum more pugnare & aërem verberare: idque propter ſequentes rationes. 1. Quia non explicet terminos rem ſignificantes, de qua diſputetur. 2. Quod calorem ut eſt accidens elementare non diſtinguat à calore vel calido, ut eſt ſubſtantia, unde potius ſit irriſione quàm refutatione dignus, qui pueriliter ignoret quantum diſcriminis ſit inter ſubſtantiam & accidens: Hunc autem errorem & puerilem ignorantiam Freitagio cum Zabarella, Connibricenſibus, Pierio, Caſmanno aliiſque (cur non cum Galeno & Ariſtotele?) eſſe communem, qui ſtatum controverſiæ prima fronte implicent, adeò ut non diſtinguant, an ſubſtantiarum an verò accidentium oppoſitionem inſtituant, ſeu an velint Calidum innatum pro ſubſtantia ſumptum eſſe ejuſdem ſpeciei cum calido

 igneo

igneo ſubſtantialiter & concretivè ſumpto, an vero caliditatem ſeu calorem in calido nativo hærentem velint eſſe ejuſdem ſpeciei cum calore, qui ſit in igne, & propter ignem in miſto, an utrumque videlicet accidens & ſubſtantia utriuſque ſit ejuſdem ſpeciei. Hinc fieri quod in leges oppoſitionis D. Freitagius turpiter peccet, dum accidens opponat ſubſtantiæ, & dum D. Sennertus loquitur de Calido innato quatenus eſt ſubſtantia, eumque probet non eſſe elementaris conditionis, & eſſe ſolum abſque calore accidentali ſpiritum, inſcitè D. Freitagium ei opponere calorem quatenus eſt accidens & elementaris naturæ, cum accidens à ſubſtantia ſpecie differat, & D. Sennertus concedat, calorem ut eſt accidens à calore ſpecie non differre. Non igitur opponendum calorem ut eſt accidens & elementare quid Calido innato, quod eſt ſubſtantia ſuperelementaris.

Verum enim vero D. Freitagium rectè explicaſſe terminos, quibus indigitetur calor, & ſubſtantiam ab accidente diſtinxiſſe, & ſubſtantiæ non oppoſuiſſe accidens, aut ex natura accidentis voluiſſe concludere de ſubſtantia ut eſt ſubſtantia: deinde ipſum Ganymedem Sennertianum in his, de quibus accuſet D. Freitagium turpiter erraſſe & nil niſi lividas calumnias texere, ex ſequentibus fiet manifeſtum.

CCXLV. Primò D. Freitagium in genere calorem, ut eſt accidens, abſtractivè tantum, vel ut eſt accidens ſeu qualitas cum ſuo ſubjecto concretivè conſideraſſe ex ipſius diſputatione de Calido innato patet. Abſtractivè & ut eſt qualitas theſ. 1. eum conſiderat, ibique agit de calore quatenus eſt accidens, terminoſque explicat uſitatos, quibus calor vulgò nomine-

nominetur, æthereus, igneus & innatus. Hos autem ſpecie non differre, neque conſtituere ſpecificas differentias, uti irrefragabiliter convincit & in progreſſu ejuſdem docet; quod & aſſerit *D. Sennertus cum Ganymede ſuo* in tractat. de Calid. innat. fol. 18. Calorem verò, quatenus eſt accidens alium eſſe connatum, qui ſymphytus dicitur, & rebus quatenus ſunt miſta corpora, inſit: alium vero emphytum, qui calor nativus vulgò ſeu calor innatus propriè dicitur, & ſit vitæ præditis proprius. Hunc autem innatum duplicis eſſe conſiderationis: vel enim conſiderari ut eſt accidens nudum, adeoque purè & putè ſpecie non differre à calore miſti vel æthereo & igneo, vel ut eſt ſubſtantia. Vt qualitas, à Galeno conſideratur innatus vel nativus calor, quando ait, febrem eſſe caloris nativi in igneum converſionem, teſte D. Sennerto lib. 1. de febrib. c. 1. id demonſtrat D. Freitagius dicta diſputat. theſ. 24. 25. 26. 27. Secundò, ipſe calor innatus ſumitur à Fernelio pro qualitate, quando vult probare eum eſſe cœleſtem, quæ Fernelii ſententia recipitur à D. Sennerto & Ganymede in tractat. de Calid. innat. fol. 7. Quando conſideratur ut eſt ſubſtantia, tùm ſumitur pro illo corpore, quod ex ſpiritu & calore ſolo vel cum humido primigenio calore perfuſo concretivè ſumitur. Ait enim Sennertus lib. 1. Inſtitut. c. 5. per Calidum innatum intelligimus non ſolam qualitatem, ſed qualitatem cum ſubjecto, ſeu concretum ex qualitate & ſubjecto, ſeu materiam cui ineſt calor; deinde qualitatem à cujus prædominio ſubjectum denominatur.

CCXLVI. Quæritur itaque an D. Freitagius in calore innato non diſtinxerit accidens à ſubjecto, &

Mmm 5 calo-

calorem innatum ut eſt accidens diſtinxerit à corpore, quod Ganymedes vocat propriè (ſed falſo) Calidum innatum.

Non diſtinxiſſe D. Freitagium calorem innatum quatenus eſt ſubſtantia ab accidenti, vel in Calido innato illud, quod eſt accidens à ſubſtantia, aut ſumere accidens pro ſubſtantia & opponere accidens non accidenti ſed ſubſtantiæ, adeoque ex natura accidentis æſtimare naturam ſubſtantiæ & de illa concludere; quin imò diſcrimen inter ſubſtãtiam & accidens pueriliter ignorare, ſcurrile ac improbum eſt mendacium, ſcuticaque digna calumnia: Viroſa, inquam hæc eſſe mendacia, & hominis, qui omni pudori valedixit; improbam & manifeſtiſſimam calumniam, ex ſequentibus ſole meridiano clarius patet.

CCXLVII. D. Freitagius in diſputat. de Calid. innat. (quam viroſis iſtis calumniis collutulare nititur Subornatus D. Sennerti) theſ. 2. ſub initium ſtatim inquit: *Calor* (*iñ vita ſcilicet præditis*) *conſideratur ut eſt ſubſtantia vel qualitas*: & theſ. 10. *ſupereſt de calore ut videamus, quatenus ſubſtantia nuncupatur & quomodo hac ratione à qualitate diſtinguatur:* & theſ. 14. *Calor ut ſubſtantia diſtinguitur à caliditate quatenus hæc ut accidens ineſt ſubſtantiæ:* & theſ. 23. *Calidum innatum conſtat calore ut qualitate & ſpiritu, in quo calor hæret, cum quo veluti flammulam vitalem conſtituit, quæ humido, per cujus omnes partes uniformiter & accuratiſſimè miſta eſt, ceu pabulo convenientiſſimo nutritur. In hoc tria conſideranda, videlicet ſpiritus, ut ſubſtantiale vel corporeum quid, & calor ſeu caliditas ut accidens, & humidum ſeu humor quo calore quaſi igniculatus ſpiritus nutritur.*

CCXLVIII. De

CCXLVIII. De his omnibus ordine & diſtinctè quærit D. Freitag. cujus originis, naturæ & conditionis ſint. Quærit itaque de calore uti eſt accidens, de ſpiritu ut eſt ſubſtantia, & de humido, quod ſubſtantiam calore accidentali igniculatam nutrit, ordine, inquam & perſpicuè an ſint elementaris conditionis omnes. Quod negat de ſpiritu & humido D. Sennertus; affirmat & è contrario probat D. Freitagius de calore uti eſt qualitas, & ſpiritu quatenus eſt ſubſtantia, & de ejus nutritio humido. Vnde facile cuivis patet ſtatus controverſiæ, videlicet de eo eſſe litem inter D. Sennertum & D. Freitagium, an calor innatus ſecundum ſubſtantiam & accidens ſit elementaris naturæ cum humido, quod in nutrimentum calidi cedit. D. Freitagius per partes examinat Calidum innatum & primò qualitatem, dein ſubſtantiam conſiderat, & demum ejus nutrimentum: & ad demonſtrandum cujus naturæ ſit calor innatus pro fundamento ſumit hoc, quod totum neceſſario ſit ejuſdem naturæ cujus ſunt ejus, ex quibus componitur, partes. Quod enim eſt in ſimplicibus id neceſſariò eſt in toto, teſte Ganymede in tractat. de Calid. innat. fol. 5. Et nutriens & nutritum ejuſdem ſint naturæ & proſapiæ. Vnde ſi probet accidens in Calido innato & ſubſtantiam in eodem eſſe naturæ elementaris, & nutrimentum, quo ſuſtentetur & alatur eſſe elementaris naturæ, neceſſario totum illud, quod Calidum innatum nominatur eſſe elementaris naturæ, uti eſt in theſ. 23. in qua hæc exſtant verba ſuperius recitata.

CCXLIX. Videamus itaque quomodo D. Freitagius demonſtret naturam & conditionem calidi

nativi

nativi prout eſt ſubſtantia. Theſ. 2. expedit nominum rationem, & docet originem Calidi innati ſubſtantialis, videlicet quod ex ſemine & ſanguine materno & ſpiritu quo ſemen exuberat, in utero unitis reſultet ſpiritus inſitus ſeu Calidum innatum, conſtans ſpiritu vitali flamma igniculato & humore aëreo & pinguiore, in quo reſidet, quoque alitur. De ejus continua nutritione & reſtauratione agitur theſ. 3. Quomodo innatus & inſitus differant ab influente theſ. 4. docetur. Theſ. 9. ejus officiũ deſcribitur. Theſ. 11. denuò repetitur & 13. explicatur, quæ ſit Calidi innati ſubſtantia. Hanc ſubſtantiam ſeu ſpiritum vitalem & innatum eſſe elementaris naturæ rationibus inexpugnabilibus demonſtratur theſ. 23. & porrò id in eadem mea diſputat. hanc proxime antecedente uberiùs docetur & probatur à theſ. 32. ad 46. De calore innato, quatenus conſideratur ut accidens, quod ſit elementaris naturæ demonſtratur ibidem theſ. 24. 25. 26. 27. 28. & hoc pacto ſpecie non differre à calore elementari & miſti ſeu emphyto, & cœleſti in antecedentibus & ſequentibus abundè probatum eſt.

CCL. Prodeat nunc calumniator, prodeat, inquam, iſte calumniator, & probet, me non diſtinxiſſe accidens à ſubſtantia, & non patere, an viri clariſſimi ſupra nominati & ego velimus Calidum innatum pro ſubſtantia ſumptum ejuſdem eſſe ſpeciei cum calido igneo ſubſtantialiter & concretivè ſumpto; an vero aſſeramus calorem, qui in ſubſtantia, quæ Calidum innatum dicitur, hæret, ejuſdem eſſe ſpeciei cum calore, qui ſit in igne, & propter ignem in miſto; an verò utrumque nempe illud & illud.

Qui

Qui accidens à ſubjecto diſtinguit,& utrumque elementaris naturæ eſſe peculiariter demonſtrat, is ſanè ex accidente & ſubjecto concretum totum eſſe elementaris conditionis clarè & abundè teſtatur,neque dubiè,neque implicitè,neque obſcurè ſentētiam profert & probat,neque κρηςφύγετα quærit, nec ſtatum controverſiæ implicat , ut rabioſe cavillatur Ganymedes Sennertianus in tractat. de Calid.innat. fol.3.17.& 18.& uti ſeorſim caloris innati, quatenus ut accidens conſideratur, naturam expendit, & item ſeorſim ejuſdem naturam, uti eſt ſubſtantia, conſideravit,& utriuſque eſſe, elementare eſſe convincit: ita in legem oppoſitionum non peccavit D. Freitagius, ut concluſerit de eſſentia, quod tantum de accidente ſit verum. Quod quam falſo mihi affingit, ex objectione quam ſuo modo ex meis extrahit & detorquet theſibus ſufficienter apparet.

CCLI. Talem ex meis detortam fol.20.ponit objectionem. Quicunque calor elementari alimento indiget, ille cœleſtis non eſt. Calor animalis elementari pabulo indiget. Ergo,&c. Ad hoc reſpondet,hic uti ubique cavillatoriè, me in primam oppoſitionis legem impegiſſe, quod in majori & minori & concluſione loquar de calore prout eſt qualitas ; cum tamen D. Sennertus non de qualitate,ſed ſubſtantia ſit ſollicitus.

Verum ipſum hic pro conſuetudine ſua apertè mentiri ex hoc patet, quod propoſitio & aſſumptio loquatur de calore, qui alimento indiget: atqui qualitas non indiget alimento ſed ſubſtantia, quæ uti alimento opus habet ad ſui conſervationem, ita eodem deſtituta perit. Evolve nunc totam theſium mea-

mearum ſeriem à 23. ad 46. invenies me ex natura nutrientis concluſiſſe de natura nutriti & probaſſe ejus naturæ eſſe ſubſtantiam nutriti, qualis ſit nutrimentum, adeoque de calore ſubſtantiali non accidentali loqui, cum de nutritione & alimento caloris agam. Quod adjicit de calore cœleſti, ſatis ex theſibus meis patet, me cum contrà cœleſtem calorem, quem aliqui ſpecie differre volunt ab elementari, diſputem, intelligere talem ſubſtantiam, quam elementaris originis expertem eſſe & pro quinta quadam eſſentia venditare velint Novatores; atque ita eorum opinionem recitare.

Eam, ſive ſit à cælo ſive cœleſti elemento analoga, dummodò Novatores pro quinta habeant & ſuperelementaris naturæ eſſe comminiſcantur, impugno. Neque tamen ſi de D. Sennerto dixerim, eum calorem nativum ſtatuere cæleſtem, ipſi magnopere injuriam fecerim. Etſi enim alibi eum cæleſti ſaltem analogum pronunciaverit, tamen contra me arripit ſententiam Fernelii ejuſque pro defendendo hoc, quod calor innàtus ſit ſuperelementàris naturæ, argumentis utitur. Ipſe verò Fernelius calorem eſſe cœleſtem prædicat iis ductus rationibus, quas D. Sennertus ex illo mutuatus eſt, & pro ſuo quinteſſentiali adducit.

CCLII. Quod verò fol. 22. in tractat. de Calid. innat. negat ſyllogiſmi minorem, eamque probari velit, id ſufficienter antea factum eſt. Sed quod ſequitur impudentis eſt rabulæ: ait enim me ſcire Calidi innati reſtaurationem D. Sennerto non fieri per elementaria corpora, ſed per Calidum innatum plantis & animalibus concretum: unde quærit, qua fronte

fronte ergo ipſi regeram, Calidum innatum elementari pabulo nutriri. Vide impudentiam vitiligatoris & cavillatoris. Diſputatio eſt inter D. Sennertum & me de calore innato cujus ſit originis. Ille vult ſuperelementaris naturæ eſſe, & ideo ſuperelementari pabulo nutriri, ego contrarium demonſtro & abunde probo. Hic quærit qua fronte id faciam, cum tamen ſciam D. Sennertum aliter docere & ſentire. Sed Freitagius reſpondet, ideo ſe opponere ea, quia falſum ſcribit & ſentit D. Sennertus. Debetne vobis iſte vitilitigator riſum, ut rideat quicquid eſt ubique cachinnorum? D. Sennertus dixit Calidum innatum nutriri ſuperelementari alimento, ergo non debet contra dicere D. Freitagius & effati ejus falſitatem arguere. Impudenter adverſarii mei teſtimonium in propria ſua cauſa contra me allegat, & id quod probandum quodque in quæſtione erat, pro quæſtionis deciſione & probatione contra me adducit. Quærebatur enim an ſuperelementari nutrimento alatur calor innatus, quod affirmat Dom. Sennertus, negat Dom. Freitagius. affirmativam ejus quæſtionis tuetur teſtimonio Dom. Sennerti, qui dicit Calidum innatum nutriri alimento non elementari. Vide amice lector, quod D. Sennertus ſit ſuis Ganymedibus & Davis, actor, judex & teſtis & ἀυτὸς ἔφα.

CCLIII. Sed ne quid remaneat difficultatis ad ſolutionem objectionis ſecundæ, quam ex theſ. 25. diſputat. meæ accerſitam producit, ut reſpondeamus neceſſum eſt. Argumentum meum tale eſt; Quicunque calor elementari calore accenditur & frigore remittitur ac planè perimitur, ille elementaris eſt.

Calor

Calor animalis elementari calore accenditur & frigore remittitur & plane perimitur. Ergo, &c. Hic reſpondet in tractat. de Calid. innat. fol. 25. hunc ſyllogiſmum non ferire D. Sennertum, quia concludat de calore abſtractivè conſiderato & non de Calidò innato. *Calidum enim innatum præciſe ſumptum non accendi in febribus à calore elementari, & tantum abeſſe quod accendi poſſit illud calidum & ſubjectum fieri caloris elementaris, ut licet omnia membra corporis coquantur & recoquantur, tamen hoc non accendatur, niſi velimus ſtatuere etiam ipſam animam rationalem calore accendi & comburi, quod abſurdiſſimum ſit. Caliditatem autem, quæ accenditur in febribus eſſe in ſuo igne ſeu potius minutiſſimis particulis ſeu atomis igneis per totam Calidi innati ſubſtantiam diſparſis.* Quo calore elementari intenſo licet directè Calidum innatum non lædatur, magna tamen in totum ſubjectum inducatur anomalia, unde Calidum innatum diſgregetur.

CCLIV. Hæ impudentis iſtius ſtellionis, cui Sperlingii nomen eſt, abſurdæ opiniones contradictionibus in Præceptorem & Væ-Iovem ſuum D. Sennertum redundant, & abſurditatum farragines plenis invehant plauſtris & bonis diſciplinis barbariem minantur. Quod ut videas, amice lector, & accuratius cognoſcas repete ex inſtitut. D. Sennerti lib. 1. cap. 5. quid ipſe intelligat per Calidum innatum. Verba ejus hæc ſunt, & ſat clara ſunt: *Per calidum & humidum nativum intelligimus non nudam qualitatem, ſed qualitatem cum ſubjecto, ſeu concretum ex ſubjecto & qualitate, corpus ſcilicet calidum & humidum: & per Calidum innatum duo comprehendimus, primò materiam ſeu ſubjectum, cui ineſt calor, deinde qualitatem, à cujus prædominio*

dominio ſubjectum nominatur. Etſi enim interdum apud autores θερμότητ☉, vox, de Calido innato uſurpatur, tamen frequentius Calidum innatum, non calor innatus vel caliditas innata appellatur; cum non ſit nuda qualitas, ſed ſubſtantia & corpus, cui calor ineſt, à quo denominatur: imò pars corporis & animæ proprium inſtrumentum per omnes partes corporis extenſum & diffuſum. Porrò inquirit in ſubſtantiam illam, cui caliditas ineſt, & quæ à calore nomen accepit: An nudus ſit ſpiritus adeoque ſpiritus ille, cui caliditas ineſt (id eſt cum calore ſuo) conſtituat Calidum innatum, an verò ad Calidi innati eſſentiam, etiam juxta Fernelium pertineat humidum primigenium.

Hic D. Sennertus reſpondet. Spiritum inſitum eundem eſſe cum Calido innato aut certè ad ejus eſſentiam pertinere, & ſi non ſolus Calidum innatum conſtituat, certè ejus præcipuam eſſe partem, cui omnes actiones ut præcipuo animæ inſtrumento acceptæ ferendæ ſint. Et porrò ait, *alios ſentire eos potius proprie loqui, qui tantùm ſpiritum inſitum cum ſuo calore calidi nativi eſſentiam complere exiſtimant:* eos verò minùs proprie loqui, qui etiam humidum primigenium caloris pabulum & domicilium ad caloris eſſentiam pertinere exiſtimant.

CCLV. Ex his amice lector, patet, D. Sennertum ſtatuere, Calidum innatum non tantum conſtare materia & ſubjecto caloris, ſed & qualitate prædominante in ſubjecto, *& uti non nuda qualitas ſine ſubjecto, ita neque ſubjectum ſine qualitate caloris conſtituere eſſentiam Calidi innati.* De ſubjecto verò eſſe controverſiam, quænam illa ſit ſubſtantia, cui caliditas

 ineſt

ineſt (quæ videlicet cum caliditate hanc conſtituat eſſentiam Calidi innati) an nudus ſpiritus inſitus, an verò ſpiritus inſitus cum humidò primigenio. In qua decidēdā etſi ambiguus ſit, tamen videtur eo inclinare, quod ſpiritus magis ſit de eſſentia calidi & potior pars, *licet iſta tria, ſpiritum, calorem & humidum ita eſſe connexa aſſeveret, ut facile ſeparari nequeant*. Vnde conſpicuo liquet, *calorem cum ſubjecto conſtituere eſſentiam Calidi innati, & id quod Calidum innatum verè eſt & ſit, eſſe concretum ex ſubjecto & qualitate: Quocirca nuda ſpiritus ſubſtantia non conſtituit Calidum innatum ſine calore, quippè à cujus prædominio nomen acceperit, & abſurdum foret calidum aliquod nominare ſine ullo calore.* Vt itaque Calidum innatum ſæpe nominatur teſte D. Sennerto calor propter qualitatem neceſſariò concurrentem ad Calidi nativi eſſentiam perficiendam, licet ſubſtantia & ſpiritus non nominetur, ita etiam ſapientes nominarunt ſpiritum calorem naturalem, non quod hic ſit ſpiritus ſine calore, quemadmodum nec ibi erat calor ſine ſpiritu. Verba autem D. Sennerti adeò clara ſunt, ut nulla ſophiſtica eludi poſſint, *Non itaque nudus ſpiritus ut ſubſtantia, ſed ſpiritus quatenus eſt ſubjectum caloris & unum quid ex calore & ſubjecto concretum, conſtituit & definit præciſe eſſentiam Calidi innati.*

CCLVI. Hic calor quatenus eſt qualitas, & in ſubjecto ſpiritu, cum quo eſſentiam Calidi innati perficit, ineſt ut accidens, à calore elementari nequaquam ſpecie differt. Id ipſum ipſemet fatetur Ganymedes Sennertianus ſeu Sperlingius in tractat. de Calid. innat. fol. 18. ubi inquit, *D. Sennertum non negare omnem calorem ſi pro accidente ſumatur ejuſdem*

eſſe

eſſe ſpeciei. Nihil igitur differt calor hærens in ſpiritu inſito, & cum eo conſtituens Calidum innatum, à calore elementari, & cum illo ſpecie eſt unus. Quod & ipſemet lib. 1. de febr. cap. 1. docet & porrò tradit. Hanc caliditatem ſeu hunc calorem, qui in febribus accenditur ac intenditur, ut actiones corrumpat, quique cum igneo & elementari unius ſit ſpeciei, ibidem ait eſſe illud, ſi integer ſit, per quod cor & cætera membra ſuas actiones exerceant: *ex hoc eſſe temperiem calidam, qua reddatur corpus calidum; hanc dependere ex temperie partibus ſingulis inſita & calore cum ſpiritu vitali in omnia membra influente. Ob hunc calorem actualem omnes corporis partes eſſe vegetas, & ad actiones obeundas benè diſpoſitas, ſi neque deficiat, neque excedat: excedere verò ſi intendatur vel accendatur à calore majore, cum quo in unam calidam intemperiem coaleſcat & pluribus gradibus exaltetur; & intendi à calore ſimili & ſpecie non differente, unde fit, ut quas actiones vitæ dum moderatus erat, perficiebat inculpatas, eas dein ubi intenſus, accenſus & immoderatior factus ſit corrumpat.*

CCLVII. Huc pertinet quod lib. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 10. fol. 257. D. Sennertus inquit: *Spiritum ad omnes actiones ſpeciei ſuæ convenientes obeundas aptum in ſe continere calorem, à quo in animalibus denominationem accipit: & ibidem paulo antè ſpiritum hunc, qui à calore, qui in animalibus evidentiſſimus & efficaciſſimus eſt, denominationem accepit, & calidum appellatur, cum calore elementari adeo eſſe junctum, ut ſeorſim ab eo ferè reperiri nequeat, quemadmodum facultas animalis abſque naturali non reperitur, & hunc æthereum uti elementari calore pro inſtrumento.*

CCLVIII. His præmiſſis & ex ipſius D. Sennerti

doctrina jactis fundamentis perſpicua & plana ſponte proficiſcitur refutatio reſponſionis datæ ad ſecundam meam uti ipſe vocat objectionem.

Primò enim calorem, qui eſt in ſpiritu inſito ut accidens in ſubjecto, eſſe elementaris naturæ & ab elementari calore ſpecie non differre, ex ipſius cum D. Sennerti tum Ganymedis Sennertiani confeſſione & perſpicuis verbis, in confeſſo eſt. Si itaque calor ille elementaris naturæ eſt ab elementari frigore uti contrario ſuo neceſſariò patitur & elementaris naturæ eſſe arguitur, quia juxta *D. Sennertum actiones ſunt contrariorum unius generis.*

CCLIX. Secundò quod dicat ſyllogiſmum meum non ferire D. Sennertum, id valdè ineptum eſt; quia Calidum innatum nec calore elementari accendatur, nec frigore perimatur, ſi præciſe ſumatur. Sed quomodo præciſe ſumatur Domine Ganymedes? reſpondit verò nudum ſpiritum ſine calore, quatenus eſt ſuperelementaris naturæ non accendi vel pati ab elementaribus qualitatibus, quin imò omnia corporis membra etiamſi coquantur vel recoquantur nihilo minus fieri ipſius caloris elementaris ſubjectum quam ipſam animam, & pari abſurditate dici animam quàm ſpiritum inſitum, quem tamen Calidum innatum vocas, comburi: eſſe & manere caliditatem in ſuo igne & atomis igneis per ſubſtantiam ſpiritus ſparſis, & magnam inducere anomaliam in corpus, non tamen quamvis accendere vel comburere ſubſtantiam, quia nec lignorum ſubſtantiam abſumere valeat, quod receptivum non recipiat ad modum imprimentis, ſed recipientis ſui.

CCLX. Quod itaque ait, ſpiritum inſitum ſi præ-

ciſe

ciſe ſumatur ſolum eſſe Calidum innatum, & ita dari Calidum innatum ſine calore, & abſurdum eſt & contra ipſum D. Sennertum, *qui non minus caliditatem, quæ in ipſo ſpiritu dominium habet & prædominatur, requiri ad conſtitutionem ac eſſentiam Calidi innati, quàm ipſum ſpiritum cui inhæret, aſſerit. Non enim ad Calidi innati eſſentiam hoc ſolum pertinet, ut ſit ſubſtantia, ſed ut ſit concretum quid ex ſubjecto ſeu ſubſtantia & qualitate. Non enim Calidum innatum, ſi ut ſubſtantia conſideretur,* (inquit D. Sennertus lib. 1. de febrib. c. 1. fol. 9.) *tantùm caliditate abſolvitur: unde ſequitur, quod uti calidum non abſolvitur ſola caliditate ſine ſubſtantia, ita quoque non abſolvatur ſubſtantia, ſeu ſpiritu ſine calore.*

CCLXI. Hunc autem calorem vel caliditatem, qui eſt in illa ſubſtantia, & elementarem eſſe & ab elementari vehementiore plures gradus accipiendo intendi & accendi teſtatur loco citato D. Sennertus. Ejus enim quia eſt de eſſentia & conſtitutione Calidi innati, accenſio Galeno & Medicis & ipſi D. Sennerto febris dicitur, quæ ob id definitur caloris nativi (ſcilicet ejus qui eſt de eſſentia Calidi innati) in igneum converſionem. Qua ratione cum Calidum innatum juxta potiorem & prædominantem eſſentiæ ſuæ partem patiatur à calore elementari, ſequitur id ab elementaribus rebus affici, confici & interimi poſſe.

CCLXII. Sed inſtat Ganymedes Sennertianus & regerit, ſpiritum illum inſitum quod ſit ſupeRelementaris naturæ, etiamſi totum corpus coquatur & recoquatur, non fieri caloris elementaris ſubjectum, niſi quis etiam animam calore accendi & comburi velit: quin imò manere caliditatem elementarem in

ſuo igne & atomis igneis per totum corpus & ſubſtantiam Calidi innati, qui ipſi ſolus eſt ſpiritus, diſperſis, adeo ut neque ſpiritus ab eo calefiat. Vti enim anima à calore non calefit, ita neque ſpiritus, quorum utrumque ſi incaleſcere pariter quoque accendi poſſet.

Verum hic primò impudentiſſimè vel ſibi ipſi D. Sennertus ſub perſona Ganymedis contradicit, vel ipſe Ganymedes. ſuo Præceptori D. Sennerto turpiter & barbarè oggrunnit. Quod ipſe D. Sennertus perſpicuè doceat, quod caliditas illa, quam elementarem fatetur, pro ſubjecto habeat ſpiritum inſitum, *ex cujus utriuſque videlicet ſubjecti & accidentis inhærentis concretione aſſeverat conſtare Calidum innatum.* Cum verò accidens teſte D. Sennerto lib. 5. inſtitut. c. 2. transferatur cum ſubjecto, nullibi eſſe vel exiſtere poteſt, niſi in proprio ſubjecto, & mediante hoc ſeu πρώτῳ δεκτικῷ in aliis, neque unquam ex ullius materiæ potentia educi, niſi ſit communis & elementaris naturæ, ſequitur ſpiritum iſtum, in quo eſt caliditas iſta & cum quo conſtituit Calidi innati eſſentiam eſſe elementaris naturæ. Vndè & illud intercidit, quod dicit ideò non eſſe caliditatem in ſpiritu, nec ſpiritum accendi à calore, quia ſpiritus non ſit elementaris naturæ. Accedit & hoc, quod graviſſimè in faciem oppedat & contradicat D. Sennerto ſuo præceptori (qui vel ob hoc unicum ipſum Ganymedem ferulæ ſupplicio mulctare & corripere debebat) cum deblaterat calorem in ſpiritu non eſſe ut in ſubjecto, ſeu calorem ut accidens non eſſe in ſpiritu (quod tamen conceptis verbis apertè, clarè & dilucidè affirmat D. Sennertus) ſed eſſe & manere

in

in ſuo igne & atomis igneis per ſpiritus & corporis ſubſtantiam diſperſis, quæ tantùm calefaciant ſpiritum inſitum quantum ipſam animam vel lignorum ſubſtantiam. Vide in quam barbaram rabiem agantur iſti diſciplinarum & bonarum artium corruptores, qui tamen artium doctores non ſine Academiarum in quibus profitentur, notabili ignominia & doctrinarum ingeniorumque innocentium corruptione audire ſatagunt.

CCLXIII. Quantum redolent barbariei & abſurditatis eo deſperationis devenire, ut pro defendendis malè conceptis opinionibus ſtatuere non erubeſcant, calorem calfacere corpus per atomos ignis in corporis membra & ſpiritum inſitum diffuſas, ſupra vidimus. Id leviter hic inter cætera notabimus, quod inquit, calorem elementarem æque difficulter poſſe accendere vel calfacere ſpiritum inſitum quàm animam & ligna; quod receptivum recipiat ad modum receptivitatis. Animam ſanè non accendant atomi igneæ; atomos verò igneas & ſcintillas poſſe accendere ligna, qui ignorat brutum pecus ſit oportet. Spiritum verò inſitum & ſubjectum eſſe caliditatis & non tantum ab hujus inhærentia (parcite manes Ciceroniani) reverà calidum eſſe & ex hoc & cum hoc prædominante Calidum innatum conſtituere, & cum caliditate inhærēte eſſe elementaris naturæ jam ſupra abundè demōſtravimus.

CCLXIV. Ne verò quicquam intactum relinquamus, videndum eſt, quomodo calore noſtro accenſo fiat febris & an actiones vitales naturaleſque corrumpantur intacto & illæſo ſpiritu inſito, quem & omnium vitalium actionum cauſam & ſuperelemen-

taris naturæ eſſe aſſeverat & dicit *D. Sennertus cum Ganymede ſuo.*

CCLXV. Ganymedes ait in tractat. de Calid. innat. fol. 24. calorem elementarem in ſuo igne per omnia corporis membra diſperſo magnam inducere anomaliam, non tamen quamvis ſubſtantiam accendere, & ideo neque ſpiritum inſitum, qui æque difficulter ab eo calefiat ac accēdatur, quam ipſa anima. Reſtat itaque ut nos doceat novæ iſtæ doctrinæ Triptolemus, quomodo generetur febris. Si enim non ſit innati caloris, uti actionibus naturalibus edendis. & temperiei animalis commenſuratus ſit, accenſio & in ignem converſio, atque in eo Galenus & Sennertus & omnis priſcorum & modernorum ætas turpiter erraverit, doceat nos quid ſit febris, & unde actiones vitales naturaleſque læduntur in febre, illęſo Calido innato omnium actionum juxta Ganymedē cauſa. Si dicit febrem eſſe in calore elementari accenſo & intenſo falſus eſt, quia calor ille dicente barbaro hoc Philoſopho hæret in atomis igneis per membra diſperſis, quamobrem cum jam igneus ſit imò in ipſo igne nec ulteriores caloris gradus acquirere neque amplius intendi poteſt: vel itaque febris non eſt caloris nativi in igneum converſio vel oportet hominem perpetuò febricitare, quia ipſe calor quo caleſit igneus eſt, & in igne & ex igne atomiſque igneis actu in corpore exſiſtentibus.

CCLXVI. Deinde quæritur, cum actiones vitales & naturales læduntur à calore & frigore externo & morbis intemperiei calidæ, frigidæ, ſiccæ, & ſolum Calidum innatum vivificet, chylificet, ſanguificet & alia naturæ opera præſtet, ut ait Ganymedes in tract.

de

de morb.ſubſtant. quæſt. 6. quod calor elementaris perficere nequeat, quia nullum agens agat ſupra virtutem ſuæ ſpeciei, & hæ qualitates intemperieſque elementares in Calidum innatum toto ſubſtantię genere diverſum, agere, illumque æquè minus quam animam ipſam alterare valeant, quomodo actiones Calidi innati illæſo & ne hilum affecto Calido innato nec ab intemperiebus elementaribus affici potente, lædentur? Actio læſa probat & demonſtrat cauſam actionis eſſe læſam, & impoſſibile eſſe actionem lædi niſi membrum vel pars, vel id quod ſit actionis cauſa afficiatur.

CCLXVII. Hic cum nihil habeat quod reſpondeat qui magna hactenus barbarie ſanæ philoſophiæ veritati oblatravit, calvum & ſcutica dignum, Profeſſore vero Academico indignum & exprobrandum ponit reſponſum. Ait enim in tractat. de morb. ſubſtant. quæſt. 7. except. 4. Spiritum inſitum ſeu Calidum innatum in febribus à calore febrili directè & per ſe non lædi, ſed tantum elementarem calorem intendi, quo intenſo in ſubjectum inducatur anomalia & Calidum innatum diſgregetur. In hecticis directè humidum primigenium non peti, ſed calorem augere calorem, & ſiccitatem augere ſiccitatem, undè fiat ut humidum elementare exeat in & cum atomis aqueis, quo fracto introducatur anomalia, ob quam Calidum innatum cum humido primigenio diſpergatur.

CCLXVIII. Hic primò notandum, quod ſuperius ex D. Sennerto probatum ſit, in febre intendi illum calorem, qui cum ſpiritu inſito calidi nativi eſſentiam conſtituit, adeoque rectè definiri Galeno &

 poſteris

poſteris & ipſi D. Sennerto febrem per caloris nativi in igneum converſionem. Lædi autem actiones juxta D. Sennertum primò & per ſe læſo proximo inſtrumento, qui eſt calor innatus, & cum ſuo ſubjecto ſpiritu conſtituit Calidum innatum, ex ejus verbis & ſententiis perſpicuis ſupra recitatis videre eſt.

Calorem, qui in febribus intenditur & læditur, ſi naturaliter habeat vegetuſque ſit, cor & omnia membra ſuas actiones rectè & ritè exercere; ſi verò excedat adeò, ut cum calore præternaturali in unam calidam intemperiem coaluerit, coquere quidem & alia agere, ſed ob acrimoniam & exceſſum vitioſe, autor eſt D.Sennertus lib.1.de febr.c.1. Qui itaque calor vitioſe coquit & vitioſe agit cum intenſus eſt à majori & ſuæ ſpeciei improportionato naturæ calore gradu auctus eſt, illum eundem recte & benè actiones naturales, utpote coctionem aliaque perficere cum naturaliter habet, ibidem docet D.Sennertus lib.1.de febrib.c.1.

Nec prætereundum quod idem in tractat.de Galen.& Chym.conſ.& diſſ.c.10.fol.257. inquit: *Spiritum ad omnes actiones ſuæ ſpeciei convenientes obeundas continere in ſe calorem, à quo etiam in animalibus denominationem accipit. Idem ibidem fol. 244. Spiritum hunc conjunctum eſſe cum calore elementari efficaciſſimo & evidentiſſimo, unde calidum appelletur, eoque illum ſicut inſtrumento uti.*

CCLXIX. Ex his patet quod D. Sennertus velit, ſpiritum illum perficere omnes actiones per calorē, à quo denominationē habet: *ſed hunc calorem primò eſſe elementarem & hic & alibi profitetur, & deindè eundem*

dem cum ſpiritu conſtituere & perficere eſſentiam Calidi innati: & hoc calidum ex calore & ſpiritu concretum eſſe partem corporis & animæ proprium inſtrumentum per omnes partes corporis extenſum. Etſi verò D. Sennertus ſibi ipſi cõtradicat & contra Philoſophiæ veteris veritatẽ ſtatuat, nunc calorem elemẽtarem eſſe inſtrumentum ſpiritus, nunc verò calorem non eſſe inſtrumẽtum ſpiritus, quippe quod in eo dominetur adeò ut hoc etiam ab eo denominetur & regatur, ſed calorem elementarẽ cum ſpiritu, cui velut ſubjecto ineſt & cum quo concrevit, & Calidi innati eſſentiam conſtituit, eſſe inſtrumentum animæ. Ait enim lib. 1. inſtitut. c. 5. *neque ſola caliditas eſt inſtrumentum animæ, ſed totum illud corpus, quod calidi vel ſpiritus inſiti nomine venit*, Tamẽ utraq; ſententia Ganymedis monſtroſæ opinioni adverſatur. Calor enim elementaris, ſi ſit inſtrumentum ſpiritus, ſive intendatur à ſimili ſuæ ſpeciei & igneo calore, ſive à contrario frigore remittatur, ſive ut pars Calidi innati ad ejus conſtitutionem perficiendam neceſſariò pertinens, dum afficiatur, pro modo læſionis actiones corrumpi, debilitari aut aboleri certum eſt, adeò ut actiones corrumpantur immediatè propter læſionem caloris, qui ſit elementaris naturæ, ſive is ſit inſtrumentum ſpiritus vel animæ.

CCLXX. Quocirca certum eſt à calore febrili aut intemperie calida non perire aut lædi actiones & naturam morbo affici, quia calor elementaris intenſus anomaliam inducat in totum ſubjectum, unde diſgregetur Calidum innatum, quod actionum naturæ auctor eſt, ſed quod calor ille elementaris, qui proximum ad omnes actiones (ſive ſpiritus ſive ani-

mæ

mæ velis) inſtrumentum, afficiatur aut ſimili aut contraria ſuique generis qualitate. Et quomodo calor elementaris intenſus vel deficiens hanc inducat anomaliam ut diſgregetur ſpiritus, cum in ſpiritum nullo modo agere, aut eum turbare poſſit, & neque ille hoc juxta novatores ſuſtentetur, ut hic ille ſine hoc eſſe & exſiſtere queat, & actiones ſunt ſolum inter contraria unius generis?

CCLXXI. Deinde contra D. Sennertum & totam Paracelſicorum lernam eſt, pereunte elementari corpore, in quo habitat, & cum quo concretũ eſt Calidum innatũ & ſpiritus inſitus, pereunte, inquã, elementari corpore cum ſuis accidentibus perire vel diſpergi & diſſipari Calidum innatum ſpiritumque inſitum, quia hoc conſtituit quintam eſſentiam, in qua immediatè hæreat & perduret forma, cum qua ſuperſtes maneat & incolumis, cum ab inutilibus elementorum indumentis liberata ſit illa eſſentia, ut docet D. Sennertus lib. 5. inſtitut. p. 1. c. 5. unde ſuo jure & libertate reſtituta illa calidi eſſentia magis florebit & æternabit à quiſquiliis elementaribus exſoluta & eradicata.

Et quis unquam præter hos moroſophos dixit actiones ſimilarium partium lædi non affecto primo & per ſe Calido innato actionum omnium cauſa. Oporteret ſanè nullum intemperiei morbum lædere actiones primò & per ſe, ſed ſemper per accidens, & quia illa læſio Galeno lib. de morb. differ. ſit per accidens, & illa cauſa agit illi per accidens quæ agit mediante alia.

Argu-

Argumenta quædam & inutiles rationes, quibus demonſtrare volunt Novatores, animalia nutriri quintis eſſentiis, diſcutiuntur.

CCLXII. Sed an quintis eſſentiis ſeu humido radicali, an verò alimento ex miſtione elementorum nato & per varias mutationes ſic diſpoſito, ut in corporis ſubſtantiam verti poſſit, nutriamur, paucis repetere placet. Demonſtravi abundantiſſimè in diſputat. de Calid. innat. humidum primigenium caloris nativi ſubjectum & pabulum, ſi ſit concretionis, & naturæ elementaris expers, nos nutrire aut in nutrimentum cedere non poſſe.

CCLXXIII. His, quæ ſequuntur, rationibus potiſſimum uſus ſum. *Quale nutriens, tale eſt nutritum, quia iis conſervamur, quibus conſtamus. Fit enim conſervatio ſubſtantiæ noſtræ, quæ in perpetuo fluore poſita eſt, quadam reparatione. Reparamur ſimilibus: Talia verò ſunt alimenta. Similitudo conſiſtit in hoc, quod alimentum ſit illud potentia, quod altum vel nutritum eſt actu. Potentia eſt propinqua vel remota; unde diſtinctio eſt Hippocratis inter alimentum, quod eſt futurum alimentum, & quaſi alimentum, & verum ſeu reipſa alimentum. Ut itaque res verè fiat alimentum, oportet fuiſſe animatum vel ab animato genitum: neque enim inanimata, ut lapides & metalla, nutriunt. Nullum vero animatum corpus ſimplex eſt, ſed miſtum, & licet fuerit animatum vel ab animato profectum, tamen non poteſt fieri alimentum niſi in corpore animato nutriendo ita per varias mutationes diſponatur, ut fiat alibilis ſubſtantia. Mutatio illa fit per concoctionem à calore nativo. Unde nihil verè ſit alimentum actu nutriens, quod tres concoctiones in cor-*

in corpore non pertranſierit. Concoctio verò fit à calore, qui eſt elementaris, & perficitur actione caloris, primò adverſam qualitatem frigidam ſuperando & in patibiles qualitates agendo & humidum cum ſicco miſcendo, uniendo, terminando, *unde coctio dicitur terminata humiditas & perfectio à calido nativo in qualitates quæ patiuntur.*

CCLXXIV. Quod igitur concoqui nequit id in ſubſtantiam noſtram nec verti, nec nutrire poteſt. Humidum primigenium, elementaris conditionis expers & naturæ ſuperelementaris uti elementis & elementatis, autore D. Sennerto, concretum & connatum ſeparatur & trahitur à corpore nutriendo, concoqui à calore noſtro aut concoctionis operam & beneficium recipere nequit: *Primò, quià actiones fiunt à contrariis ſub uno genere juxta D. Senn.* Quocirca calor elementaris in ſuperelementare corpus toto genere diverſum agere nequeat. Secundò, concoctio fit à calore per miſtionem & determinationem humidi cum ſicco, & ſubactionem qualitatis frigidæ; quapropter nec ſimplex corpus coqui aut per coctionem in aliam ſubſtantiam verti, neque aliud corpus quam compoſitum & elementare in ſubſtantiam alibilem coctione verti poteſt.

CCLXXV. Vnde ipſe D. Sennertus lib. 1. inſtitut. c. 9. inquit, ſolum ſanguinem pro corporis alimento habemus: & juxta Ariſtotelem dicit, ſanguinem eſſe animalibus ſanguineis ultimum alimentum. Per ſanguinem verò, quatenus eſt nutrimentum, non intelligi ſolum ſanguinem, quatenus eſt pars quarta, quæ propriiſſimè eſt ſanguis, ſed quatenus quatuor conſtat humoribus; quia (inquit D. Sen-

Sennertus) cum unum quodq; alatur ſimili,& corpus noſtrum pluribus conſtet partibus diverſæ naturæ, neceſſum eſt, ut proximum alimentum non ejuſdem planè ſit naturæ, ſed partium diverſarum. Generatur verò ille ſanguis in epate per concoctionem, undè neceſſariò ſequitur, ſanguinem eſſe corpus elementare non ſimplex nec quinteſſentiale, quia à calore epatis determinato proprio & commenſurato generatur per miſtionem & definitionem humidi cum ſicco.

CCLXXVI. Hinc duo grandia & ingentia abſurda promicant. Primum ex verbis D. Sennerti lib. 1. inſtitut. c. 5. prodit, ubi inquit: *Quodlibet animal quicquid eſt in carnibus & plantis humidi radicalis calidique inſiti ſuo corpori apponit, aptumque reddit & οἰκεῖον facit, reliquum corpus miſtum, ut inutile excernitur. Vndè primò ſequitur, quod corpus noſtrum non ſit ex elementis & elementare, quia illo verè conſtamus corpore, quod per nutritionem, cum ſit in perpetuo fluore conſtitutum, conſervatur; atqui elementare corpus alimentis ſuperelementaris eſſentiæ non reparatur ſed ſimilibus. Omne vero nutrimentum ipſi eſt quinteſſentiale, quocirca & nutritum quinteſſentiale ſit oportet: atque ita corpus mere & vere noſtrum conſtat ex quinta eſſentia.* Quo ipſo novatores falſi arguunt Moſen & vocē divinam rejiciunt, qua dicitur, pulvis es & in pulverem reverteris, & toti Eccleſiæ omnibuſq; ſanctis Patribus & theologiæ doctoribus oggrunniunt, vigore verborū ſcripturæ aſſerentibus, corpora noſtra eſſe purè elemētaria uti ſuperius diſp. 2. oſtēdimus. Atqui hi ſunt fructus blaſphemiæ Parac.

Secundum inde etiam ſequitur quintam eſſentiam habitare vel eſſe in corpore elementato tanquā

in

in theca vel capſula; atque hoc eſſe ejus involucrum ſeu indumentum, quod verè Paracelſicum & abſurdorum abſurdiſſimum eſt, de quo plura in diſputat. de Calid. innato & diſput. hujus operis ſecunda.

CCLXXVII. Quærere reſtat, an illa theca vel indumentum elementare non nutriatur, non ſit animatum, an inſtar lapidis vel purè miſti ſe habeat, nec alimento indigeat, quia in alimento id quod præter quinteſſentiale ſupereſt, miſtum eſt (ſeu elementare) & ut inutile excernitur uti inquit. Sed cum directè non audeat (quid verò non audet ille perfrictæ frontis) cavillari Moſen, qui ipſi ſudes eſt in oculis, per meum latus ſcripturam fodicat. Quod enim Moſes dicit, Deum formaſſe hominem pulverem ex terra, & quod ſit pulvis & in pulverem reverſurus, undè infallibili conſequentia deducitur juxta omnium Theologorum ſeu Proteſtantium & Catholicorum ſeu Patrum & priſcorum interpretationem, corpus humanum cōſtare ex limo & elementis, nec conſtare partim ex atomis, uti blaſphemè aſſerit Ganymedes in tractat. de form. orig. quod & hæreticum eſt dicere, neque ex aliis præter elementa quintis eſſentiis aut Paracelſicorum principiis, velut diſputat. 1. vidimus, id mordet & male habet ſycophantam & ſacræ veritatis cavillatorem. Ex Moſe ego deduxeram argumentum omni exceptione majus, quo probare annitebar nutrimentum oportere eſſe elementare, ubi corpus nutriendum ſit elementare ; quia quale nutriens, tale nutritum.

CCLXXVIII. *Hic tollit magnos petulanti ſplene cachinnos.* Verum non me ſed Moſen ridet, Dicit enim ipſe hominem eſſe pulverem è terra formatum. Ego

verò

verò ex eo deduxi neceſſarium eſſe, ut ſi corpus ſit terreum & elementare, tale etiam ſit nutrimentum. Hoc tàm ineptum eſſe argumentum deblaterat, ut ſi puer id formaſſet dignus ſit quod terra cibetur. Verum oportet & puerilem eſſe Moſen, qui dicit, Deum præcepiſſe Adæ, ut ex terra comedat omnibus diebus vitæ (& paulo poſt) donec revertatur in terram, de qua ſumptus ſit, quia pulvis ſit, & in pulverem revertetur. Et oportet Pſalmiſtam ineptum eſſe cum Pſalm. 104. dicat, quod Deus educit panem è terra. *Quin imò omnes Theologos & Scripturæ S. interpretes, qui terræ non tantum cauſalitatem materialem ad producendum plantas & herbas in explicatione 1. cap. Geneſ. tribuunt, ſed & animalia & plantas juxta animam & corpus ex elementis orta eſſe & oriri quotidie ſtatuunt, ineptiſſimos eſſe.* Et ſanè non minus ridebit Ganymedes Pſalmiſtam dicentem, *quod panis educatur è terra (quia ille nuſpiam è terra viderit creſcere panes)* quàm me cum dicam *hominem terra nutriri, quia terra & elementa ſunt materia nutrimenti.* Ablegabit itaque Pſalmiſtam eſurientem ad terram, ut colligat panes ex terra creſcentes.

CCLXXIX. Multò adhuc puerilior & ineptior fuit Moſes, qui quintarum eſſentiarum Sennertiano-Paracelſicarum ignarus non alimentum ſed ipſum hominem nominavit pulverem. *Quare vel ipſum Moſen etiam pulveris epulo dignum cenſebunt, qui tàm pueriliter & abjectè loquatur de corporibus quinteſſentialibus & ex atomis aliiſque miſero Moſi ignoratis principiis, confectis.*

Sic igitur cavillatur. Nihil nutrit, niſi quod animatum (mutuo ſumpto à me axiomate) vel ab ani-

mato genitum: Terra & elementa nutriunt. Ergo animata vel ab animato genita. Sed nunquid hoc ipſo non tam me quam Moſen cavillari intendit. Et ſanè ſi iſta cavillatio valeat contra meas ex Moſe depromptas rationes, valebit & hoc in ipſum Moſen: Dicit enim Moſes, *Deus hominem fecit pulverem.* Si itaque homo animatus eſt & homo ſit pulvis, neceſſario pulvis ex quo fit homo erit animatus. Bella argumentatio juxta formam Sennertianam, ſi ſic more per Ganymedem ejus uſurpato argumentari & ſacras literas cum D. Sennerto criminari velimus.

CCLXXX. Verùm ad rem ipſam miſſis cavillationibus. Dixi juxta Moſen, hominem eſſe pulverem ſeu ex limo factum, & proinde elementaris conditionis, ideoque tale ponendum nutriens quale nutritum ſit, videlicet quod ſit elementaris conditionis. Vti vero humani corporis materia proxima non ſunt elementa, ſed partes ſimilares, atque hæ ex ſanguine & ſemine natæ. Sanguis autem & ſemen ex cibis: cibi ex elementis adeoque elementa & terra ſint materia prior, ex qua conditum corpus humanum & in quam ultimo reſolvitur: ita alimenta ex elementis nata non ſtatim actu nutriunt, ſed ſunt materia nutrimenti, quemadmodum fuerunt materia corporis nutriti, neque poſſunt actu fieri nutrimenta, niſi ex iis generentur miſta è miſtis animata vel in animatis aptentur (nihil enim quod purè miſtum, ut lapides, metalla vel ſimile quid nutrit) neque ea quæ animata ſunt, nutrimentum fieri poſſunt, niſi in animato corpore per varias mutationes actu alimenta fiant, in diſputat. de Calid. innat. theſ. 40. dixi. Natu-

ra univerſalis non generat alimentum proximum ſed materiam illius alimenti, eamque præparat & maturat, unde producit ſtirpes, fruges & animalia, ut ex iis alimenta naturæ organorum opera fiant. Hinc dixi theſ. 21. in rebus ad alimentum potentiam eſſe remotã & propinquam, qua non ſubito quicquã ab extremo in extremum niſi per varias mutationes tranſire queat. Oportet enim, ut ex elementis fiat cibus, generari ex iis miſta; ex miſtis animata vel in animatis adaptata, ex animatis ut fiat propius alimentũ neceſſum eſt ut in animato corpore propiorem diſpoſitionem accipiat, *unde nihil nutrire dicatur, quod tres iſtas concoctiones non pertranſierit. Hinc nata Hippocrati & ſervata à Galeno nobiſque tradita diſtinctio alimenti in id quod futurum eſt alimentum & quod quaſi alimentum, & quod verum eſt alimentum.*

CCLXXXI. Vti itaque terra & elementa ſunt materia hominis generandi ſed non proxima, verum per varias mutationes, ita terra & elementa ſuppeditant materiam quæ per varias mutationes ſic comparetur ut alimentalis re ipſa & actu fiat. Hinc facile liquet quomodo & quo ſenſu dixerim, elementa præbere materiam alimenti vel eſſe nutrimenta, ut in illis reprehendendis nil niſi merum calumniandi & livide maledicendi non veritatis indagandæ ſtudium demonſtravit Ganymedes.

CCLXXXII. Et ſanè quintas eſſentias, quibus nutriatur homo non eſſe ex elementis & elementatis, ſed iis connatas ex Hippocrate vult probare per ſuum Subornatum D. Sennertus. Quia dicat Hippocrates è terra trahi id quod linioſum, pituitoſumque eſt: Ergo quintæ eſſentiæ ſunt concreatæ, &

quod bilioſum, pituitoſum &c. eſt quinta eſſentia. Quis unquã textum Hippocraticum ſic depravare & hæc verba in hunc ſenſum torquere auſus eſt præter ſolos Paracelſiſtas & Severinianos ejuſque colluviei ſectatores? Venerando ſeni Hippocrati nunquam in mentem venit docere, bilem, melancholiam, pituitam aut id quod ſalſum, amarum acerbumve eſt, licet trahantur è terra, ex terra per miſtionem cum cæteris elementis non eſſe nata; ſed illa trahuntur ex terra quod talia ſunt actu vel potentia.

CCLXXXIII. Si concedamus (quod tamen non ſtatuimus) actu è terra talia educi, an non ex elementis per miſtionem genita, an verò ex terra tanquam theca & involucro extrahantur? minimè oppido: uti enim & ſtirpes & herbas omnis generis & fruges divina benedictione producere juſſa eſt tellus, tanquam cauſa materialis, ita & eorum & omnium animantium alimentum ex ſe materialiter ſuppeditat.

Quia circa terram, ubi radiorum Solis & ſyderum miſtione confluxuque omnia tum fiunt, tum fieri & eſſe deſinunt, omniaque per omnia penè miſta, nullumque elementum ibi purum & ſincerum, cum & ſenſus animalium ſummas elementorum qualitates non ferant, & neceſſariò ad continuam alimentorum & animalium generationem fiant miſtiones; neceſſario id, quod ſtirpes & plantæ è terra trahunt, ut alimentarem induat rationem, primo miſtum eſſe debet, non ſincerum, quia nullum elementum purum nutrit, aut nutriendi vim habet, uti docet & eleganter demonſtrat Fernelius lib. 2. phyſiol. c. 5. ubi tradit, *quod neque piſces in aquis alat aqua ſince-*

ſincera, ſed qua terra, aëris & ignis ſimul eſt particeps, & porro docet, quod corpus humanum ſeu partes ejus partim ex ſemine conſtent, partim ex ſanguine: quodque ſemen ex ſanguine genitum, adeo ut omnes partes vel mediate vel immediate ex ſanguine natæ ſunt.

Nomine (inquit) *ſanguinis quatuor humorum mixtam congeriem appellamus: hanc verò eſculenta potulentaque ingeſta nobis innovarunt. Hæc porro ſive animantium carnes erant, ſive piſces, ſive terræ fruges & ſtirpium fructus, à promiſcua elementorum concurſione aliquando ſunt procreata, eo ſane ordine quem pulchrè nobis cecinit Lucretius:*

Sic tempeſtivis ex imbribus humida tellus
Vertit ſe primum in frondes, & pabula læta
In pecudes; vertunt pecudes in corpora noſtra
Naturam, & noſtro de corpore ſæpè ferarum
Augeſcunt vires, & corpora pennipotentum.

Nihil enim ſimplici elemento nutriri, ut neque naſci poteſt. Stirpes quæ prodierunt è terra, non illinc omnia traxerunt, ſed ſi ea ſtirpibus alimentum datura eſt, neceſſe eſt humore perfundatur: unde agricultura deductiones rivorum, agrorum irrigationes adacta neceſſitate excogitavit. Atqui ſi puram aquam terra conſperges, nihil aliud quam lutum reddes, alendis ſtirpibus ineptum atque minus accommodatum. Oportet igitur ſi quod apparabitur congruens illis nutrimentum, craſſioribus naturis duas reliquas contrarias inſeri & temperari. Sic neque piſces alit aqua ſyncera, ſed qua terræ, aëris & ignis ſimul eſt particeps. Proinde ita rerum natura comparatum videmus, ut reliquorum vis & ſubſtantia in terram & aquam penetret, utque aër & ignis inferiora perfundat, unde rerum plurimarum exortus fieri conveniret. Itaque rerum omnium

 corpora

corpora à primis illis naturis & rerum ſeminibus derivantur, alia quidem ſtatim & proximè, alia longa adeo rerum ſerie, ut cum multorum corporum ortus interceſſerint, incredibile videatur à ſimplicibus illa naturis deſluxiſſe. Quin etiam eodem omnium ſpectat interitus, quia natura rerum obitus conficiens, eò ſingula refert, undè fuerunt accepta. Homines cum ſolutis corporum vinculis è vita excedunt, quantum innati caloris diſſipatur, id omne in univerſam ignis naturã revolvat: (Nota hic quod ipſe Fernelius ex quo probare conantur novatores calorem nativum eſſe ſuperelementaris naturæ, ex igne duxiſſe originem ſtatuat & idem de ſpiritu ſentiat.) *ſpiritus ſubſtantia partim in ignem, partim in aëris regionem offuſam nobis refunditur: profluens humor aqua rurſum fit aut halitus, qui tùm aquæ tùm aeri confinis eſt: ſolidiores partes, quibus craſſior ineſt firmitudo, ubi ſenſim fuerit aqueus humor exhauſtus, tandem diſſolutæ in cinerem & terram abeunt: neque admodum diſſimilis eſt reliquorum in occaſu comparatio.*

Nam ſua cuique locis ex omnibus, omnia plagis
Corpora diſtribuuntur: & ad ſua ſecla recedunt.
Humor ad humorem, terreno corpore terra
Creſcit, & ignem ignis producunt, ætheraque æther.

CCLXXXIV. *Hoc mirus Hippocrates ante natam omnem Philoſophiam divino afflatus elogio omnium primus attigit, promulgans nimirum homine animam agente ſingula in propriam naturam diſcedere, atque in eas naturas refluere, ex quibus unumquodque conſiſteret. Nam paulò antè apertè confecerat hominem non poſſe ex unica conſtare, cum dolore affligeretur, ſed ex calidi, frigidi humi*

humidi & ſicci temperatura: quibus utique nominibus quatuor ea quæ diximus primordia, non ſolùs qualitates complexus videtur. Hactenus Fernelius.

CCLXXXV. Hinc eſt quod Ariſtoteles 2. de generat. animal. ait: *in terra eſt humor, in humore ſpiritus, in utriſque calor quidam.* Qui locus veris Philoſophis & Scaligero explicatur, quod de animalium ex elementis generatione agat: Ergo etiam de alimentorum ex terrâ productione: quia iis aluntur animalia ex quibus conſtant. Sed Galeno etiam & Medicis placet, id quod ex terra extrahitur dici ideoślioſum pituitoſumve, non quia jam ſit bilis, pituita vel ſanguis actu, ſed quod ex iis generetur in corpore humano. Cum enim corpora noſtra variis variæ naturæ partibus conſtant, debuit talis alimenti materia ſuppeditari, quæ ſingularem partium naturis ſit commoda ad alimoniam, quod ipſum & D. Sen: in inſtitut. docet. Hinc Galenus lib. 2. de facultat. natur. calidum dicitślioſum & frigidum pituitoſum, quia promptè ſua natura vertuntur in bilem & pituitam. Bilem autem uti bilis eſt, & pituitam uti talis eſt actu in terra generari vel eſſe, nemò ſanus dixit: materiam verò undè generetur, terram ſuppeditare hactenus verorum Philoſophorum & Medicorum fuit & eſt, & ipſa veritatis eſt, & manebit ſententia: ſiquidem & bilem cæteroſque humores in corpore quatenus ſunt vel pars ſanguinis vel excrementitiæ materiæ, ex alimentis generari ipſe D. Senn. docet in inſtitut. Generantur vero ex alimẽtis iſtis ratione alimenti, adeo ut ex quolibet alimento neceſſariò generentur quatuor humores, vel quod ex eodem alimento pro diverſitate naturarum in

aliis bonus potius ſanguis, in aliis bilis aut ater humor generetur. Generantur itaque iſti humores vel ratione objecti, ut habet Galenus lib. 3. de ſympt. cauſ. vel ratione diſpoſitionis organorum ſeu (uti vocat) facultatis. Bonus humor ex bono alimento, pravus ex pravo, vel etiam ex bono alimento pravus humor vitio alteratricis & concoctricis facultatis idque per dyſpepſiam vel bradypepſiam.

CCLXXXVI. Ex alimentis ingeſtis non tantùm hos humores in corporibus animalium perfectis generari, ſed & neceſſariò fieri, adeo ut bilis igni, pituita & ſerum aquæ, humor melancholicus terræ, quorum ſubſtantiæ & qualitatum plus contineant, reſpondeant; docent ipſa receptacula concipiendis iſtis humoribus à natura data. Generantur itaque iſti humores in corpore, teſte ipſo D. Sennerto in inſtitut. & phyſic. vi & temperie partium ex alimentis; non connaſcuntur elementis & elementatis tanquam quintæ eſſentiæ, ut docent abſurditatum magiſtri & novæ ſectæ inutiles architecti; neque id unquam ex Hippocrate, Ariſtotele vel Galeno probare poſſunt.

Quæritur an facultas Rhabarbari *purgatrix à ſpecifica ejus forma, per quam eſt Rhabarbarum, dependeat.*

CCLXXXVII. ID ego affirmavi his ductus rationibus, quod forma ſpecifica uti largitur ſpecificum eſſe, & differentiam & quidditatem, ita etiam largiatur propria accidentia & proprietates formales, quæ à nulla alia quam tali forma depen-

dependeant. Si enim alia ſit forma, à qua hæ dependeant & generentur, tùm & regula illa foret falſa, cujus tamen veritatem barbarus ipſe agnoſcit, & fruſtra foret ſpecifica, forma & res ſeſe non haberet in operari uti in eſſe. Aliud enim eſſet, quod eſſentiam largiretur, aliud quod proprias eſſentiæ vel ſubſtantiæ operationes perficeret, quod eſt falſum & abſurdum.

CCLXXXVIII. Ad hæc corruptor bonarum diſciplinarum Ganymedes ex & cum ſuo D. Sennerto reſpondet: primò dari qualitates in re quæ non dependeant à forma ſpecifica rei, cui inſunt, uti albedo oſſis & gravitas in animali. Deinde, alietatem formarum importare alietatem officiorum. Sed iſte Ganeo indignus eſt, cui reſpondeatur. Non enim eſt quæſtio, an in re omnes qualitates, quæ inſunt, dependeant à forma ſpecifica, uti calor, frigus, gravitas, levitas in animali: ſed hoc quæritur, an accidentia alicujus rei propria & formales proprietates ab alia quapiam re dependere poſſint, quàm à forma rei ſpecifica. Vtpote an ſpecifica virtus trahendi ferrum in magnete, virtus Rhabarbari purgatrix ab alia forma, quàm quæ ſit magnetis & Rhabarbari ſpecifica dependere poſſit. Si quæ ſint aliæ qualitates, hæ per elementorum, materiam corporibus præbentium, formas ineſſe poſſunt: quæ autem qualitates ſunt ultimatæ & ſpecificæ formæ propriæ, hæ à nulla alia ſeu ſit elementaris, ſeu alia commentitia Sennertiana dependere poſſunt.

CCLXXXIX. Hanc autem qualitatem & virtutem purgandi in Rhabarbaro neceſſario à forma ſpecifica dependere adeò probatum eſt, ut quid reſpon-

deat, nihil habeat: neque enim etiamſi aliæ formæ ſint vel inſint vel ſubſint ſpecificæ formæ ultimatæ, has, quæ à ſpecifica dependent, virtutes edere aut cauſari poſſunt. Sed oggannit Ganymedes ulterius clamando ut probem Rhabarbarum purgare per ſuam animam, adeo ut non opus ſit aliam formam vel aliud corpus ab elementis diverſum introducere. Inquit enim quamvis communiter dicatur Rhabarbarum purgare, tamen per Rhabarbarum tunc non planta iſta intelligitur, quippe quæ jam dudum diſſecta, macerata & dilacerata ſit, ſed ipſiſſimum plantæ cadaver: Ergo hic ad animam Rhabarbari non recurrere licet, ſed ad formam peculiarem animâ ſublatâ adhuc ſuperſtitem: idemque eſſe videtur ac ſi dicere vellem, humanam pinguedinem, cranium, cutem aliaſque partes propter animam rationalem in illis contentam proprios & ſingulares ſuos effectus perficere, quia propria fluunt à formis ſpecificis. Hactenus Ganymedes.

CCXC. Hic iterum vides, amice lector, abſurditatum invehi plauſtra & monſtroſarum opinionum centones. Primò ait mihi incumbere ut probem, Rhabarbarum purgare per formam ſuam ſpecificam, quæ eſt anima. Atqui illud ita à me factum eſt, ut nihil habeat quod reſpondere poſſit. Propria enim & ſingularia rerum ab ultimatis & ſpecificis profluunt formis. Ad argumentum à ſimili quod profert de cranio & pinguedine humana, &c. id non oppugnat noſtram & veræ Philoſophiæ ſententiam, ſed confirmat. Cranei enim & pinguedinis cæterarumque partium formæ ultimatæ & ſpecificæ, per quas ſunt oſſa, caro, &c. & ſunt id quod

ſunt,

ſunt, etiam ipſis largiuntur tales ad operandum virtutes. Neque enim nos animam dicimus eſſe ſpecificam formam carnis & oſſis ſed animantis totius, ita calor & gravitas & cæteræ qualitates elementares in animali dependent ab elementorum formis, non ab anima animantis, neque ſunt qualitates dependentes à forma animalis ſpecifica & ultimata, & ſunt nihilominus qualitates propriæ iſtarum formarum ſpecificarum, à quibus immediatè dependent, etiamſi illæ formæ rationem ſpecificæ & ultimatæ formæ in animali aut mixto corpore non habeant.

CCXCII. Deinde notetur & hoc quod Ganymedes hic etiam oggänniat ſuo Præceptori D. Sennerto, qui inſtitut. lib. 1. c. 5. has virtutes partium corporis humani & rerum ſympathias & antipathias non peculiaribus earum formis, ſed ſpiritui inſito & humido radicali adſcribit. Hic iterum Præceptor & diſcipulus ſunt Cadmei fratres. Verum rectà ad rem. Duo ſunt nobis excutienda, in quibus totius rei cardo vertitur. Primum eſt, quod anima Rhabarbari non generet ſibi in ſuo corpore vicariam vel aliam formam, quæ ſublata anima ſit cauſa operationum, uti vult D. Sennertus. Secundum, an Rhabarbari cadaver purget.

CCXCIII. Videamus primam opinionem à D. Sennerto lib. 5. inſtitut. p. 1. c. 2. traditam: ubi docet, animam generare aliam quandam formam inferiorem, quæ ſit ſibi inſtar ſubjectæ materiæ, quaque recedente anima officio formæ fungi incipiat & in primis ſit cauſa facultatum ac operationum, quæ à tota rei ſubſtantia nominantur. Anima itaque & forma

generatio ac propagatio ſit per diviſionem formæ generantis in generatum; unde anima Rhabarbari non poteſt aliam formam generare vel producere, quam animam.

CCXCVI. Tertiò, ſi anima generat aliam formam in ſubjecto, eam faciet vel ex ſui diviſione & ſic neceſſario generabit ſui ſimilem animam, vel faciet ex nihilo, uti vult Ganymedes ſtatuens animas & formas fieri ex nihilo; ſed hoc fieri poſſe negat D. Sennertus, vel neceſſario per animam educetur ex potentia materiæ; alia enim originis iſtius animæ ratio expediri nequit. Verum & hoc negat & omni conatu impugnat D. Sennertus ejuſque diſputationis ſumma fere eſt.

CCXCVII. *Quartò cum nulla forma intercidat niſi corrupto ſubjecto ejuſque diſpoſitione, Anima Rhabarbari, ſalva manente forma, quæ ipſi eſt loco diſpoſitionis & materiæ, & per quam ineſt, deperire & interire nequit. Requirit enim, inquit D. Sennertus lib. 5 inſtitut. c. 2. quælibet formam propriam & adæquatam materiam, quæ non niſi uni formæ ſubjicitur, cum qua ſimul eſt & ſimul interit:* proinde Rhabarbari forma ſeu anima quamdiu hæc forma, quæ ipſi eſt loco propriæ materiæ, integra & ſalva eſt, perire nequit, adeoque Rhabarbarum cadaver fieri nec dici poteſt. Dixeram formam non perire, quia nihil ei contrarium. Cui rationi ſuo modo barbare oggannit Ganymedes obſtrigillando, materiæ etiam nihil eſſe contrarium. Sed pueri rerum phyſicarum norunt materiæ, uti eſt ſubſtantia, nihil eſſe contrarium, verum quatenus habet diſpoſitionem & qualitates, quibus mediantibus fit adæquatum & proprium ſubjectum cujuſvis formæ habere ſua contraria agentia in materiam, non ut eſt ſub-

ſubſtantia, ſed quatenus eſt diſpoſita pro hac vel illa forma, qua diſpoſitione vi contrariorum violata amplius formæ commodum & proprium & adæquatum ſubjectum eſſe nequit.

CCXCVIII. Quintò, admiratione dignum eſt, novos novæ ſectæ conditores adeò ſui immemores eſſe ut innumeris conſpurcent ſua axiomata & ſententias contradictionibus. Siquidem D. Sennertus lib. 1. inſtitut. c. 5. disertè & apertè ſcribit, vitam in calido & humido conſiſtere. Hæc duo proprium animæ domicilium conſtituere: & quidem humidum mediatum, calidum verò innatum proximum & immediatum, quod οἰκείως animæ ſubjicitur, ut ſi corrumpatur ſubjectum hoc, animam ipſam è corpore migrare & vitam cum morte permutare neceſſum ſit. Quod ſi verum eſt, tùm neceſſario longe falſiſſimum erit, animam pro ſubjecto proximo & immediata materia, habere aliam à ſe genitam formam, qua mediante inſit primum Calido innato & hoc mediatore toti reliquo corpori. Deinde ſi Calidum innatum ſit proprium & immediatum & adæquatum animæ ſubjectum, in quo ſit vita, & forma quælibet cum tali ſubjecto, uti loquitur D. Sennertus, ſimul eſt & ſimul interit, ſanè anima Rhabarbari ſalvo Calido innato humidoq; radicali nec abeſſe nec perire poteſt.

CCXCIX. Ex quo luce meridiana clarius dilucułat, in Rhabarbari corpore ſuperſtite illa diſpoſitione, per quam ineſt, & neceſſariò immanet anima ejus, non eſſe abolitam animam, neque illud è terra erutum fieri continuo cadaver: quod quamdiu in corpore Rhabarbari ſuperſtes eſt Calidum innatum, etiam anima ſupereſſe poſſit. Quod & apparet ex

ejus

ejus operationibus. Regula enim hæc eſt Sennertiana, *quam à Mercato pro præſentia animæ demonſtranda mutuatus eſt, quod poſitis operationibus animæ ſeu formæ ſpecificæ propriis neceſſariò ponenda ſit anima.* Et in inſtitut. lib. 5. p. 1. c. 2. ait: *Propriæ facultates non ſunt à ſua forma ſeparabiles, ſed quamdiu forma eſt præſens, ſimul adſunt facultates & contra. Atqui virtus Rhabarbari purgans ab omni ſeculo fuit attributa formæ Rhabarbari, non ejus cadaveri habenti aliam formam, qua dominante & informante deſinat eadem planta eſſe Rhabarbarum, & totam eſſentiam & λόγον ὐσίας amittat; unde Rhabarbarum non purgaret, ſed alia res, quæ non ſit Rhabarbarum, & ex Rhabarbari cadavere facta ſit.* Deinde ſequetur & hoc abſurdum, *quod Rhabarbarum ut Rhabarbarum dum anima præditum ſit non purget, nec vim purgandi habeat, ſed eam morte ſua in cadavere conſequatur per formam, in ſpem ſucceſſionis à ſe genitam, quo ad officium ſuum D. Sennerto progreditur mortuo Rhabarbaro. Si autem Rhabarbari anima formam tali virtute præditam poſſit generare dum eſt in vivis, cur non habeat illam eandem virtutem dum vivit Rhabarbarum? Qui dat formam dat etiam omnia conſequentia formam. Et id ex D. Sennerto magis confirmatur qui cum ſuo Ganymede ſtatuit, omnem generationem eſſe univocam.*

CCC. Certum proinde eſt, Rhabarbarum terra erutum ſpecifica ſua forma non ſtatim exui, ſed quamdiu vires propriæ & peculiares purgandi ſuperſunt, etiam animam ejus Superesse, neque hoc ab alia forma dependere, quàm à forma ſpecifica, & cum illa perire: rem probavi exemplo ſeminis tritici vel hordei, quod etiamſi à terra remotum non exerceat

ſupra elementorum conditionem, & hanc Rhabarbari formam ſuccedaneam non eſſe ex elementis fatetur D. Sennertus in inſtitut.lib.5.c.2. 3. Quia ubi una pereunte forma in toto ſuccedit alia in totum, & per novam formam fit aliud quippiam, ibi corruptio unius eſt generatio alterius, quod fatentur D. Sennertus ejuſque Ganymedes, cum inquiunt, rem illam quæ purget non eſſe amplius Rhabarbarum, vel plantam quæ ſic vocetur, quippe quæ jam dudum periit.

CCCII. Cum igitur Rhabarbarum pereunte ipſius forma ſpecifica pereat, neque ſit amplius ſpecies illa, quæ fuit, & nihilominus in corpore Rhabarbari defuncti ſit alia forma, eaque ſubſtantialis, quæ dicente D. Sennerto lib.5.inſtitut. p.1.c.2. ſit *λόγος ȣσίας*, à qua actiones illæ à tota ſubſtantia nominantur, quæque mirabilium ſupra elementorum conditionem operationum ſit auctor, ſanè inſcitè valde dicitur illa res, quæ purgat, cadaver Rhabarbari. Quod enim per propriam formam eſt quod eſt & totum perditâ priore eſt nova forma informatum, perque eam peculiariter & mirificè operatur, id alterius rei cadaver eſſe nequit: Pullus non eſt cadaver ovi. Deinde cum alia hæc ſit forma quam Rhabarbari, quæ operationes purgandi perficiat, falſi omnes hactenus fuere, & falſum dixere, quicunque Rhabarbaro purgandi vim adſcripſere: idem judicium de reliquis vegetabilium purgantibus. O cæca & miſerabilis antiquitas! Et ſanè fruſtra D. Sennertus & nos cum D. Sennerto diſputamus de vi Rhabarbari purgatrice, cum eam non habeat quamdiu ſit Rhabarbarum. Eſt vero Rhabarbarum per ſpecifi-

cam ſuam formam & animam, qua defuncta & ſuccedente alia, non remanet nec eſt Rhabarbarum ipſis docentibus. Et ſic Rhabarbarum nullam unquam habuit purgandi vim. O cæca, inquam, & miſerabilis antiquitas, ignara tanti myſterii Sennertiani ejuſque Ganymedis, in hæc tempora, ut aperiatur, reſervati.

Ad argumentum, quo concluditur ex natura partium ad conſtitutionem totius.

CCCIII. Dixi neceſſariò talem eſſentiam eſſe totius, quales ſunt partes eſſentiales ſeu eſſentiam conſtituentes. Partes verò eſſentiam Calidi innati conſtituentes ſunt purè putè elementares, uti probatum eſt. Ergo & ipſum totum Calidum innatum eſt naturæ & eſſentiæ elementaris.

Ad hoc cum reſpondere non poſſet Ganymedes Sennertianus, totus in rabiem & ad calumnias tanquam conſuetum ſuum aſylum vertitur; & primò ait, D. Sennertum non loqui de partibus Calidi innati, ſed de toto, unde ſequatur, me male affirmare illud de toto, quod eſt de natura partium. Secundò, partes & totum eſſe oppoſita, quocirca me violare legem oppoſitorum, in qua neceſſariò fiat oppoſitio ſecundum idem, ad idem & eodem tempore. Quocirca in tractat. de Calid. innat. fol. 39. ait, me quidem negare (quod probavi) materiam Calidi innati eſſe diverſam ab elementis, verum D. Sennertum loqui de Calido innato, non de Calidi innati materia vel forma: undè in argumento meo à partibus calidi, de materia & forma ſeu partibus calidi eſſentialibus for-

formato violentur leges oppoſitionis, & non obſervetur τὸ αὐτό. Hactenus ille.

CCCIV. Verum an ille, qui de forma & materia Calidi innati quatenus ſunt cauſæ & partes eſſentiales actu conſtituentes Calidum innatum, loquitur, non agit de Calido innato? an forma & materia Calidi innati, de cujus origine & natura eſt quæſtio non conſtituunt Calidũ innatũ? An argumentatio à cauſis eſſentialibus eſſentiam totius conſtituentibus eſt ex natura oppoſitorum & diſſentaneorum? an vero ex immediatè conſentaneis, à cauſæ poſitione ad effecti concluſionem, ut qualis ſit forma, tale & ſit formatum; qualis materia, tale reſultet materiatum? Materia & forma calidi actu eſſentiam ejus conſtituentes non opponuntur calido, ſed quod de iis dicitur, id de ipſo calido dici, quodque iis ineſt, calido ineſſe oportet. Vnde neceſſariò hoc invictæ veritatis argumentum reſultat, quod quales cauſæ eſſentiales ſeu partes eſſentiales, talis naturæ ſit totum; quodque nihil ſit in parte, quod etiam non ſit in toto. Vnde ſi materia & forma calidi, ex qua ortum eſt calidum, ſit elementaris naturæ, neceſſario & ipſum calidum erit elementare.

CCCV. Verum pro ſua impudentia & vitilitigandi obſtrependique libidine conatur alio argumento calidi nativi eſſentiam non eſſe elementaris naturæ demonſtrare. Id verò tale eſt: Qualis forma, tale formatum. Forma Calidi innati eſt nobilior & ſupraelementaris naturæ. Ergo etiam formatum ſeu corpus Calidi innati eſt nobilius & ſupraelementaris naturæ. Verum hic iterum impoſtorem agit. Si per corpus formatum intelligat materiam Calidi innati,

uti eſt ſubjectum formæ, tùm falſum eſt, quod materia Calidi innati ex informatione ſuæ formæ acquirat nobiliorem aut meliorem ſubſtantiæ, uti materia eſt, rationem, aut in aliam vertatur eſſentiam propter formam nobiliorem. Forma enim humana omnium formarum informantium præſtantiſſima, dum informat corpus elementare, hominemque ex ipſo conſtituit, non convertit elementa, unde componitur materia hominis, in aliam naturam; ſed elementaris materia manet, juxta quam homo dicitur & eſt pulvis & in pulverem revertetur. Eſſentia animæ & formæ ſpiritualis non facit ſpirituale corpus vel ſpiritualem materiam.

CCCVI. Hinc pari ratione argumētari licet à natura materiæ. Qualis materia, tale materiatū. Materia hominis ſunt lutum, pulvis, elementa: quæ quoq; ſunt materia Calidi innati. Forma dat λόγον ἐσίας toti, nō tamen facit, ut materię eſſentia fiat alia vel mutetur. Materia Calidi innati & corporis humani nō manet elementaris, licet forma informans vel ſpiritualis vel nobiliſſima ſit. Et quod forma nobiliſſima etjam informet materiam elementarem exemplo animæ humanæ & formæ cæli, ſuperius ſatis demonſtratum eſt.

Quod vero de forma calidi affert, in quæſtione eſt, an peculiarem Calidum innatum, ut eſt pars materialis & eſſentialis, fatente D. Sennerto, corporis humani habeat formam præter animam, cujus immediatum & proximum & appropriatum ſubjectum & materiam eſſe voluit idem D. Sennertus. Si talem haberet præter animam in homine, eam uti quidem elementaribus formis digniorem eſſe non negamus,

ita

ita tamen ex potentia materiæ elementaris ortam fuiſſe, ſacrarum literarum decretis & antiquæ Philoſophiæ rationibus firmiter demonſtravimus.

Epilogus diſputationis de Calido innato.

CCCVII. Coronidis loco neceſſum eſt, ut ſententiam D. Sennerti de Calido innato ex lib. 1. & 5. inſtitut. paucis retexamus & quomodo ſibi conſtat, quamque ſit varius deſpiciamus.

Calidi innati naturam originemque ſtatuit ſuperelementarem eſſe, quia edat & perficiat actiones elementorum naturis & formis ſuperiores: Proinde eſſentiam Calidi innati non eſſe vel conſtare ex elementis, ſed nobiliorem ſtatuit & creatis conſtitutiſque elementis cum ipſis rerum ſeminibus fuiſſe inditam à creatore, ſingulisque viventium ſpeciebus inſitam. At ſi concedatur Calidum innatum eſſe corpus elementare, omnino ſtatuendum fore id habere peculiarem formam, à qua ejus præſtantia & nobiliores actiones edantur.

CCCVIII. Quid vero de hac forma ſentiat ut cognoſcamus, relegat nos à lib. 1. inſtitut. c. 5. ad lib. 5. p. 1. c. 2. deque ejus origine ibidem dubiè & ambiguè docet. Vel enim hanc ait, cum ſpecificis animatorum formis, cum quibus creatæ ſunt, propagari; vel ab iiſdem eſſe progenitam, cum animæ ſibi domicilium ſuum architectantur & conſtituunt, ut ſint proximum ſubjectum & vice materiæ animabus, iiſque pereuntibus ſint formæ Calidi innati, quod pro immediato ſubjecto habeant & cum quo, cæ-

tero etiam corpore recedente maneant & quintas eſſentias conſtituant, unde actiones à totâ ſubſtantiâ fluant & occultæ oriantur qualitates, mirabilesque potentiæ, quæ animę rerum adſcribi nequeant, quod ſuperſint in demortuis plantarum corporibus ſeu eorum cadaveribus.

CCCIX. Revoca hæc ad limam, amice lector, idcircò Calidum innatum lib. 1. c. 5. dicebat eſſe originis & eſſentiæ ſuperelementaris, quia ederet actiones elementorum facultatem excedentes, atque ita eſſentiam corpoream Calidi innati ſtatuit eſſe elementis nobiliorem & altiorem. Verum in hac pedem figere non audens aliam proponit ſententiam, largiturque calidum innatum quo ad originem corporis ſui poſſe eſſe ex elementis, dummodò illud elementare calidi innati corpus ſit informatum formâ nobiliore, quæ nobiliores quam elementa actiones edere queat, quod ipſum exemplo cœli confirmat.

Vt hujus formæ cognitionem adipiſcamur, relegat nos ad inſtitut. lib. 5. p. 1. c. 2. ubi cum primò de origine & eſſentiâ ejus formæ ambiguè & dubitanter pronuntiaſſet, iterum de ejus ſubjecto aliam invehit opinionem & corpus elementare non eſſe proprium ſubjectum, in quo producat facultates, totius ſubſtantiæ auctores & occultas rerum qualitates, ſed ſpiritum calidumque inſitum & humidum radicale ſuperelementaris naturæ ſeu balſamum naturale, cui adeò arctè adhærent, ut cum illo à reliquo corpore craſſiore ſeparari queat. Hanc autem materiam calidi innati ſeu balſamum ab elementorum concretione velut impuris ſui corporis partibus & quiſquiliis liberatam, cum formâ ſuâ propriâ arctiſſimè

mè cohærentem, conſtituere quintam illam Chymicorum eſſentiam putredini haud obnoxiam & ferè incorruptibilem; idque majori jure, ſi humidum illud ſpiritusque non ſit elementaris naturæ.

CCCX. Tres hic vides, amice lector, D. Sennerti opiniones de Calido innato. Prima eſt calidum innatum eſſe ſuperelementaris originis; quia rebus elementaribus creatis inditum ſeu à creatore concreatum: Vel eſſe elementaris naturæ, quo ad corporeitatem & originem materialem, ſed ratione formæ nobilioris, inſtar cœli, nobilioris dici & eſſe originis, quod forma nobilior elementari materia juncta conſtituere poſſit nobiliorem rei ſubſtantiam. Verum lib. 5. p. 1. c. 2. in hâc non acquieſcit, ſed calidum innatum tàm quo ad formam, quæ genita eſt ab animâ, cujus proprium proximumque ſubjectum ſit ſpiritus inſitus & humidum radicale, quam quo ad materiam hanc, cum quâ cætero corpore elementari pereunte manet, eſſe ſuperelementaris conditionis aſſerit.

CCCXI. In primâ opinione D. Sennerti calidum innatum eſt originis purè ſuperelementaris neque ex elementis compoſitum, quo ad totam ſubſtantiam ſuam, ejuſque vires ſuperelementares ſunt, quia non eſt ex elementis orta ejus eſſentia corporea. In ſecundâ quoad corpus ſtatuit id poſſe elementare ſeu ex elementis eſſe compoſitum, dummodò forma nobiliore ſit prædìtum, adeoque materiam & corpus ſtatuit eſſe elementare, formam verò elementis nobiliorem: & hic actiones facultatesque à formâ oriri ſtatuit, non à materiâ vel corpore, quia ſuperelementaris conditionis non ſit. In tertiâ verò & for-

mam & materiam Calidi innati ſuperelementaris originis & conditionis eſſe docet,& tùm conſtituere quintam rei eſſentiam cum ab elementorum concretione & quiſquiliis liberatur, per quas intelligit lib.1.inſtitut.c.5. corpus miſtum (ſcilicet elementare) & inutile lib.5.p.1.c.2.& terreſtrem aqueamque materiam.

CCCXII. Sed hic iterum poteſt D. Sennertus videri ambiguus. Nam etſi dixerit, formam in Calido innato propriè & proximè ineſſe, adeòque arctè inhærere, ut à concretione elementorum cum iſto liberari poſſit & liberata quintam eſſentiam conſtituere, tamen ait ſub finem iſtius diſſertationis, meliore jure vocari quintam eſſentiam,ſi ſpiritus inſitus humidumque radicale alterius quàm elementaris naturæ eſſe ſtatuatur. An itaque non ſtatuit eſſe elementaris naturæ Calidũ innatum? Dicendũ proindè quod ſtatuat vel non ſtatuat eſſe ſuperelementaris naturæ.Si ſtatuat materiam calidi innati eſſe elementaris naturæ, tùm certè quintam eſſentiam conſtituere nequit, quia nulla forma excedens elementarem conditionem, qualis eſt illis Calidi innati,informans materiam elementarem cum informatâ materiâ elementari conſtituit quintam eſſentiam. Quippe quod hac ratione omnis res conſtans formâ ex elementis non ortâ & materiâ elementari foret quinta eſſentia.

CCCXIII. Et licet forma hæc, illorum opinione non ſit ex elementaris materiæ potentiâ orta & ſuperelementaris conditionis eſſe perhibeatur, tamen ſubjectam quam informat materiam, in aliam eſſentiam convertere nequit, neque facere

ut

ut terra & aqua, cæteræque quas informet miſti partes elementares vertantur in quinteſſentialem & ſuperelementaris naturæ conditionem, uti ſupra probatum eſt. Si itaque Calidum innatum cum ſuâ formâ conſtituat quintam rerum animatarum eſſentiam, neceſſum eſt ut tam juxtà materiam quàm formam ſit ſuperelementaris naturæ.

CCCXIV. Verum hæc opinio repugnat iſti ſententiæ, quâ D. Sennertus aſſerit calidi innati materiam poſſe eſſe elementarem, dummodo nobili & ſuperelementaris naturæ formâ ſit prædita, à quâ nobiles iſtæ edantur actiones. Deinde adverſatur iſti opinioni, quâ adſtruit Calidi nativi eſſentiam abſque formâ conſtituere illud quod Calidum innatum vocamus, quodque non ſit elementaris naturæ, neque ex elementis compoſitum, ſed & elementatis rerumque ſpeciebus aut ſeminibus concreatum aut inditum & ideo actiones elementorum conditionem excedentes edat, quia ſit ſuperelementaris originis.

CCCXV. Vides itaque lector candide, quam ſibi contraria & inter ſe diſſentientia de unius rei naturâ & eſſentiâ ſcribat & affirmet D. Sennertus. Aut itaq; has omnes, aut unam duasve pro veris habet. Verùm veritas & una & ſimplex eſt, & contraria de unâ rei eſſentiâ ſimul ſemelque vera eſſe nequeunt. Vnam itaque ex iis veram aut omnes falſas eſſe oportet; ſed illam, quæ ex his vera ſit, non indigetat, neque affirmare audet. Quocircà cum ſemel à recepta & invictæ antiquitatis veritate receſſerit, Pirrhonium agit, & ingenia diſcentium & lectorem confundit &

ſuſpendit, de veritate rei neminem inſtruit, & bonas artes diſciplinasque turbat, evertit & corrumpere molitur.

CCCXVI. Vnde in theſibus de Calido innato ipſi à me fuit hoc argumento obviam itum. Si Calidum innatum ratione originis & eſſentiæ ſuperelementaris actiones elementorum conditionem ſuperantes edat & ex hoc aſſecutum ſit ſuæ ſubſtantiæ & naturæ conditionem, non habet opus formâ, à quâ & per quam conſequatur ſuæ eſſentiæ perfectionem & operandi facultatem; & ſi per formam materia elementaris poteſt ſic inſtrui & conſtitui, ut ſubſtantia talis oriatur, quæ nobiles iſtas, & elementorum facultatibus ſuperiores actiones edere poteſt, non opus eſt ſtatuere & vocare ad conſtitutionem Calidi innati aliam quam elementarem materiam.

CCCXVII. Ad hoc argumentum cum Ganymedes reſpondere nequeat, reſpondiſſe tamen videri velit, pro ſuâ veteratoriâ & impoſtoriâ obſtrigillandi libidine effudit in tractat. de calid. innat. fol. 30. & 38. me diſputare, an Calidum innatum habeat formam peculiarem; adeoque ſtatum & ſententiam quæſtionis invertit ut lectori fucum faciat. Non enim quærebam, an habeat formam, ſed conceſſo hoc uti D. Sennertus docet, quod habeat formam, unde nobiles iſtę proveniant operationes, concluſi, non opus eſſe, ut calidi innati corpus ſeu materia ſit ſuperelementaris, unde vires ſupra elementorum conditionem oriantur, & contra; ſi materia ſit talis ſuperelementaris conditionis (dicente D. Sennerto) non opus eſſe formâ, unde hæ vires & operationes proveniant.

CCCXVIII. Verum ille pergit cavillari & argumento

mento ſupra refutato, probare nititur, Calidi innati materiam eſſe ſuperelementaris naturæ, quia forma ſit ſuperelementaris naturæ, cum infringere deberet meum argumentum ex D. Sennerto depromptum, quo demonſtro, quod Calidum innatum non opus habeat corpore ſuperelementaris naturæ, ſi formam habeat talem, quæ actiones elementorum conditionem excedentes & à Calido innato proficiſcentes edere poſſit. Si enim forma meteriam elementarem inſtruere ſic poſſit, ut à toto, ſic informato, ſequantur actiones elementis ſuperiores, non opus eſt ſuperelementarem materiam ad conſtitutionem calidi evocare; atqui hoc docet D. Sennertus lib. 1. inſtitut. c. 5. Si vero velit corpus ſeu materiam ideo requirere nobiliorem & non ex elementis ortam materiam, quia forma non ſit ex elementorum potentiâ, tùm oporteret & animam rationalem non informare elementare corpus; & cæteræ ſpecificæ formæ omnes, quas illi ex materiæ potentiâ haud oriri aſſerunt, non informarent mixta & elementaria corpora. Ad alias argumenti partes ſupra reſponſum eſt. Vbi conſidera lector, quod nihil, adverſarii, novæ ſectæ conditores, nihil, inquam habeant, quo ſtabiliant ſuas abſurditates & venerandæ antiquitatis veritatem oppugnent, præterquam fraudes.

CCCXIX. Quod & pariter ex eo liquet, quod in tractat. ſuo de Calid. innat. fol. 41. Ganymedes cum ſententiam D. Sennerti de forma calidi innati defendere nequeat, impudenter negare non veretur de calidi formâ & calido innato lib. 5. inſtitut. p. 1. c. 2. non agi, quia de Chymicorum quintis eſſentiis ibi tractatur, cum tamen de utroque ibi agatur, & quia ſtatuit calidum

calidum innatum, plantarum, & animalium, idoneum præbere ſubjectum formæ occultarum qualitatum auctori, cum quâ ſeparari arte poſſit à reliqua inutili elementari materia, idem illud calidum tali formâ præditum, nominat balſamum & quintam eſſentiam, adeò ut cum hoc pacto incidenter ibi agat Doctor Sennertus de quintis eſſentiis, quæ unum idemque ſunt cum Calido innato, non ſit dicendum eum ibi non egiſſe de Calido innato. Quin imò ipſe Doctor Sennertus de formâ Calidi innati ſe ibi agere abundè teſtatur, cum lib. 1. inſtitut. cap. 5. lectorem eò relegat, ubi de Calidi innati origine & naturâ ſe acturum promittit.

CCCXX. Et licet Chymici barbarè & ruditer extracta & ſpiritus animatorum etiam nominent Calidum innatum & ſpiritus inſitos, tamen D. Sennertus ibi diſertè agit de Calido innato plantarum & animalium, quæ animam pro formâ habuerunt, quorum anima genuit illam, quæ eſt in Calido innato formam, & quæ manet in cadavere morientis plantæ & animalis & immediatè informat Calidum innatum ſuperſtes, & eſt auctor occultarum qualitatum, adeoque arctè inhæret Calido ſuo innato, ut & reliquo inutili elementari corpore ſeparato, cum ipſo conſtituat D. Sennerto quintam eſſentiam vegetabilium. Non igitur negandum D. Sennertum ibidem præciſe non agere de Calido innato, quia agit de quintis eſſentiis. Sed quia de quintis eſſentiis earumque origine ut ex Calido nativo merè conſtent diſſerat, de Calido innato maximè tractare, & ipſa litera & textus docet, quod ut luce

meridiana

meridiana clarius eſt, ita impudentiam arguit Ganymedis, qui cum non habeat quod reſpondeat pro defenſione Calidi innati, ut à ſuo domino deſcriptum eſt, de hoc ibi præcisè non agi cavillatur & mentitur.

CCCXXI. Ad cæteras Ganymedis ſordes reſpondere, eſſet bonis horis inutiliter abuti, imò præter viri boni exiſtimationem ſit, cum truncato ſcurra impudenter quicquid in buccam venit contra ſolida & immobilia ſinceræ antiquitatis & veritatis fundamenta effutiente, manus deinceps & amplius conſerere & ſeſe volutare; Et cum certiſſimum ſit, non ſaltem conſcio & approbante, ſed & ſuggerente D. Sennerto hæc adverſus veteris & ſolidæ Philoſophiæ immobilia principia, quæ Ganymedes ejus effutit, effuſa eſſe, omninò æquum foret ut ipſe Ganymedi ſuo mendaciorum & calumniarum & hæreſium, quæ pro ſui Præceptoris doctrina defendenda adducit & ex eadem hauſit, convicto manus porrigat, & lucem non amplius fugiat, nec ſua paradoxa, per alios inutiles fucos & magiſtellos depoſito omni pudore pro ſuo Væjove debacchantes propugnare annitatur, ſed ipſemet uti candidum virum & pietatis ſinceritatisque amantem decet, in arenam prodeat.

CCCXXII. Verum quandoquidem ſatis probatum ſit Calidum innatum quod formam ſi quam haberet eſſe elementaris conditionis, quippè quod nulla forma ſublunarium rerum excepta anima humana, aliunde, quam ex materiæ potentia orta ſit, uti

uti divinis humanisque literis demonſtratum eſt: & quo ad materiam eſſe elementaris per omnia naturæ, cum ex elementaribus principiis & elementatis ſit ortum, & elementis elementatisque nutriatur, alatur, conſervetur, eorumque nutricatu & fotu deſtitutum mox intereat, ſolvatur & pereat. hac vice claudemus & impudenti Ganymedi Sennertiano veritatis & honeſtatis ſcuticam mittimus: D. Sennerto verò ambitiosè novam ſectam condere molienti, veterumque veritatem, ut illam ſtabiliat, prorſus convellere annitenti meliorem mentem & ſolidum pietatis ac integritatis amorem à filio Dei animitus precamur.

CORO-

CORONIDIS

Loco Meletemata περὶ τοῦ θερμοῦ ἐμφύτου Clariſſimi viri Joannis Gymnoſij M.D. Baſileæ publicè propoſita, ſubjicienda putavi.

1.

Quoniam vita præcipuè calore, ceu proprio fomite continetur, morsque caloris hujus extinctu provenit (teſte illo ſummo naturæ genio Ariſtotele) merito hacce de Calido innato tractatio nobis venit conſideranda.

2. *Ad hujus autem cognitionem facilius adipiſcendam. Primo, Quid ſit in nobis ingenitus ille calor. Secundo, Quæ ſedes atque ſubjectum illius. Tertio, num elementaris. num vero cæleſtis. Quarto, an ſit illi quicquam contrarium. Quinto, quomodo mutetur ratione ætatum, temporum anni, & regionum inquiremus.*

3. *Quæ cum æqua lance ponderaverimus, cum calor innatus ad functiones obeundas miniſterium ſpirituum requirat, ad ipſorum doctrinam nos accingemus.*

4. *Calidum innatum eſt corporea ſubſtantia, humida, vaporoſa, calore temperatiſſimo imbuta, in ſanguine & ſemine primo; ſecundario autem in omnibus partibus, quæ inde generantur, & nutriuntur conſiſtens; Quæ unà cum ſpiritibus concurrit ad functiones præſertim naturales obeundas. Quæ quidem definitio ex Gal. lib. de uſu reſpirationis eſt deſumpta.*

5. *Doctiſſimus Fernelius lib. 4. Pathol. Calidum innatum*

tum dicit eſſe humidum primigenium, inſito ſpiritu, & calore undique perfuſum, cui ſpiritus, & calor ab ortu inditus ſit, & in quo ſalvus vigeat, & conſervetur.

6. *Quam definitionem ſi quis rectè examinarit, cum ea quam nos produximus convenire animadvertet.*

7. *Hoc calidum variè à variis nominatur: modò enim* ἔμφυτον, *modò* σύμφυτον; *modò* ἔκγονον θερμὸν, *aliquando* ἀρχήγονον *Gal. cum Hippocrate appellat: Barbari complantatum, complexionatéque vocant. Nos de nominibus litigandum non eſſe cum Gal. cenſemus; quia, ut idem teſtatur, quæ potius ad curioſitatem, quàm commoditatem faciunt citò ſunt deſerenda.*

8. *Sed quia calor ſeorſim, & abſtractè ſumptus qualitas quædam eſt, atque accidens quod per ſe ſubſiſtere nequit, ſubſtantiam requirit, cui indiſſolubili nexu, ac vinculo inſideat: nimirum humidum* τὴν σύμφυτον ὕλην.

9. *Verùm, cum quamplurima ſint humidorum genera, nobis paulo penitius eſt diſquirendum, quodnam humidum ſit ipſius ſedes.*

10. *Tria humidorum genera à Medicis ſolent recenſeri, humidum aqueum, humidum aëreum, humidum oleaginoſum ſeu pingue.*

11. *Baſis iſtius calidi non poteſt eſſe humidum ſimpliciter aëreum, multò minus aqueum, quia naturâ ſuâ fluxile, infirmum, ac minimè tenax exiſtit; oleagineum itaque humidum fundamentum, ac ſubjectum illius meritò pronunciamus.*

12. *Per oleaginoſum autem humidum intelligas oportet ſanguinem atque ſemen, aut certè utriusque portionem maximè benignam.*

13. *Non enim in hac re divino Platoni adſtipulare poſſumus, qui igneum illud dixit: Si enim igneum eſſet, non*

non ortum haberet ex ſemine, quod humidum eſſe ſenſus judicio conſtat.

14. *At quia humidum, quod à ſemine genitali partium ſimilarium ſtaminibus eſt inſitum, debet eſſe ad extremum uſque finem pabulum inſiti caloris, illud adventitio irrigari atque augeri putamus.*

15. *Quia ſecundum placita Philoſophorum forma definitam ſibi præſcribit materiam; Calor etiam iſte tanquam forma proportionatam materiam requirit: nempe humidum primigenium.*

16. *Nec oportet tantummodo ut humidum primigenium reficiatur ab humido influente; ſed & calor ipſe adventitio reſtauretur neceſſe eſt.*

17. *Non enim in ſolo humido, ſed calore etiam, adeoque in utriuſque optima menſura & ſymmetria, vita conſiſtere ab Ariſtot. lib. de longitudine & brevitate vitæ dicitur.*

18. *Partium autem corporis noſtri quæ inſito hoc calore vivunt cùm aliæ ſint principes; aliæ quæ à principibus gubernantur, & ſub iiſdem continentur: idcirco non æquali portione hujus inſiti caloris omnes ſunt exornatæ; ſed quæ principes ſunt majori copia aut caloris, aut ſpiritus, aut utriuſque opus habuere.*

19. *Præſertim verò ipſum cor; quoniam* θερμοτάτη ἡ καρδία τῶν μέρων, *appellatur ab Ariſtot. 2. de ſenſu & ſenſibilibus.*

20. *Id enim fons eſt caloris, & ſpiritus vitalis, teſte Gal. ex quo per arterias unà cum ſanguine calor vitalis in omnes partes influit, eumque calorem qui carni proprius eſt fovet, & quaſi vividum reddit.*

21. *Hactenus de nativi caloris definitione, ipſiusque ſubjecto ſufficienter dictum putamus. Quapropter ad illam*

quaſtionem longè nobiliſſimam, utrum hic calor ſit elementaris, an cœleſtis, properandum.

22. *Maximè controverſum olim fuit; atque nunc hodiè controvertitur; an calor iſte ſit elementaris, an verò cœleſtis, Gal. quidem & plerique Philoſophorum Elementarem pronunciarunt: quia in prima rerum elementa omnium cauſas retulerunt.*

23. *Interpres verò naturæ Ariſtoteles quando* θεῖον *vocat, cœleſtem vim illi & efficaciam tribuit. alioqui in illo apertè ſuam explicat hacce de re ſententiam,* οὔτε πῦρ *(inquit)* οὔτ' ἀπὸ πυρὸς ἔχει τὴν ἀρχήν.

24. *Multi neoterici tanquam ducem optimũ, ac Medicinæ parentem Galenum ſequuntur; nec deſunt qui Ariſtoteli ſuffragentur; inter quos primas ſibi vendicat doctiſſimus & nunquam ſatis laudatus Fernelius: qui lib. 4. Phyſiolog. cap. 1. calorem quendam in nobis cunctiſque viventibus ineſſe, eumque divinum affirmat.*

25. *Hancce autem ſuam ſententiam ipſum à ſummo Medicinæ dictatore Hipp. veriſimile eſt deſumpſiſſe; qui lib. de vet. Medicina dicit Calidum innatum neque craſſeſcere, neque putreſcere poſſe: & lib. de carnibus, Calidum id quod vocamus (inquit) videtur mihi immortale.*

26. *Hos graviſſimos autores conciliari aliquo modo poſſe ſperamus, ſi inſiti caloris materiam ab elementis quidem dixerimus eſſe deſumptam, ſed vi cœleſtium corporum ita contemperatam; ut vim quandam ſingularem, & propè cœleſtem obtineat.*

27. *Itaque audemus affirmare* ἔμφυτον *huncce calorem ad* τῶν ἄστρων στοιχεῖα *potius; quam ad igneum elementum analogiam habere.*

28. *Dicimus elementarem; quia conſtamus ex quatuor elementis; cœleſtem dicimus, propter effectus admirabiles.*

29. *Philo-*

29. *Philoſophus hoc ipſum confirmare videtur, quando dicit à ſole & homine hominem generari; contemperatur enim elementaris ille calor æthereo ſolis & aſtrorum calore, qui vivificus & mitis eſt; unde non immerito à divino Platone Sol boni filius dictus eſt.*

30. *Nihilominus tamen elementarem eſſe propriæ ſubſtantiæ reſpectu: facilè hinc apparet; quod ex cauſis elementaribus ſcil. calore, frigore, humore, & ſiccitate vehementi oppugnatur, extinguitur, & corrumpitur.*

31. *Contraria verò omnia ejuſdem generis eſſe oportet, ut Ariſt. lib. 1. de generatione & interitu rectè decet.*

32. *Et ſi maximè Ariſtotelis authoritatem opponas qui hujus caloris extinctionem eſſe mortem dixit: non ſequitur tamen* ἔμφυτον *huncce calorem non habere contrarium; quæcunque enim eum corrumpunt, ea omnia contrarietatis cujuſdam ratione ei adverſantur.*

33. *Item Ariſt. lib. de vita & morte quando aſſerit vitam conſervari caloris hujus cuſtodia, & corrumpi ejuſdem corruptione, eoſdem eſſe modos corrumpendi hujus caloris; qui ſunt modi corrumpendi ignis concedit.*

34. *Hos ille modos reducit ad* σβέσιν, καὶ μάρανσιν: καλοῦμεν *(inquit)* δὲ τὴν ἀφ' ἑαυτοῦ φθορὰν μάρανσιν, τὴν δὲ ὑπὸ τῶν ἐναντίων σβέσιν.

35. *Si igitur quemadmodum ignis, defectu alimenti per* μάρανσιν *abſumitur: ita etiam defectu nutrimenti animal moriatur.*

36. *Si quemadmodum ignis à frigida aqua per* σβέσιν *mox extinguitur; ita à nimio gelu mox animal intereat.*

37. *Si quemadmodum flamma candelæ à vehementi igne ſuffocatur: ita vita animalium nimio ignis æſtu pereat.*

38. *Si quemadmodum flamma ventilatione moderata conſer-*

conſervatur, & vegeta redditur; è contra ſumo, aut favilla opprimitur: ita etiam calor nativus libera reſpiratione conſervetur, & reſpiratione ſublata ſupprimatur: quis tandem veritati obſtrepet? & negabit nativo calori aliquid eſſe contrarium?

39. *Verum quærere lubet: num calor innatus in humidum primigenium primò, & per ſe agat, ut diſſolvat: contrariam partem affirmamus, & per accidens, neque ut diſſolvat, dicimus.*

40. *Itaque quando Hipp. dicit, calor nos occidit qui corpora produxit; dextrè accipiendum; & ſcundariò, ſive κατὰ συμϐεϐηκὼς intelligendum. Galen. lib. 1. de ſanitate tuenda.*

41. *Rectè ad hanc rem Fernelius lib. 4. Phyſiol. gaudet quidem (inquit) & jucundè fruitur, humidi commercio; cujus etiamſi interitum non expetit, ipſum tamen neceſſario adfert: ſublato autem humido neceſſe eſt calorem tolli.*

42. *Unde hic calor dum conſervari & perfici naturaliter deſiderat, ſemetipſum is conficit, & interimit; & quem ſui occaſum & obitum non intendit, eum tamen conficit. Idem.*

43. *Alia quin etiam ratione, calor, humidum primigenium per accidens deſtruit; dum illius fluorem excitando, injuriis externis illud exponit.*

44. *Iam conſideremus an Calidum innatum per ætates mutetur. Ætatum gradibus mutari ipſa experientia demonſtrationum quodammodo magiſtra docet.*

45. *Atqui ut hanc rationem pro omnibus afferamus: niſi Calidum innatum per ætates mutaretur, animal in æternum vita frui poſſet.*

46. *Quapropter pueritiam judicamus calidam, & humidam: quia illa ætas principia noſtræ generationis proximè*

mè inſequitur. Hinc fit, ut corpus promptè augeatur, ac creſcat, humidum tunc enim extenditur.

47. *Hoc verum eſſe oraculo Hippocratico confirmatur lib.* 1. *aphor.* 14. *Ubi Hippocrates aſſerit: calorem innatum pueris plurimum ineſſe, & iis qui creſcunt.*

48. *Exiguam autem Calidi innati mutationem fieri in illa ætate quam adoleſcentiam vocant; obſervamus. Itaque ad illam quæ hanc ſequitur feſtinemus.*

49. *Illa conſtans, firma, & conſiſtens dicitur quam exiſtimamus calidam & ſiccam; & ita calidam, ut acrimoniâ ſuperet primam: Nihilominus ab ipſa eadem ſuperetur Calido halituoſo, & benigno.*

50. *A conſiſtente ætate, in reliquum temporis quo vitam vivimus, pedetentim ac ſenſim Calidum innatum atteritur & imminuitur; uſque eo dum extrema ſenectute deficiens contabeſcat.*

51. *Nec ſolum propter mutationem ætatum fit Calidi innati mutatio; ſed & propter temporum anni, regionumque varietatem.*

52. *Hyeme enim & vere plurimum ineſt Calidi innati, ut Hippocrates affirmat.*

53. *Hyeme quinetiam plus Calidi innati ineſt quàm vere; non quoad quantitatem ſed quoad qualitatem; & hoc fit propter antiperiſtaſin frigoris.*

54. *Hoc confirmatur à Gal. lib.* 1. *aph. com.* 15. *qui inquit, calor nativus ob id hyeme augetur, quod refugiat propter circumſtantem extrinſecus frigiditatem.*

55. *Æſtate verò & autumno imbecillior eſt calor inſitus: Plus tamen ineſt autumni, quam æſtatis tempore, quia ut loquitur Gal. loco ante citato calor nativus ad ſibi affinem protenditur: atque ita contingit diſſolvi & diſſipari ejus ſubſtantiam.*

Qqq 3 56. *Nec*

56. *Nec non regiones Calidum noſtrum immutant: qui enim terræ tractus calidiſſimos, ut Æthiopiam, incolunt: acri & mordaci calori innatò præditi ſunt; & proin brevioris vitæ. Ariſt. 4. de generatione animalium.*

57. *Qui vero temperatas inhabitant regiones, Calido innato ſunt temperatiſſimo; Neſtoreoſque annos ut plurimum vivunt, ut videre eſt, in ea India parte quam Onoz vocant: indigenas tam longævos, & integrâ valetudine eſſe; ut quamplurimi ad vigeſimum ſupra centeſimum annum perveniant: quod recentibus Luſitanorum navigationibus fuit exploratum.*

58. *Hactenus de Calido innato: Nunc de ſpiritibus merito agendum: hi enim ita Calido innato inhærent, ut cogitatione potius, quam re ipſa ſeparari queant. De illis autem ſolis tractamus, qui ſunt quoddam corporis, & animæ vinculum.*

59. *Dicuntur ſpiritus, quia ſua tenuitate & ſubtilitate qua ipſius viſus aciem effugiunt, ſpirituum naturam repræſentare videntur.*

60. *Spiritus itaque, prout hic à nobis conſideratur, eſt aërea & tenuiſſima quædam ſubſtantia, quæ unà cum calore, eſt primum animæ inſtrumentum ad functiones obeundas.*

61. *Hic quemadmodum nec Calidum innatum non eſt ſua natura cœleſtis, ſed ex elementorum miſcella genitus: elaboratiſſimus tamen & (ut Arabum princeps Avicenna loquitur) ad cœleſtium corporum naturam vergens; quia ab illis, uti & Calidum innatum, contemperatur.*

62. *Illorum naturam ſagaciſſimus Ariſt. 2. de gen. animal. his verbis expreſſit: ineſt (inquit) in ſemine omniū quod facit, ut fœcunda ſint ſemina; Videlicet quod calor vocatur idque non ignis, non talis facultas aliqua eſt, ſed*

ſpiritus

ſpiritus qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur, & natura quæ in eo ſpiritu eſt, proportione, reſpondens elemento ſtellarum.

63. *Hic à principiis generationis ſingulis membris ſolidis innaſcitur, ideoque inſitus appellatur.*

64. *Hujus tot videntur differentiæ, quot temperamenta partium.*

65. *Cum autem corpus noſtrum ſit in perpetuo fluore, adeoque ſpiritus inſiti diſſipentur; natura provida ad hos reſtaurandos influentes dedit, nimirum naturalem, vitalem, & animalem.*

66. *De naturali anceps & dubitabundus loquutus eſt Gal. his verbis: Quod ſi naturalis (inquit) ſpiritus quoq; aliquis eſt: utique is quoque in jecinore & venis continebitur: quod Galeni de ſpiritu naturali dubium, dubitandi cauſam multis recentioribus præbuit.*

67. *Verùm enimvero; ſi nulla animæ actio abſque ſpirituum ope ritè poteſt obiri; cur facultati naturali naturalis denegabitur ſpiritus? ſi tres ſint virtutes, naturalis, vitalis, animalis; ſi tria membra principalia, hepar, cor, cerebrum: ſi tria organa his miniſtrantia, venæ, arteriæ, nervi: cur tot ſpiritus tanquam vehicula non ſtatuentur?*

68. *Sanguinis itaque generatio cum fiat in hepate: rectè dicemus unà cum ſanguine ſpiritum quoque naturalem per omnes partes diſtribui.*

69. *Intelligimus autem per iſtum ſpiritum, tenuem & puram ſubſtantiam, ex ſubtiliori ſanguinis portione in jecinore procreatam, atque inde per venas in corporis habitum diffuſam: ut rectius naturales actiones omnes perficiantur.*

70. *Delatus iſte ſpiritus cum ſanguine per venam cavam ad cor; accuratius ibi elaboratur, fitque vitalis ſpiritus.*

71. Qui nihil aliud eſt quam tenuiſſimus vapor Calidus, inſita virtute cordis, ex ſpiritu naturali genitus: ab ipſo corde in arterias promanans; ut vis vivifica toti corpori diſtribuatur.

72. Hic ſummè ad vitam neceſſarius exiſtit: ut enim periturum mundum dixit Plato, ſi momento ſol quieſcat. Ita etiam illico interibit homo, ſi vitalis ſpiritus opprimatur, aut diſſipetur.

73. Animalis verò ex vitali fit: cujus portio per cervicis arterias ad cerebri baſin permeat, perfectiusque inſita proprietate cerebri in retiformi plexu elaboratur.

74. Itaque eum definimus vaporem tenuiſſimum, ex vitalis portione ad cerebrum delata, genitum: ut cum eo ſenſus, motusque omnibus partibus corporis, quæ ſenſu & motu indigent per nervos diſtribuatur.

75. Animalis dicitur: non quod ſit ſubſtantia animæ, ſed quod inſtrumentum animæ in cerebro habitantis ſit proximum.

76. Claudatur tandem noſtra hæcce de Calido innato, & ſpiritibus diſputatio, per illam labyrinthis difficultatum, nodisque gordianis intricatam quæſtionem; ſintne nativus calor & ſpiritus idem; an diverſa: diverſa eſſe veritas fatur; neque idem eſſe theſes dicere permittunt: Exercitij tamen gratia diverſa non eſſe tueri quid vetat?

Præc

Præcedentibus non incommode annectuntur quæ in miſcellaneis ſuis Enneade ſecunda tradit Iacobus Cargilius Scotus M. D.

Inſitum calorem, cœlo deducere divinior quàm verior Philoſophia eſt:

Cujus authores ne ipſi quidem ſibi ipſis conſtant. Anabatarum more cæcis vulneribus ſe mutuo conficiunt illa verba: Calor viventium (Fern.4.Phyſ.1.) non ex prima elementorum miſtione: Calor viventium optimo jure (Fernel.2. de abd.cauſ.cap.7.) cæleſtis ac planè divinus. Et quin noſtræ (Fern.lib.4.Phyſ.cap.6.) originis contemplatio vitalem calorem unà cum humido primigenio, à ſemine derivari commonſtrat: Paulo poſt: Quantumcunq; idipſum eſt (humidum) quod in vitæ extremum reconditur, ſecum id ſpiritum & calorem ex ſemine advexit. Et mox: ex quo intelligi poteſt, ſolidam ſimilarium partium ſubſtantiã, & quicquid in ejus compoſitione ineſt, ſive craſſamentum, ſive humidum primigenium, ſive ſpiritus, ſive inſitus calor; id omne olim à ſemine natum proceſſiſſe, & tanquam illius quædam portio ſit incorrupta, ſeminis naturam plurimum redolere. Et, (Fern. lib.4. Phyſiol. c.2.) Eſt ſpiritus corpus æthereum, caloris facultatumque ſedes &c. cujus fovendi gratiâ inſpiratione aërem introducimus, quo non modò corpori refrigerationem (hæc enim poſſet ſatis aliundè comparari) ſed pabulum quoque ſubminiſtrat: Nam ſi ex parentum ſemine originem traxerunt ſpiritus & calor inſitus, haud aliam poſſunt, quàm elementarem agnoſcere: Cum enim in ſemine præter craſſamentum & ſpiri-

tum nihil reperiatur; illud ex ſanguine per venas ſpermaticas, hic ex vivifico illo per arterias ſpermaticas dimanet; fieri non poteſt, ut cujus cauſa cæleſtis non eſt, idipſum cæleſte exiſtat. Sanguis quippe ex ingeſtis & concoctis alimentis; alimenta ex elementis conflata. Spiritus partim ex eodem ſanguine, partim ex inſpirato aëre gignitur. Adde generationi conſentaneam nutritionem: cælum enim & cæleſtia pabulo non egent, nec alimenti inopia poſſunt interire, nec putredine peſſundari, nec à frigore elementari extingui. Quod ſi etiam ab igneo calore moderato generari & animari poſſunt animalia; quid de calore miſtione temperato & repreſſo dicemus, cujus miſtionis rationem tam mirificam ignoramus, effecta percipimus? Ægyptum hodiè fornacibus pullos excludere citra incubatum, docet Bellonius ſingularium lib. 2. cap. 31. Ut ergo à temperamento diverſus ſit ille inſitus calor; non ob id non fuerit elementaris; multò minùs cæleſtis; quanquam inexplicabilis nobis ejuſmodi miſtionis ratio. Diſparata ſunt, calor temperamenti, calor cæleſtis: neque illo ſublato, hic ponitur.

Contrà

Contra errores & Paradoxa Novæ Sectæ Sennerto-Paracelſicæ

DISPVTATIO DECIMA, DE MORBIS SUBSTANTIÆ,

Oppoſita Neoparacelſicorum vanis opinionibus & paradoxis.

QVAM SVB PRÆSIDIO

IOHANNIS FREITAGII M. D. & Profeſſoris

Defendit

IACOBVS MARTINI Dantiſcanus.

Illuſtres, Magnifici & Ampliſſimi Domini, Domini colendiſſimi.

NVlla unquam extitit ars, nulla ſcientiarum vel nobiliſſima, quæ non pariter cultores ac oſores ſuos habuerit, hos verò nonniſi ignorantes. Adjutum illi iverunt artium ſtudium; hi contemptum atque depreſſum, ut mirum non ſit, Medicinam illud Dei inventum, quandoque tamen male audiviſſe. Certè hominum ac ſeculi vitio id imputabitur: namque Græcia, prudentiæ quondam politicæ & ſapientiæ illuſtris ſedes, hanc

hanc coluit atque excoluit. Roma & Italia excepit; alij pauciores, quod ſi dicteriis laceſſere eandem non erubuerint, hoc ipſo rem & utilem & ſalutarem, vitam & ſalutem ſuam ſunt aſpernati. Tanta nimirùm dignitas ſcientiæ, tanta artis neceſſitas eſt, ut vivere ne quidem abſque eâ poſſint ij, qui licet ſecurè vivant, certamen etiam cum morte ineant hi, præſtantiſſimum quod eſt hominis ſervare qui allaborant. Æterna igitur fama Magnatum omni tempore, qui medendi hanc artem nobili pretio æſtimarunt: & veſtra ô Inclyti Domini *æterna, quorum præterquam quod authoritas inter florentiſſ. Borealis oræ Reſp. ſuperemineat, teſtata etiam eſt ac publicis laudibus effertur magnifica propenſio in literarum communiter & Medicinæ cultores. Superiori ſeculo cuidam Venetiis excurrere minimè moleſtum fuit, urbem veſtram ipſe ſalutavit & epiſtolico ſcripto laudes* Reipubl. *tum carabes ſucci præſtantiſſimi conſignavit. Quæ ſanè Illuſt.* Reipubl. *laus fuit, propriè adhuc veſtra eſt. Foverunt enim* Illuſtriſſimi, Magnifici & Ampliſſimi viri, *ſub patrocinio ſuo clariſſimos & fovent, favoris immò ſui in plurimos certiſſima ſemper dederunt indicia, hoc ipſo devincientes ſibi civium animum, affectum atque ſtudium eruditorum utrique* Illuſtriſſ. Magnif. & Amp. V. *venerantur ſalutis publicæ cuſtodes laudatiſſimos, Præſules Patriæ auguſtiſſimos. Hæ jam cauſæ ſunt, quò minus & exiguum aliquod obſervantiæ meæ pignus* Ampliſſ. Dignit. V. *exhibere inquilinus ego verear. Splendor ac dignitas veſtra deterrent: benignitas & clementia invitant. Ad aram itaque* Magnifi. Amplitud. veſt. *humiliter depono* diſquiſitionem *exercendi & tentandi ergò ſuſceptam conſilio Excellentiſſ. Dom.* D. IOHANNIS FREITAGII, *Præceptoris honorandi. Benigniore oculo, ut illam dicatam obla-*

oblatamque dignemini, quo poſſum addictiſſimo animi ſtudio oro, inſuper contendo, conatum animumque offerentis Magnific.Dignit.V. *devotum ſpectent* Illuſt.Magnific. & Ampl. V. *Cælites ſic, ut Pythagoras voluit, imitatæ. Fiet hâc ratione, ut ingenia & artes non à naturæ tantùm ſole alantur, ſed & veſtra* Procerum *benignitate ac velut cæleſti aurâ foveantur atque attollantur, omnia etiam* Magnific.Ampl. V. *accepta referant illi, quibus aura aliqua favoris veſtri obtigit. Feliciter jam præſidete* Reipub. *Patriæ* Præ-Consvles atq; Senatores *Eminentiſſimi, incolumes* Ampl. Magnific.V. *diutiſſimè præſtet ſupremus rerum Moderator, quò debitus honor* Illuſt. Ampl. veſt. *maneat,* Reipubl. *ſtatus florens firmuſque ſit, in quâ juſtitia ac clementia vigeant.*

Dab. Groningæ Cal. Junij.

Illuſtr. Magnif. & Ampl. V.

æternùm devotus

Jacobus Martini
Dantiſcanus.

THE-

THESIS I.

CORpus animatum perficitur partibus eſſentialibus & integralibus. Eſſentiales ſunt materia & forma: hæc uti illam determinat, & in certo entis genere rem collocat, ita etiam potiorem eſſentiæ rationem, quidditatem & proprietates largitur.

II. Non verò quælibet miſti forma, quamlibet informat materiam, ſed certam & præparatam, & peculiariter ad hujus vel illius receptionem determinatam.

III. Materia verò uti primo & per ſe conſiderata eſt omnis qualitatis expers, ita quas obtinet, eas ex conjunctione cum forma & propter illam poſſidet. *Proinde quodlibet miſtum ſuas qualitates habet per præparationem ad formæ receptionem aut eductionem, vel per ſupervenientis formæ definitionem.*

IV. Siquidem educitur vel inducitur eadem duntaxat in materiam depoſitam, eamque recipere idoneam & capacem, niſi velis ex quolibet fieri quidlibet, aut Pythagoream metempſychoſin reducere. Vnde Tolet. in lib. 3. Ariſt. de anima text. 20. quæſt. 17. inquit, *quod cauſa inducens ultimam diſpoſitionem, ſit cauſa introductionis formæ.*

V. *Ad rerum ſpecies conſtituendas, natura primum aſſumit univerſalia corpora, quæ talibus formis prædita ſint, ut nobilioribus ſe ſubmittentia generalem rebus cunctis præbeant materiam.*

VI. His corporibus inſunt qualitates primæ, ſummæ & univerſales, omnibus rebus ſublunaribus

com-

communes, quæ ſiquidem in iis permanere debebant, neceſſum fuit corpora ſeu elementa cum ſuis formis, à quibus immediatè dependebant, immanere pariter.

VII. Harum qualitatum vi perficitur (non excluſa formali, & etiam externa cauſa univerſali, rerum generationem & interitum in his inferioribus moderante) miſcibilium alteratorum unio, à qua miſti ex elementis ſeu rebus miſcibilibus generatio.

VIII. Ex hac miſtione ſequitur temperatura conveniens, ut forma rei educatur vel inducatur, & in eadem debitè conſervetur.

IX. *Harum qualitatum hæc eſt conditio ut ſint primæ, iiſque nullæ priores; ut inſint omnium ſublunarium corporibus mutationi obnoxiis, utque ex harum mutuâ actione, paſſione, determinatione, & in peculiari materia definitione (non excluſa ſuperioris cauſæ, ut ſupra diximus, directione) res qualibet generetur.*

X. Quicquid igitur res quælibet habet proprietatis, quod elementarium corporum & temperiei ex his reſultantis conditionem ſuperat, id neceſſariò provenit à quinto quodam corpore, aut quintâ quapiam eſſentiâ.

XI. Hæc eſt communis omnibus, vel rei cuilibet ſua & propria. Si communis omnibus ſit, neceſſum foret omnes peculiares proprietates ineſſe corpori cuicunque. Atqui id falſum eſt, quocirca omnino peropus eſt, ut proprium quodque propriam & peculiarem cujuſque ſequatur eſſentiam.

XII. Hanc largiuntur formæ, & cum primis ultimata & exiſtentialis, quæ & eſſentiã & definitionem & exiſtentiam, & propria exinde tribuit accidentia.

XIII. Quæ

XIII. Quæ uti rem in eſſe ultimato, & ſuo genere perfecto conſtituit, & qualitates proprias indidit, ita etiam proprias perficit operationes: unde nata philoſophis regula; *Uti ſe res habet in eſſe, ita etiam in operari.*

XIV. Falſum quocirca eſt, quintam præter formas dari in rebus eſſentiam, à qua earundẽ proprietates & actiones.

XV. Tempeſtivè hic quæritur, num in proprietatibus formam conſequentibus, an vero in illâ temperie, quæ tam ad eductionem formæ faciebat, quàm ad ejuſdem poſtea conſervationem in re neceſſaria eſt, conſiſtat ſanitas animalium & integritas rerum.

XVI. † Cum verò certum ſit formam rerum, ſeu ſeparabilem, qualis anima humana, ſeu inſeparabilem, uti cæterarum rerum, *nullam generare qualitatem in re, niſi ex ſubjecta materia potentia*, neceſſum eſt ex elementarium corporum materia omnibus communi, ejuſque potentiâ tam educi occultas qualitates, quàm ex formæ ignis cum materia prima conjunctione ſummus calor, ceu manifeſta prognaſcitur qualitas.

XVII. Etſi verò ſtatuatur formarum per multiplicationem propagatio (quæ tamen ut vidimus falſa eſt opinio) nihilominus neceſſum eſt, formam eas per quas operatur qualitates, vel invenire in corpore cui ineſt per prævjam & antecedentem diſpoſitionem ad formæ receptionem, vel ab eadem in ſubjecto elementato, quod informat, genitas eſſe vel dari quintum aliquid, quod ſit ſupra elementorum conditionem, & has qualitates ex ſe & ſua naturâ perque propriam

† *De Origine qualitatum omnium tam manifeſtarum quam occultarum.*

propriam & peculiarem, non autem ei ſpecificam inducat formam.

XVIII. * At non dari præter formam quintam eſſentiam ſeparatim exſiſtentem patet ex hoc, quod ea neceſſariò foret principium eſſentiale omnibuſque commune, cujus proprietates & affectiones inſint communiter omnibus, quodque ſit unum ex primis, ex quo aliquid componitur, & in quod etiam ultimò reſolvatur, ſitque incorruptile juxta totum, & poſt rei, cujus principium conſtituebat corruptionem, ſeparabile, ita ut cum cæteris ſubſiſtat. Ex quibus enim quidlibet componitur, in ea demùm ſolutâ ſyncriſi & compoſitione reſolvitur. Quæ orbem ſublunarem conſtituunt, ex iis tanquam principiis materialibus res omnes componuntur, generantur, & in ea demum reſolvuntur tanquam principia prima & cũ mundo duratura. Nulla res reſolvitur in quintam quandam eſſentiam, quæ & generalis mundi conſtitutiva ſit, atque exſiſtat ſeorſim, corpore quód conſtituebat ſoluto; non datur itaque aliquod corpus in mundo quod præter hæc quatuor ſit formale vel quinteſſentiale, in quod præter illa res compoſitæ & generatæ reſolvantur. Nam ſi tale quintum principium exiſtat, id erit vel in elementis, vel rebus elementatis, vel ſeorſim. Non hoc, neque in elementatis, quia in nullo ſeorſim, neque communiter in omnibus. Ergò compoſitis, uti volunt, eſt concreatum. Neceſſum eſt itaque demùm in id omne compoſitum, uti in cætera quatuor reſolvi, aut interire, ſed nihil interit: & neque per artificialem neque per naturalem, laxato craſeos vinculo, reſolutionem

* *Non dari quintam eſſentiam in rebus præter formam.*

aliquid reſultat,quod non ulteriori reſolutione & in quatuor elementa orbis inferioris conſtitutiva tranſeat, omnes iſtæ Chymicorum eſſentiæ, quas quintas vocant, & ſub nomine quintarum traducunt & obtrudunt, ad priora & ſimpliciora quatuor & harum ſubtiliora penè in ignem flammamque ultimò abeunt,qua nihil magis extremum & ad ſenſum ſubtilius & prius.

† Hîc notandum formas & occultas qualitates ex primorum materiæ variè miſtæ potentia oriri, vel aliunde utpote è cælo infuſas eſſe, aut per propagationem formarum Sennertianam (de qua porrò ulterius) natalem ducere. Sed nec à cælo infunduntur,nec propagatione ſui multiplicantur, quia neceſſum foret ultimatas,& exiſtentiam rebus largientes corrumpi in nihilum, vel alibi ſine corpore exiſtere, vel metempſychoſin Pithagoream reducere, vel ad Orcum Iliadumque Paracelſicum, (ut vult ex Paracelſo Severinus) eas proficiſci, unde quotannis reduces in mundi ſcænam, aſſumpto ex elementis corpore agant ſuam perſonam,eaque peracta eodem redeant. Verùm cum hæc abſurda ſint, quod nec alibi exiſtant,neque in nihilum eant, neceſſum eſt in potentiam materiæ redeant, & ex eâ oriantur vel producantur: quid ſi formæ (ſcilicet corruptibiles) vi ſuperiorum ex eâ educantur, cur non & occultæ qualitates & proprietates vi formarum ex eadem generentur? ſed de his poſteà latius.

XIX. Si porrò quinta daretur in rebus præter formã eſſentia, quæ propriarũ & peculiariũ atq; excellentium qualitatum conſtituat ſubjectum, à quo id

omne

† *Undè qualitates occultæ.*

omne quod elementarium corporum excedit conditionem, *tùm fruſtrà ſit forma ſpecifica & ultimata, aliudque erit quod operetur, & aliud quod eſſentiam perficiat, & res ſeſe non habebit in operari veluti in eſſe, & propria accidentia non erunt rei formalia, perque aliud inerunt, quod corporis eſſentiam primò non conſtituebat, & riſibilitas non erit ab anima,* nec hinnire ab equi, aut ferrum trahere à forma magnetis.

XX. An verò in iſtis occultis qualitatibus formalibus certis operationibus deſtinatis ſanitas & rei conſervatio ponenda? Nequaquam id aut rerum natura admittit aut ratio ulla rectè ſuadet.

XXI.† *Uti enim per qualitates primas, in quibus primarius opifex eſt calor, miſtio perficitur, taliſque diſpoſitio quæ formæ recipiendæ capax & idonea ſit inducitur, & forma niſi illa prævia, non inducitur, vel educitur, ita etiam non per aliam quàm per illam in re conſervatur, & conſequenter actiones ad ſui totiuſque ſubjecti conſervationem nullas edit, niſi per hanc, quæ ut ad receptionem ejus fuit præparatio, & ad conſervationem diſpoſitio, ita etiam proximum ad omnes actiones naturales vitæ aut integritati neceſſarias inſtrumentum eſt.*

XXII. Apertiùs & clariùs rem enucleabimus. Temperatura quæ formam præcedit, *& cujus ultima diſpoſitio eſt quaſi formæ emerſio,* etiam pro conſervanda eadem forma non ſaltem eſt commodus ſed & neceſſarius apparatus, ſine quâ, uti non inducitur vel educitur forma, ita nec conſervatur nec operatur.

XXIII. *Hac utitur pro ſuo inſtrumento proximo ſibiq; aptiſſimo in vitâ & valetudine conſervanda, in eaque vita & ſanitas fundatur.* Partium enim ſubſtantia conſiſtit

† *An detur ſanitas quædam in occultis qualitatibus.*

in Elementorum ſyncriſi & miſtionis integritate, miſtum conſervatur temperie, in quâ calor miſto proprius dominatur. Hic à calore animantium nativo ſpecie non differt, ſed tantùm diverſitate ſubjecti & operationum quas diverſas edit pro ratione cauſarum principalium à quibus dirigitur, directus à forma miſti id ipſum conſervat, ſequens formam elementi ignis urit, inflexus & adhibitus ab anima, generat, vivificat, coquit, ſanitatis moderationem legitimamque temperiem partibus conciliat & ſervat, in quâ vita & ſanitas potiſſimum fundatur. Occultæ verò qualitates uti non generant, ita neque conſervant corpus, nec ſanitatis eſſentiam conſtituunt: Etſi enim forma has qualitates occultas, ad peculiares & ſæpè mirandas actiones edendum in ſubjecto generavit, tamen per has nec vitæ actiones exercet nec ſubjectum conſervat. Nec enim venenum per hoc quod necat, nec Rhabarbarum per id quod trahat bilem, nec magnes quod ſeptentrionem reſpiciat, vel leo quod ad cantum galli exhorreſcat, ſui integritatē conſervant, aut miſtum vel vitam rei quâ vitalis eſt tuentur, quia id ab integritate temperiei, in qua dominetur calor nativus aut connatus dependeat. *Actiones itaque occultarum qualitatum, non ſpectant ad vitæ aut ſanitatis conſervationem.* Et hæ actiones intercipi poſſunt & ſuſpendi manente rei integritate, uti magnes ſucco allij illitus non trahit ferrum, alijque averſantes caſeum (uti teſtantur exempla) didicere illo veſci, ſalvo manente individuo. Actio vero vitalis & conſervatio miſti à caloris inceſſabili miniſterio dependens re ſalvâ nequaquam ſuſpendi poteſt. Quamdiu verò calor nativus firmus validuſque

eſt

eſt vita ſanitaſque perſtat incolumis. Quam diu calor qui rem generavit, eandem tuetur ſyncriſinque conſervat, ipſa perdurat & conſiſtit ſubſtantia, & ab eadem dependentes actiones. Salvo calore nativo, *qui eſt quaſi viventium entelechia*, rem eſſe ſalvam & vitalem, ſalvo calore ſymphyto mixtum eſſe integrum tàm verum quàm veriſſimum eſt. Vnde ipſe Sennertus lib. v. Inſtitut. vitam, omneſque vitales actiones in calore nativo reponit. Et lib. 8. phyſ. cap. 1. fol. 605. vitam in calido & humido conſiſtere aſſerit.

XXIV. Calorem verò nativum animantium, à miſtorum calore elementari non differre, paucis, licet alij diverſum perverſe ſentiant, probatū ibimus contra Galeno-maſtigas & venerandæ antiquitatis inutiles contemptores: uberiores verò probationes ad ipſam de calore diſceptationem reſervabimus.

XXV. Calorem nativum à calore elementari non differre, argumento ipſius Sennerti (quo contra me inſurgat, & ſuo ſe ipſius gladio jugulat) probatur, cum inquit, in Inſtit. lib. 2. part. 1. c. 4. fol. 151. Omnis actio fit inter contraria, quę ſub eodem genere comprehenduntur: calor nativus patitur frigore elementari tanquam ſpecificè contrario, ergò ejuſdem eſt cum iſto generis; ſed de hoc argumento ſuo proprio loco plura.

XXVI. Ille calor quando labefactatur aut intemperatus redditur, ſeu per exceſſum ſeu per defectum, ſanitas vacillat, ſi exſtinguitur perit vita, ut eo ſalvo quempiam ægrotare aut mori, & eodem labefactatò incolumem eſſe, vel extincto vivere poſſe, ſit abſurdum.

XXVII. Ex hoc concluditur, vitam, actioneſque vitales & animales, ex hujus naturâ, qua calor eſt, dependere, vel illi beneficio formæ, quatenus proximum hujus eſt inſtrumentum, conferri. * Non ex ſua natura, quia vita eſt actus animæ utentis calore pro inſtrumento proximo; quocircà indubitatò ſequitur, animam communicare talem vim calori, eumque ſic uſurpari poſſe, ut eas promat actiones quas ex ſe ſuaque natura edere nequibat. Vnde falſitas effati Sennertiani lib. 2. inſtitut. p. 1. c. 4. elucet, quo aſſerit qualitates vi formarum nunquam eo dirigi poſſe, ut ampliùs quàm pro viribus ſuis agant, eas nunquam amittere vires ſuas aut naturam propriam, eaſque ſolummodò exercere, nihil agere ſupra virtutem ſuæ ſpeciei etiamſi à potentiore formâ dirigatur. Et in tractatu de Galenicorum cũ Chym. conſ. & diſſenſ. cap. 8. fol. 176. inquit: calor dum eſt animæ vegetantis inſtrumentum ſolùm calefacit & ſolum calefaciendo coctioni inſervit. Quòd autem in ventriculo ex cibo fit chylus, non ſolum à calore proficiſcitur, ſed à facultate ventriculi coctrice ſeu vi chylificâ: hic calori nativo ſaltem vim calefaciendi aſſignat; vim coquendi, quatenus fit concoctio, cujus ſpecies eſt chylificatio, adimit. Miſer itaque Galenus calori univerſam coquendi vim, & falſus plane Ariſtot. 4. meteororum potiſſimum, adeoque vana Peripateticæ philoſophiæ doctrina, calori hæc omnia munia aſſignantiũ præ uno iſto dogmate Sennertiano. Calor itaq; etiã ab anima directus nihil poteſt præterquã calefacere, nihilq; ſupra ſuam virtutem poteſt efficere, etiamſi ab anima dirigatur, juxta eundem.

XXVIII. In

* *An calor nativus cum ab animâ dirigitur non perficiat actiones ſuprà virtutem ſuæ ſpeciei.*

XXVIII. In hâc opinione primò deſpiciemus, quomodo ſibi conſtet Clariſſ. Senertus, deinde quàm & an ea veriformis, cum ca. x. tract. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſenſ. fol. 248. inquit: *Concedimus quidem calorem multa operari, ut animæ inſtrumentum, quæ ſolus non efficeret, & propterea etiam diverſa efficere, in ventriculo chylum, in epate ſanguinem & aliud alibi: Et proinde tales actiones non ſoli calori, ſed animæ potius calore utenti, attribuendas.* Vtens itaque anima calore perficit ea inſtrumento caloris, quæ ſolus calor non poterat, adeoque non indiget aliis peculiaribus ad hoc qualitatibus; agimus gratias pro ingenua veritatis confeſſione. Falſum proinde dixit, quòd qualitas etiam à formis directa ſolummodò ſuas exerceat vires, quòd calor animalis non coquat ſed ſolùm calefaciat; Et ſi anima, vel forma nobiliores actiones (talis autem eſt vita & actiones vitales & naturales) edere volet, tùm requiri alias qualitates: per has autem intelligit occultas.

XXIX. Sed accedamus propiùs ad eundẽ autorem ubi propriè magis loquitur, lib. VIII. phyſic. cap. 2. inquit, Calidum innatum eſt præcipuum animæ inſtrumentum, quo omnes actiones obit & perficit. Calidum inſitum fovetur & excitatur ab influente per ſpiritus, qui cum Calido innato juncti proximum & præcipuum omnium actionum edendarum inſtrumentum ſunt; & faciunt, ut animæ facultates ad actum ſecundum accedere poſſint. Hi ſpiritus ſunt corpus tenuiſſimum, calidum & mobile, ex maximè ſyncerâ parte ſanguinis genitum. Et lib. 3. Phyſ. cap. 3. fol. 236. inquit idem, *ipſam miſti generationem, & præviam ad formam alterationem à calore per ſe & primariò*

proficiſci: Et paulò poſt: *totam miſtionis ſeu generationis miſti naturam, in debitâ humidi cum ſicco conjunctione, quæ à calore in certo gradu conſtituto, fit, conſiſtere, eandemque generationis & conſervationis miſti cauſam eſſe.* Hactenus ille. Quid clariùs de calore, prout vel ipſemet operatur, vel uſurpatur à forma ad actiones ſuæ virtutis ſpecie ſublimiores edendum dici poteſt? ubi conceptis verbis, quod antea negavit, affirmat & aſſerit.

XXX. Neque de nihilo eſt quod lib. de Chym. cum Gal. conſenſ. & diſſ. cap. 12. fol. 352. inquit: Forma & anima eſt cujuſque rei architecta: & primus motor in miſtione eſt anima ac cujuſque rei forma Δημιυργὸς communis & commune naturæ inſtrumentum, quo ad virtutes rerum fovendas utitur, calor eſt & ſpiritus cujuſque rei inſitus: miniſtras facultates earumque officia caloris & nativi ſpiritus beneficio perficit. Hactenus ille. Hæ virtutes ſanè non ſunt in calore & ſpiritibus quatenus tales, ſed ab anima vel forma, & exercentur per ſpiritus & calorem, ut proximo & peculiari inſtrumento.

XXXI. Neque eſt quod ipſemet vel quiſpiam pro Sennerto excipiat, eum in locis allegatis non loqui de calore, quatenus eſt qualitas elementi, ſed alio quodam, qui cum ſubjecto ſuo in quo hæret, videlicet humido ſpirituque inſito cônſtituat corpus quoddam quinteſſentiale propriâ donatum & inſignitum formâ, cùm ex phyſicis allegato loco non agat de calore alio quam elementari, qui miſti generationem genitique elaboratione ulteriore perfectionem, & conſervationem perficiat, cujuſque in putre-

putredine & deſtructione pereat miſti ſubſtantia: Item libro de Galenicorum cum Chymicis conſenſu & diſſenſu, capite octavo, folio 178. ubi de calore vegetantis animæ inſtrumento diſſerit. Si enim hic intelligeret calidum nativum, de quo libro quinto Inſtitutionum agit; & item libro primo, ſibimet ipſi contrarius denuò foret.

XXXII. Neque elabitur vim argumenti vigeſimâ quartâ theſi poſiti, cum in lib. 1. de feb. cap. 1. diſtinguat inter calidum nativum, quà eſt ſubſtantia, & caliditatem naturalem, ut eſt qualitas, à qua prædominante in animalibus ſpiritui inſito nomen indidêre. Omnis qualitas eſt aſſignanda ſuo πρώτῳ δεκτικῷ, à cujus forma originem ducit, & ſine quo de ſubiecto in ſubjectum non migrat peregrinum, ita ut ei propriè inhæreat & pro inſtrumento ſerviat: quærendum proinde, in quo ſubjecto hæreat illa nativa caliditas, an non ut ipſe fatetur in ſpiritu inſito, quatenus eſt ex elementis, qui idcircò calor innatus à Philoſophis nominatur teſte Scaligero ? annon ſpiritus iſte in humido tanquam pabulo, cum quo unum conſtituat corpus, conſiſtat, & his ita junctis conſtet illud corpus, quod calidum innatum vocamus ? Caliditatem hanc ut qualitatem, à qua corpus innati calidi denominationem & vim potiorem habet, ab febrili & elementari calore ſpecie non differre idem largitur D. Sennertus, loco citato; ob allegatam, quòd ab uno eodemque ejuſdem generis contrario vincantur & remittantur, rationem, interim ſpiritum

 cum

Quid propriè calor nativus & cujus ſit natura?

cum humido primigenio, quatenus ſubſtantiam calidi nativi conſtituit, nobilioris & cæleſtis eſſe naturæ adſtruit. Calor itaque elementaris hæret in aliena ſubſtantia, & accidens extra proprium ſuum ſubjectum, à quo dependet & generatur. Verum enimverò illa caliditas & illud humidum, in quo vita & ſanitas fundatur, & à quo actiones vitales & inculpatæ ſanitatis fiunt, læditur in febribus: accenditur enim calor nativus, ſeu (prout nominare libuerit) nativa caliditas, ille inquam calor, in quo & à quo vita & ſanitas, fundatur à febrili & igneo fitque cum eo unus numero calor, qui ſpecie non erat diverſus, ſed tantùm intenſione. Et in febri hectica humidum illud, quo calor nativus paſcitur, & quod pro ſubjecto habet, conſumitur, ſpiritusque diſſipatur, ab intemperie ſicca calida elementari: actiones autem ſunt contrariorum ſub uno genere juxta Senertum. Si itaque humidum illud nativum à ſiccitate & caliditate elementari conſumitur, ſi calor ille ab ſimili elementari ità accenditur, ut unus cùm eo fiat, ſi à contrario frigore elementari æque patiatur, ſi ſpiritus inſitus & influens aëreo ſuſtentetur pabulo, adeò ut ab ejus interclusus conſortio pereat, quidni vi adducti argumenti, caliditas nativa & humidum, in quo inhæret & à quo paſcitur, ſunt elementaris conditionis, non cæleſtis originis?

XXXIII. Neque enim in febribus alius accenditur calor, quàm qui vitæ actionumque vitalium & ſanitatis propriè eſt opifex, & nativus ac animali proprius dicitur. Si enim alius ab eo ſpecie diverſus elementi calor accenderetur, homo non ut animatum, ſed ut miſtum laboraret. Etſi enim hi duo calores

lores ſpecie & eſſentia non differant, tamen ſubjecto & munere, & forma, à qua reguntur, diſcrepant. Calor nativus ſeu innatus, vel emphytos proximum animæ eſt inſtrumentum, quo operationes ſuas vitæ & animantis integritati neceſſarias perficit, quique corpori diverſarum partium unam, à quo totum denominetur, communem temperiei rationem, & vegetationis principium & vim tribuit, & humidum in quo hæret depaſcit & conſumit jugiter. Hic in toto corpore diffuſus & uberrimè cordi eſt inſitus, vitæque & omnium actionum vitalium & ſanitatis in animante autor eſt & conſervator, unde vita in calido & humido conſiſtere dicitur. In hujus proba & convenienti cuique naturæ temperie ſeu moderatione vita & ſanitas, in ejus intemperie morbus, & exſtinctione mors. Calor verò miſti, quem Fernelius elementarem ſolummodo putat, humidum ſuum nõ depaſcit ſed tuetur & conſervat, ipſorumque elementorũ ſyncriſin fovet: hujus perditio eſt totius ſubſtantiæ corruptio, ille in animato corpore primò & per ſe non patitur, nullamque ſi tali intemperie labefactetur ut officium præſtare nequeat, invehit mutationem, quam ſubſtantiæ corruptionem & interitum. Quocirea ſanitas, uti in commodâ temperie & diſpoſitione caloris nativi, quatenus animæ inſtrumentum eſt & animalis calor eſt, & ab eo actiones omnes vitæ & ſanitatis eduntur, conſiſtit, ita nullus morbus in homine datur ex intemperie caloris, quatenus ſequitur formam miſti, vel quatenus miſti ſubſtantiam ut miſtum conſervat. Homo enim patitur & corpus habet

bet

† *Quomodo differant calor animati & calor miſti.*

bet animatum, gubernatum & directum à calore animantis, ut animæ proprio proximoque inſtrumento, cujus beneficio ſanitatem & vitam poſſidet: quocirca calor ille animalis in morbo intemperatur, in morte exſtinguitur, priuſquam corpus ut miſtum patiatur. *Et ſic animal non ut miſtum ſed ut animatum, laborat, patitur & moritur ac perit.*

XXXIV. Proinde laterem lavat, qui cum Fernelio dicit, calorem elementarem à febre primò accendi, hunc accenſum labefactare innatum. Cur non primo & per ſe febrilis calor, qui eſt igneus & elementaris aggreditur nativum ſi à miſti calore accendi poteſt, qui elementaris eſt, certè cur non etiam primo ab externo à quo hic accendebatur? Verùm actio læſa ſemper demonſtrat ſubjectum morbi; in febribus non læditur calor, quatenus eſt purè elementaris ſeu miſti, ſed quatenus eſt animalis & vitalis, & vitæ ſanitatiſque autor & conſervator, licet ab elementari ſpecie non differat.

XXXV. Verum enimvero, communis & vera hactenus fuit ſententia, Calidum nativum organum eſſe animæ ſeu formæ, quo vitam & ſanitatem adminiſtret; quo poſito anima ſeu forma non recedat, quodque uti ab eadem vires ſuas ad operandum omnes habeat, ita etiam dum in integritate perſiſtat, commoda ſit pro eadem in re ſervandâ diſpoſitio, ut eadem non ſit abſens niſi hoc deſtructo & ſemper ſit præſens eodem ſalvo.

XXXVI. Verùm Sennerto contra antiquitatis veritatem aliter viſum eſt; duplicem enim in re ſtatuit formam, aliam per quam res vivat, & aliam quæ hac abolita manere poſſit, à qua pendeant occultæ qualitates,

qualitates, & propriæ nobilioreſque facultates. Hanc in calido nativo ponit tanquam proprio domicilio & ſubjecto, quod omnis elementaris naturæ & concretionis expers eſſe mordicùs defendit. Hæc, dum res vita perfruitur, eſt ſubjecta inſtar materiæ, animæ ſeu formæ principali. Hanc modò cum ſpecificis animalium formis ab initio rebus concreatam eſſe & propagari aſſerit, modò ab illa principali in regenitam, ut ſit commodum ſubjectum, non aliter atque anima, juxta Themiſtium ſui domicilij ſtructuram commodam architectatur. Conciliet hæc ipſe autor: Si enim à principio congenita, non ſit ab alia forma principali: *ſi verò à principali generatur, & omnis formarum generatio ſit per ſui multiplicationem, adeoque univoca eſt; ut ſtatuit in tractatu de Chym. cum Gal. conſ. & diſſ. cap. 9. anima non generat aliam formam, quàm ſimilem ſui animam, ut anima canis caninam & ſalicis ſalicinam. Statuit enim omnium rerum formas univoca generatione propagari.*

XXXVII. Deinde nova eſt opinio neque hactenus vero conſona, formam principalem ſubſtantialem ineſſe rei per aliam formam ſubſtantialem, quæ permanere poſſit priore recedente, remque in eſſe ſpecifico conſervare, & ab hac non modò vires omnes proximè dependere, ſed & exerceri poſtea. Quod primò & per ſe non ineſt rei, per accidens ineſt, forma verò omnis ita ineſt materiæ cujus eſt forma, ut eam penitus prorſuſque & proximè nulla re mediante informet. † Deinde forma ſubſtantialis & ſpecifica, quæque ob materiæ commodiorem diſpoſitionē præcedit formam nobilio-

bilio-

† *An duplex forma ſpecifica rebus ineſſe poſſit.*

biliorem, nō manet cum eadem quando ſupervenit: ut enim generetur pullus neceſſum eſt perire ovi formam, *nec res una ſubſtat duobus actibus ſubſtantialibus ultimatis, quorum quilibet rei eandem eſſentiam & exſiſtentiam largiri & tueri & vires proprietateſque conferre poteſt.* Quocirca forma ſolum habet reſpectum ad materiam, ut materia eſt, cujus potentiam explere, & cum qua unam ſubſtantiam conſtituere annititur, non per & propter aliam aliquam formam materiæ inhærentē. † Deinde quam diu commoda diſpoſitio eſt pro forma, nulla forma perit. Rhabarbari verò forma ſecundaria eſt diſpoſitio pro primaria & principali juxta eundem autorem, quomodo igitur hac ſalva & remanente illa perire & interire poteſt? At cùm formis nihil ſit contrarium, nulla res perit niſi diſpoſitione materiæ, cui inhærebat, non ampliùs commoda. Diſpoſitio verò materiæ, quæ facit ut forma accedat, & per quam immanet & operatur, non eſt alia forma, quæ nunc materiæ vicem, & eadem poſtea ſubſtantialis formæ perſonam ſuſtinere poteſt, quæque primò & per ſe nihil & à nullo pati poſſit, & cui nihil contrarium ſit, ſed apparatus qualitatum & temperies commoda formæ idonea, qua vi contrariorum labefacta formam perire, & incolumi, manere contingit. Huc pertinet regula philoſophica: *forma non habet formam*, & illud Scaligeri exercitat. 6. multò minus audiendus erit, *qui dicet formas informari.* Vt rem accuratiùs intueamur, quærendum an facultas Rhabarbari, quod pro exemplo adducit, pendeat à forma ſpecifica, an à forma fictitia illa ſecunda? ſi ab hac, fruſtra fuit alia principalis: ſi ab illa

vis

† *An duplex forma ſpecifica rebus ineſſe poſſit.*

vis omnis & proprietas cum forma, à qua dependet proximè, ponitur & removetur: *propriorum proprium eſt cum ſuis ſubſtantiis poni & removeri.* Neque enim eſt, quod dicas ſolam vitam à principali forma eſſe, vires verò & proprietates à ſecundaria, cùm rerum proprietates proximè dependeant & inſint per ſpecificam & principalem formam: neque neceſſum eſt duas ponere formas, quarum una vitam, altera alias facultates largiatur: ſpecifica enim forma largitur ſpecificum eſſe & ſpecificam differentiam & quidditatem, & qualitates proprias; & ut res ſeſe habet in eſſe, ita etiam in operari: modus operandi ſequitur modum eſſendi, unius rei juxta veterem veram philoſophiam tantùm unica eſt forma eſſentialis & ſpecifica, quæ & ultimata vocatur & largitur actum perfectum, nulla alia forma perficiendum, à qua exiſtentia & ſpecifica differentia & qualitates propriæ.

XXXVIII. Deinde etſi concedatur, quòd pro ſe adducit D. Sennertus loco citato, Cor, Cerebrum, Epar, omneſque partes, habere ſuam formam per quam diſtinguuntur, ut ſint quod ſunt, qua ratione Calido nativo, aut puriori Rhabarbari ſubſtantiæ poſſit inhærere illa purgandi virtus prædita principali forma & anima Rhabarbari, tamen hoc ipſum magis deſtruit quam aſtruit ipſius philoſophema: præterquam enim quòd Calidum innatum animantium, aut portio tenuior Rhabarbari non conſtituit partem propria forma differentem, ipſæ etiam enumeratæ partes, cor, epar, cæteraque cadaveris membra, ſublata anima hominis aut bruti, non ampliùs actiones ſuas à forma ſpecifica dependētes perficiunt, nec enim cerebrum ratiocinatur aut cor vivificat, vel

epar

epar vegetat, nutrit & coquit. Quocirca in cadavere Rhabarbari ſpecifica & principali forma verè ſpoliato, nulla ſecundaria anima, virtutes & actiones ſpecificæ formæ proprias perficit. Neque minori hoc abſurditate aſſeritur, quàm ſi triplicem in homine formam aſſerentes dicant, rationali anima egreſſa hominem vivere vitam bruti ex anima ſentiente, & hac exſtincta agere vitam plantæ. Deinde anima animantium, non ineſt toti per formam cerebri, cordis & cujuſcunque partis, ſed propter diſpoſitionem totius, qua temperie generali præditum eſt. Nec minore ineptia laborat id, quod dicitur ſalvo Calido nativo & temperie Rhabarbari adeò integro, ut actiones ſuas ſatis commodè perficere poſſit, nihilominus Rhabarbarum eſſe mortuum & cadaver. Qua ratione forma pereat & moriatur Rhabarbarum, ſi juſta maneat & inſit temperies, quæ uti ad receptionem formæ ſubjectum diſponit, ita & in eodem eandem perſeverare facit, qua demùm corrupta perit, imò, qua ratione dicetur mortuum ſi forma ſecundaria ſuperſtes ſit in Calido & humido, cujus beneficio actiones exercet & in quo neceſſariò vita perſiſtit? Neque ſi actum vegetativum non exercet, velluti hordei aut tritici grana ſicca, & à ſole remota, non tamen pro mortuo habendum, ut rectè cenſet Scaliger.

XXXIX. Non minore claudicat abſurditate hoc, quo dicitur Rhabarbarum non vivens ſeu cadaver, purgare virtute Calidi nativi vegetâ, cùm poſito Calido nativo vegeto & actuoſo, neceſſariò ponatur vita in Calido & humido conſiſtens, & mors ſit exſtinctio caloris nativi tanquam proximi animæ inſtrumenti,

ſtrumenti, eo ipſo vitam largientis, ſervantis & adminiſtrantis. Conſtans hactenus philoſophiæ veræ fuit ſententia, vitam in calido & humido conſiſtere, quatenus non propriæ ſuæ formæ, ſed totius animati formæ inſtrumentum eſt; de occultis verò ab hoc, & ex hoc, vel in hoc qualitatibus altum ſilentium.

XL. Veritati quoque horridum videtur, ſtatuere formam rei non informare omnes ejuſdem partes, ſed primò nobilioribus inhærere, cùm tamen anima & rerum formę totæ ſint in toto, & nulla pars formę expers, niſi velis manum hominis informari forma bruti & pecudis aut ſtirpis: imò in ſtirpibus anima adeo ineſt omnibus partibus; ut cum quavis penè ſit dividua, & avulſa coaleſcat, tota in ſemine, tota in radice, tota in ramulis. Quod autem nobiliores & alias in aliis partibus operationes exercet, & citiùs in aliis deficit anima cum partibus dividua, id non abſentiæ animę, ſed partium rationi tribuendũ. Si oculus foret in pede, videret in pede. Anima eſt actus corporis organici diverſis partibus unã totius largiens formã, & mediãte Calido nativo, univerſalẽ tẽperiẽ à quo denominetur totũ. Quinimò nulla pars vita privata eſt. Hæc conſiſtit in Calido & humido, quod ipſe ſtatuit ſubjectum animę, per quod totũ informatur & omnes ejus partes, quocirca nullæ partes forma deſtituũtur.

XLI. Deinde quid obſtat, quo minùs forma principalis in ſubtiliore parte Rhabarbari poſſit permanere, quam ſuppoſita & hæc fictitia ſecunda? Annon princeps ſui, aſſerente D. Sennerto, domicilij architectrix arctiùs hærebit ſecundaria & à ſe genita? an domicilium purius & ſibi gratius nacta jam ad emigrandum prolivior erit, quàm cum reloſſeo &

impuro elementorum corpore habitabat, aut ei inhærebat?

XLII. Et quis unquam profeſſus eſt partes ejuſdem rei non diſſimilares non eadem totius forma eſſe præditas, annon adſtringẽs pars Rhabarbari æquè Rhabarbarum eſt atque ſubtilior & purgans, & annon æque eadem formâ prædita, licet per hanc purget & per illam adſtringat. Et ſanè extractum Rhabarbari, quacunque etiam encheriâ, quam quilibet ſingularem, & ſibi ſoli notam mentiri ſolet, præparatum, ipſo ejus pulvere fæliciùs uberiuſque purgare, hactenus falſo creditum eſt, quod ne à vulgo animadvertatur, diagridij adjectione Chymici illud acuere & ſophiſticare ſolent. Et an opij pars amaricans, & calida ſudores movens æque formam opij non obtineat atque illa quæ narcotica eſt.

XLIII. Tandem uti quatuor elementa ad corporum perfectè miſtorum conſtitutionẽ concurrunt, & ex his tàm requiritur illud, quod ſoliditatem & compagem rei præſtet, quàm quòd ad formæ actiones has aut illas expediendas magis idoneum eſt, adeoque alterum ſine altero, & omnibus ſimul concurrentibus corpus nullum perficere poſſunt, aut ad recipiendum miſti cujuſcunque formam commodè diſponi nequeunt, ita nullum horum elementorum, ex quibus miſtum compoſitum eſt, licet craſſius fuerit, pro excrementitiâ & inutili parte in reſolutione habendum, aut forma miſtum totum informante, minùs informatum fuiſſe cenſendum. Nec minùs in ſale terram referente (ſi Chymicis & Quercetano in Hermetic. philoſo. def. credendum) ſua totius vel ſaltem aliqua ineſt virtus, quàm in ſpiritu & oleo

ignem

ignem aëremque reſipientibus. Arte Chymica reduci craſſa ad ſubtiliora, ut ex ſale ſpiritus & olea, hæc vero in aërem & ignem reverti tanquam ſumma principia, indubitatò verum eſt.

XLIV. Hactenus probatum eſt, ſanitatem non in occultis ſed manifeſtis qualitatibus, ſeu temperie ex apertis reſultante, non in Calido nativo, quatenus illud ſupra elementorum conditionē ſit vel cæleſte, vel æthereum, aut quinteſſentiale, conſiſtere; ſupereſt ut diſpiciamus argumentum D. Sennerti, in quo potiſſimum robur collocat ad probandum ſanitatem aliquam & conſequenter morbum in occultis qualitatibus dari. Quocirca examinanda eſt hæc poſitio qua dicitur, *quod omnis actio fiat inter contraria ejuſdem generis:* Hic enim eſt nervus, hæc columna & baſis, quam ponit pro morborum ſubſtantiæ introductione & defenſione. Extra omne dubium eſt, *omnem actionem fieri ab actu, quemadmodum paſſio propter potentiam: Ut ſeſe res habet in operari ita etiam in eſſe, & ideò omnis actus eſt ipſa rei eſſentia potiſſimum in iis, ubi eſſentia ab exiſtentia non differt:*† *Omnis autem eſſentia eſt finita vel infinita. Finita præſupponit finientem, infinita eſt ex ſe, unus, ſimpliciſſimus, omnipotens, æternus actus. Quæ enim eſſentia eſt infinita, eam oportet & æternam & omnipotentem & ſimpliciſſimam, & à ſe ipſo eſſe; finitam verò ab hoc ipſo habere ſuum eſſe, & abeo dependere, tantumque habere potentiæ, quantum poteſtati infinitæ eſſentiæ eſt ſubjecta. Actus hi & eſſentiæ finitæ, reſpiciunt materiam, vel non. Actus puri ſincerique reſpicientes nullam materiam quā actuent, ſunt eſſentiæ incorruptibiles maximè potentes, ſed quia ab alio ſunt, & eſſe cæperunt, & finiti,*

† *De omnium actionum cauſis & origine diſcurſus.*

eorumque poteſtas determinata eſt negatione & privatione, quòd ob illam non poſſint aliquid ex nihilo facere, aut quicquam in nihilum redigere, & propter hanc ex quolibet non poſſint facere quodlibet, potentiam ſapiunt. Qui materiam reſpiciunt actus ſunt ſeparabiles vel inſeparabiles. Inſeparabilis actus eſt forma cæli. Qui ſeparabiles ſunt, dependent à materia ſecundum eſſe & fieri, vel reſpiciunt illam tantum ſecundum fieri. Hi exiſtere poſſunt ſine materia nec ex ejus potentiâ orti ſunt, qualis eſt anima humana: qui ſecundùm eſſe & ſecundùm fieri pendent à materia, ſunt actus ſubſtantiales vel accidentales.

XLV. Actibus omnibus reſpondet potentia obedientialis, vel naturalis; uti actus nullam reſpicientes materiam potentia obedientiali ſubjecti ſunt actui infinito, ita iis viciſſim omnes actus materiales, exceptis qui ſine materia exiſtere poſſunt, potentia obedientiali ſunt ſubjecti.

XLVI. Actus materiati agunt in materiã, prout eſt potentia obedientiali vel naturali prædita, ſeu agunt ut efficientes cauſæ univocæ vel æquivocæ. *Nullus verò actus materialis aut forma ſubſtantialis (exceptis quas per emanationẽ faciunt; actionibus) agit, niſi per qualitates adminiſtras, ſeu actus accidentales. Cauſæ æquivocæ pro ſubjecto actionũ habent materiã potentia obedientiali, univocæ materiã potẽtia naturali præditã.* Cum verò actubus ſeu materiatis ſeu immateriatis nihil ſit contrariũ, nulla harum actio fiet ex contrario ut contrario in contrariũ: actus enim ſubſtantiales actuantes materiã potentia naturali præditã, nõ agunt in ſubjectũ ut contrarium, ſed adeò amicã prærequirunt diſpoſitionẽ; quæ minùs obſtet, magiſq; activitatẽ & efficientiam recipiant: *actus enim activorũ non agunt niſi in diſpoſitam*

materiam,

materiam,ſeu potentia naturali vel obedientiali præditam. hæc potentia non eſt ſita in contrarietate aliqua, ſed in amico apparatu,quo vel admittit vel promptè appetit aut recipit actionem actus nobilioris in meliorem ſtatum rem vindicantis & extrahentis.

XLVII. *Actus accidentalis eſſe;eſt ineſſe, & dependet à ſubjecto cui ineſt ſeundum eſſe & ſecundum fieri. Et quia res ita ſe habet in operari uti in eſſe, ſeu modus operandi ſequitur modum eſſendi, conſequens eſt, quod uti omnis qualitas generationem & dependentiam habet à ſubſtantia, ita etiam virtute ſubſtantiæ operetur.* Qualitates verò inſunt corporibus ſimplicibus & miſtis, atque his vel primariò vel ſecundariò, ut ex ſimplicibus compoſita ſunt; primariò quatenus à formis miſti dependent. Omnis affectio & qualitas eſt aſſignanda ſuo πρώτῳ δεκτικῷ. Primarum qualitatum cauſa & ſubjectum ſunt elementa: ita forma ignis ſummum generat calorem in materia, & hæ primæ qualitates primorum corporum meritò omnibus inſunt corporibus ſublunaribus generationi & corruptioni obnoxiis. harũ opera fit mixtio, miſti generatio, miſtorum conſervatio. Secundæ qualitates fiunt à primis: Tertiæ & quartæ qualitates, ad quas referuntur occultæ, non à formis elementaribus,ſed à miſtorum vel corporum animatorum formis generantur in materia elementari, ſeu ex elementis uti principiis rerum omniũ materialibus coagmentatâ,quoad ſubjectum habent unum cum primis,ſed ex primis compoſitũ,quoad cauſam efficientem non habent eam cum elementaribus communẽ, quia non à formis elementorum, ſed à formis rerum in elementarium corporum miſtione generatis;

Hæ formæ & cumprimis ultimatæ largiuntur rebus eſſentiam, ſpecificam differentiam, & proprietates ſeu qualitates proprias, eaſque vel occultas vel manifeſtas. Vti autem omnes formæ ſeu actus materiati, excepta anima rationali, educuntur è potentia materiæ, hoc eſt, ſecundùm eſſe & ſecundùm fieri ad ea dependent; ita etiam qualitates omnes, ſeu primæ & ſecundæ, ſeu tertiæ & quartæ dependent quoad generationem & eſſe & ineſſe à materia rerum miſtarum.

XLVIII. Si autem formæ ex potentia materiæ non orirentur, omnis generatio eſſet univoca, & aut nulla eſſet mixtorum è miſcibilibus generatio, & nobiliſſimæ rerum formæ exiſtentiales, ſeu actus exiſtentiæ largientes, pereunte ſubjecto, aut ſine ſubjecto, ut anima rationalis, exiſtere poſſent, & aut Pythagorica metempſychoſi de corpore in corpus migrarent, aut ad Orcum Iliadumve Paracelſi irent & rediſent, aut in nihilum redigerentur: quæ omnia cum ſint abſurda, in potentiam materiæ, unde producta ſunt, recidere nulla abſurditate cum Ariſtotele ſtatuimus.

Etſi verò dicatur ab iis, rem omnem ex ſemine naſci, vel ex eo quod ſeminalem rationem habet, tamen fatendum, id quod ex ſeminalem habente rationem naſcitur, non à ſeminante, ſed à cauſa æquivoca ſubjectum materiam diſponente & inſtruente, ut inſtar ſit ſeminis & ſeminalem potentiam acquirat, generari: ita calor animalis generat vermes, & cæleſtis vis mures, & miſtorum animatorum omnia genera, generationiſque & corruptionis, & omnis mutationis in his inferioribus eſt autor, ut nulla ſit univoca generatio

generatio ſine æquivocæ directione, quia ſol & homo generant hominem. Et multa tamen fiat generatio æquivoca, ſine univoca, unde Scaliger loco citato inquit, *materia prima eſt omnia poteſtate receptionis, cæli ſunt omnia poteſtate efficiendi*; & idem ibidem paulò poſt: *pendere noſtratia hac à ſuperioribus propter æquivocam connexionem, non propter univocam effectionum communionem. Sunt enim ſuperiora quaſi formæ conſervatrices inferiorum, quia hac cauſa ipſa cauſarum tuetur ea quæ fecit, per ea quæ fecit.*

XLIX. Si igitur formæ, quæ extrinſecus non inducuntur, omnes ex potentia materiæ ortum ducant, nullaque alia ſit quinta materia vel quintum corpus aut eſſentia præter quatuor ex quibus omnia compoſita ſunt corpora, neceſſum eſt, ex quatuor corporum primorum miſtione omnia conſtare, & ex eorũ miſtorũ potentia nobiliores formas educi; ſi enim quintum foret elementum, vel eſſentia quinta in rebus, eam in reſolutione corporum reſultare & prodire neceſſum foret; principij enim elementaris aut communis ea eſt natura ut inſit omnibus, ut ſit ante omnia, & uti omnia ex eo primo componuntur, ita in id etiam reſolvantur ultimo. Atqui tale principium quintum non datur, & ſi daretur foret ingenerabile, & incorruptibile, ſeu nullis mutationibus obnoxiũ, quia à qualitatibus cæterorum quatuor, omnium rerum mutationem & generationem procurantibus non afficeretur, &c.

Si itaque formæ ſcilicet extrinſcus non inductæ ex materiæ potentia ſint natæ, cur non & qualitates formales vi formarum ex ſubjecto ſeu materiâ, quam informant, educantur, formæ enim accedentes ad

 materiam

materiam ſeu ſubjectum, proprias generant qualitates, eaſque vel occultas vel manifeſtas: has ex primarum mixtura & temperatura prima, illas ex miſtorũ variè remiſtorum corporum, variaque miſtione indicibiliter diſpoſitorũ potentia; aſſumit enim materia primò formas univerſales, iiſque mediantibus particulares, ſeu recipit primò formas eſſentiæ, dein exiſtentiæ & individuantes, & quidem priores propter poſtremas, ita ut priorum vires non ceſſent vel exſpirent ſub poſterioribus, ſed tanquam materialia ſub nobilioribus degant, undè varia miſtorum miſtio & inexplicabilis contemperatio, & unio ſub extremæ exiſtentialis formæ nobiliſſimo dominio. Tantas autem natura tamque varias non facit mutationes per formas intermedias, niſi ut nobiliori & ultimatæ formæ materiam convenienter præparet, & temperet, unde ſanè qualitates primis nobiliores reſultant, quæ quamvis ex primarum materia variarum formarũ iis tamen tanquam inſtrumentis utentium, actionibus multifariã contemperatâ & diſpoſitâ oriantur, longè tamen eorum naturam & vim excedunt, uti etiam de miſtorum qualitatibus teſtatur Clar. Mercatus cum inquit, qualitates miſti quæ immediate eorũ formam ſequuntur, ſunt perfectiores elementorum qualitatibus, *quod ea qualitas ſit habenda perfectior, quæ perfectiorẽ formam ſequitur*, niſi enim aliæ nobiliores qualitates præter primas, per varias has materiæ præparationes orirentur ad formam recipiendam nobiliorẽ, fruſtra natura toties materiam recuderet & in vanum laboraret poſſetque quælibet forma & etiam nobiliſſima quamvis indiſpoſitam informare materiã. Abſurdum verò eſt negare novum miſtionis modum nõ inferre novas

novas vires, quia nova miſtio novæ fit craſeos & novæ formæ gratiâ; nova craſis neceſſariò alias importat vires quia eſt actus accidentalis novus propter novam formam, non otioſus ſed novæ formæ peculiare & ſpeciale energeticum inſtrumentum. Quomodò itaque dixerim & intellexerim occultas qualitates ex materiâ primarum variis miſtionibus recusâ alteratâ & identidem novis per novã miſtionẽ qualitatibus imprægnatâ oriri, ſatis liquet, ut injuriã mihi non parvam fecerit Clariſſ. Sennertus dum in Inſtit. lib.2. parte 1. c. 4. me ex nuda primarum qualitatum miſtione occultas deducere ſcribit; ubi fruſtillatim mea citat, torquet & opinionem mihi peregrinam aſſuit, & ad rem ipſam non reſpondet.

L. Vti itaque natura ex elementis non generat ſtatim animal, niſi per varias mutationes, & ex elementis fiunt primò mixta, potentia ad animal magis remota prædita, ex miſtis animata ſeu fruges & plantæ & fructus, ex his cibus, ex cibo chylus, chymus, ſanguis, ſemen, deinde animal, & omnia tamen ex elementis primis varia miſtione, ad nobiliſſimum & ſupremum rerum miſtarum gradum, ſeu ex potentia remota, ac per propiores ad proximum quæ eſt in ſemine, ad hominem contendentibus: ita & occultæ qualitates non ex qualibet materia, ſed certa, variis miſtionibus intercedentibus, variè præparata, per formas ultimatas exiſtentiales producuntur, atq; ut nobilior forma materiam magis & exquiſitius diſpoſitam requirebat, ita qualitates occultæ, à tali forma in tali ſubjecto producuntur & generantur.

LI. *Qualitates itaque omnes primæ, ſecundæ, tertiæ aut quartæ, omnes inquam vi formarum, ex ſubjectæ materiæ*

educuntur potentia, & juxta virtutem & operationẽ forma, à qua generantur, & per quam inſunt, operantur. Pendet itaque omnis facultas qualitatum ad operationem à forma & ab ea dirigitur. Formæ autem actiones in ſubjectum fiunt per occultas vel manifeſtas qualitates; manifeſtas qualitates uſurpant, ut rem generent, conſervent vel deſtruant. Generatio & conſervatio miſtorum per temperiem qualitatum, in quibus calor nativus miſcibilia unit, humidum cum ſicco determinat, unit, vincit, & unionem illam humidique cum ſicco determinationem conſervat. Atque ita calor ut proximum generantis inſtrumentum miſtum generat, & generatum conſervat. Primarum pariter qualitatum eſt generare ſecundas; caloris eſt coquere, nutrire, vivificare, vitam conſervare: *atque hæc omnia nec calor nec temperies agit per contrarietatem, ſed ut agens æquivocum in materiam potentia obedientiali ad recipiendum actum agentis præditam. Nulla enim cauſarum agit ſine aptitudine patientis juxta Gal. & actus activorum agunt tantùm in materiam diſpoſitam:* propter hoc ex remota potentia diſponitur materia ad proximam, ut ultimatæ formæ actiones recipere & admittere poſſit. Manifeſtæ itaque qualitates agunt in ſubjectum, vi poteſtativâ quatenus actionem recipere natum eſt, ex diſpoſitione non adverſante; vel quatenus contrariis reſiſtentibuſque qualitatibus eſt affectum. ita calida agunt in frigida & ſicca in humida.

LII. Occultæ qualitates agunt pariter per Sympathiam, vel antipathiam. Per Sympathiam amicus eſt rerum conſenſus, qui nec in adverſa qualitate rei, cum qua conſentit, fundatur, nec per contrarietatem

tatem agit, adeò ut hîc etiam hæc regula ſit falſa, quod actiones ſint contrariorum ſub uno genere: magnes non trahit ferrum adverſa ſed amica qualitate occulta, velut calor trahit alimentum, amica qualitate & manifeſta.

LIII. Occultæ qualitates quæ per contrarietatem operantur tales ſunt pariter ut agant in rem adverſa qualitate præditam, in quam vi contrarietatis operantur vel agunt in ſubjectum potentia obedientiali præditum, tali, ut actioni efficaciter agentis reſiſtere non poſſit, eumque admittere neceſſitate inevitabili cogatur.

LIIII. Non enim quia innumerabilia indicibilium venenorum genera in nos agunt occultis ſuis & adverſis qualitatibus, idcircò innumeræ quoque occultæ qualitates, & innumeræ ex his ſanitates occultarum qualitatum, & ex harum à venenis læſione innumeri morbi incogniti & indicibiles ſtatuendi, ſed quia omnia directè ſubſtantiam noſtram humanam maximè juxta temperiem qualitatum & præcipuè calidi & humidi, in qua ſanitas & vita fundatur, diripiunt & corrumpunt, & cordi vitalique facultati in calido nativo ejuſque ſpiritu & humido archigeno, in corde potiſſimum radicato, depeculantur, celeriterque vi ſua pernitioſa, & potenter corpus & naturam noſtram peſſumdant, & in ſuam naturã immutando corrumpunt, non occultas qualitates corrumpunt, ſed manifeſtos temperiei morbos producunt.

Vti quem pro ſe adducit Sennertus lib. 2. Inſtit. pag. 1. cap. 4. contra eundem ſatis clarè teſtatur Galen. lib. 1. de ſem. cap. 16. cum inquit: *Minima portiuncula*

tiuncula humoris lethalium venenorum quæ δηλητήρια *appellantur, ubi animalis corpus ingreſſa fuerit, totum id* (nota non occultam qualitatem, ſed quatenus ex temperie & ſubſtantia integrè conſtat) *momento temporis immutat, ſibique ſimile affectione alterat*; quid clarius? ſi totum corpus mira celeritate immutat, non ſaltem occultas qualitates ſi inſint, ſed maximè manifeſtam, in qua vita & ſanitas fundatur, & cui potiſſimùm inſidiantur, corrumpunt temperiem. Et Galeno res quælibet & cujuſlibet rei ſubſtantia ex primorum corporum & qualitatum debita craſi, conſiſtit, non in occultis fundatur aliqua ſanitas: agunt itaque venena juxta Galenum in apertas qualitates & ſi probari poſſit Galenum his verbis occultas ſaltem intelligere qualitates aut in iis fundare ſanitatem Rubiconem tranſivimus.

LV. Ab hac venenorum in corpus noſtrum actione, non perit occulta aliqua qualitas (quæ nulla talis eſt in corpore, ut ſanitas per eam inſit) & ſi ineſſet impoſſibile foret *hominem* ſalvo calore nativo & temperie aperta, ſubſtantiaque ex hujus moderatione debita bene habente, vel mori vel ſaltem ægrotare, ut imprudens ſit aſſertio, hominem juxta occultas qualitates perire, ſalva temperie manifeſtarū.

Etſi igitur venena totum celeriter immutent, & in inſenſibili quantitate maximam qualitatem & poteſtatem perniciter corrumpendi habeant, non ſequitur tamē, quod aliam ſanitatem & vitam, quàm quæ eſt in calido & humido vitali & ſpirituoſo, corrumpunt. Nam hoc eſt de natura veneni, ut id primariò & quàm celerrimè maximè pernici ſua vi depeculari poſſunt.

Quod

Quod autem à venenis, illæſis actionibus manifeſtarum qualitatū, homo inficiatur & labefactetur, ſæpeque moriatur, id tam falſum & abſurdum quam falſiſſimum eſt. Quæ enim vires in peſte & morbis venenatis proſternuntur? nunquid vitales, animales naturaleſque pariter, & ut totum celeriter inficitur vi rapidiſſimi & efficaciſſimè agentis veneni, ita nullæ amplius actiones quam facultatis vitalis, à qua cæteræ dependent potiſſimum, labefactantur, nullæque ullius manifeſtæ temperiei actiones penè ſunt integræ, omneſque & omnia languent, & ſubitò univerſim corripiuntur, affliguntur, ac frequentiſſimè penitus proſternuntur; *actio ſanè læſa probat partem à qua editur eſſe læſam*; at actiones, quales ex primarum & totius temperie eduntur omnes eſſe offenſas nemini obſcurum eſt. Conſidera & percurre omnium totius corporis actionum, vitalium & naturalium genera, vel enim omnes actiones pendent ab occultis qualitatibus, vel manifeſtarum temperiem omnino eſſe læſam oportebit.

LVI. Quòd peſte infecti ſæpe ſubitò moriantur accidit ex vehemētiſſimi veneni pernicie, quod cordis vitalem inſitum ac influētem ſpiritum, cui primò inſidiatur & adverſatur, rapidiſſimè corrūpat; priuſquam characterem veneni extùs prodat, qua ratione & urinæ talium ſæpe ſanorum ſimiles non in humores corrumpendo, ſed intimos ſpiritus depeculando veneno occupato, haud aliter ac ſcorpij & rabidi canis venenum, celerrimè totum pernici poteſtate pervadit inficitque, & non ſaltem occultam ſi ineſſet, ſed maximè manifeſtā ſubſtantię temperiem, tonum & vim depeculatur & deijcit. Et ſane aperta ſua quali-

tate

tate venena hæc patrare non poſſunt quæ in indicibilis tenuitatis portione tanta eſſe nequeat.

LVII. *Proinde mirari ſubit, quenquam eò audacia pervenire, ut profiteatur hominem ex veneno vel peſte exſtingui poſſe, ſalva temperie manifeſta, cujus integritas in calido nativo omnis ſita eſt.*

LVIII. Ex his omnibus clarè diluculat propoſitionis hujus, *actiones eſſe contrariorum ſub eodem genere:* cui tanquam fundamento morborum ſubſtantialium ratio ſuperſtruitur, imbecillitas & jejuna macies. *Si enim omnia in univerſo actionum principia tam ſuperiora quam inferiora percenſeas, demùm reperies id tantum verum eſſe de quibuſdam efficientibus, iiſque ſaltem inſtrumentariis cauſis, & ex inſtrumentali cauſalitate agere valentibus, quales ſunt qualitates, quæ tamen minimam ſuam vi contrarietatis actionum partem, uti videmus, expediunt.*

LIX. Everſo hoc fundamento omnis ſubſtantialium morborum ficta lerna & turmæ corruunt, & cum his cætera, quæ illi inconvenienter ſuperſtructa erant inconvenientia. *Qualia ſunt, primò vitam & ſanitatem quandam dari in occultis qualitatibus:*

Secundò, tot dari morborum quot ſunt venenorum ſpecies, quorum quælibet occultam ſibi qualitatem cui contrariatur, in qua ſanitas fundatur, oppugnet, ſiquidem ceu calor non agit niſi in, uti volunt, contrarium frigus: ſic venenum quodlibet uti peculiari tantùm ſpecificâque antidoto oppugnatur, ita etiam non quamlibet occultam qualitatem, ſed quæ ſibi ſpecificè contraria eſt, invadet, *totque evadent & erunt ſanitates & morbi, quot ſunt venenorum genera.*

Tertiò, cùm venena ſaltem occultas qualitates lædendo,

lædendo, manifeſta temperie, in qua dominatur calor nativus, omninò illæſa (non enim unquam ad occultam qualitatem ullus unquam philoſophorum aut medicorum vitam retulit, vel referre potuit) hominem interimere poſſint, ſequitur *quenquam ſalvo calore nativo, in quo vitam conſiſtere hactenus creditum fuit, & cujus exſtinctione mors definita eſt, poſſe perire & mori.*

Quartò, ex hoc etiam temerario fundamento contra ſenſum, fidem & teſtimonia & obſervationes omnium; negatur, actiones à manifeſta temperie dependentes in peſte & morbis venenatis lædi, cùm tamen appetitus *& coctio & nutritio & pulſus cæteraque omnes facultatis cujuſcunque læſione operationes quam celerrime vi veneni proſternentur.*

LX. * Quintò, demùm non caret admiratione, quod *morbi occultarum qualitatum referantur ad morbos ſubſtantiæ: quod enim qualitas eſt, & ut qualitas à forma inſtar cæterarum ſive occultarum ſive manifeſtarum proximè genitum eſt, id ſanè neutiquam, ad ſubſtantiarum categoriam remigrare poteſt, cumque qualitas patitur, ſubſtantia morbus nominari non poteſt, nec pro eo nobis obtrudi debet*: Omnis enim qualitas prima immediatè à forma, & omnis proprietas immediatè à forma, nec tamen ullius qualitatis affectus ſubſtantiæ defectus vel affectio nominari debet. Et magna nimis arrogantia eſt, prætoriâ quadam auctoritate, contra vetuſtos ſapientiæ noſtræ magiſtros & fundatores, toti Reip. medicæ, nova, quibus irretiatur & implicetur ſtudioſa juventus & imbecillis judicij homines, dogmata ambiguarum & lubricarum poſitionum baſi nitentia, velle obtrudere.

LXI. Ve-

LXI. Verùm quæritur alteriùs, quid igitur ſit morbus venenatus: Etſi enim venenum ut cauſa, morbuſque ex ea inductus, eodem expellatur remedio, tamen percunctandum, in qua claſſe ſit cenſendus morbus à veneno inductus.

LXII. Qualitatem enim venenatam quam inducit in corpus, & qua naturam noſtram corrumpit (ex quo ſequitur quod omnis morbus ſubſtantiæ ſit venenatus) appellat Sennertus morbum ſubſtãtiæ, diverſum à morbis intemperiei, uti demonſtrat exemplo peſtis. Quocirca ideo dicit morbum venenatum non eſſe morbum intemperiei, quia non lædat per calorẽ, frigus, vel ſiccitatem & humiditatem: ſed quia inducat aliam alterius generis malignam & occultæ perniciei qualitatem. Sed quæſo cui rei hoc inducit? nunquid parti cujus ſanitas in apta temperie primarum in qua dominetur calidum nativum, conſtituitur. Nullam dari occultam qualitatem in quam agat vi ſpecificæ contrarietatis, & in qua ſanitas conſiſtat demonſtratum eſt. Imò ſi in hanc ageret, uti in ſuum contrarium, cùm neceſſariò in eam ſolùm ageret, atque ita eam labefactando aut perimendo ſanitatem vitamque corrumperet, nunquid illæſo calore nativo proximo animæ inſtrumento, quo ſalvo vita nequaquam labefactari poteſt, homo exſtingueretur? atque ita mors per exſtinctionem caloris nativi malè definiretur Philoſopho, maleque hactenus ita creditum & aſſertum fuiſſet.

LXIII. Venena autem omnia primò adverſa eſſe cordi (licet quædam etiam ſimul alias partes ſpecificè reſpiciant & lædant) & maximè primoque calori nativo, in cujus integritate vita conſiſtit, inſidiari

diari illudque depeculari (unde vulgò definiuntur corpora cordi inimica, humanæ naturæ maximè adverſa & noxia) conſtans hactenus fuit à tota huc-uſque antiquitate ſententia, & uti inauditum ab omni ſeculo ita maximè falſum eſt, venena illæſa manifeſta temperie, ex Calidi innati diſpoſitione reſultante, & hoc illæſo & prætcrito, ferri in occultas quaſdam qualitates corporis, in quibus alia conſiſtat ſanitas & vita, quas ſpecifica contrarietate corrumpendo, hominem è medio tollant & enecent.

LXIV. Sed videndum quo pacto venenum nobis & noſtræ naturæ ſubſtantiæque humanæ ſit contrarium. *Natura noſtra juxta fidiſſimum Præceptorem Hippocrat. & ejus interpretem Galen. lib. 9. de method. cap. 1. conſtat ſpiritu, ſubſtantia ſolida & carnoſa. Harum integritas in debita quantitate & qualitate conſiſtit.* Talis utrinque conſervatur ſimilibus, deſtruitur contrariis. Qualitatem conſervant quæ temperamento noſtro ſunt æqualiter convenientia, deſtruunt qualitates excedentes, ſeu ejuſdem ſeu contrarij generis. Subſtantiæ quantitatem & proportionem conſervant cibi adeò naturæ noſtræ convenientes & ſimiles, ut quod perditum eſt reſtaurare & in ſubſtantiam noſtram verti poſſint. Atque ut alimenta ita naturæ conveniunt & ſimilia ſunt, ut in ſubſtantiam noſtram aſſiduo fluore pereuntem vertantur, eamque reſtaurant, reſarciunt, adeoque conſervant: ita venena contraria vi, eandem ipſam ſubſtantiam, quæ alimentis fovetur, ſuſtentatur, eorumque nutritione conſtat, depeculantur & corrumpunt, & imprimis Calidum nativum quod ca-

lore ſpirituoſo in humido conſiſtente vitam fovet & alimentis ad extremum ſenium pro naturæ potentia reficitur, labefactant. Quemadmodum itaque alimenta ſubſtantiam noſtram ſpirituoſam, carnoſam, ſolidamque reficiunt, ejuſque humidum primigenium, & calorem, in quo vita & ſanitatis ratio ſita eſt, reficiunt primò & per ſe, ita venena primò & per ſe eandem ejuſque humidum primigenium & calorem, labefactant, corrumpunt, depeculantur, non verò eâ illæſa occultas aliquas aggrediuntur qualitates, in quibus ſeorſim alia conſiſtat ſanitas & vita, ſpecificè ab occultis venenatiſque qualitatibus lædenda.

LXV. Quæritur itaque qualis ſit morbus, qui à veneno introducitur? reſpondeo ex affectione ejus rei quæ affligitur, non à veneno morbum nominandum. Non affligitur à veneno occulta aliqua qualitas, ſed calor vitalis & humidum primigenium (quibus omninò illæſis nec ſanitas nec vita periclitari poteſt) quæ non in occulta ſed manifeſta temperie & qualitate conſiſtit. Affectio itaque eſt temperiei, & morbus temperaturæ, licet non à manifeſtis ſed occultis qualitatibus illa temperies læſa corruptaque, cum certum ſit pati poſſe calidum & humidum primigenium non ſaltem à manifeſtis ſed & venenatis qualitatibus.

Inductio qualitatis venenatæ, non eſſet morbus vel produceret morbum niſi Calidum nativum adeoque temperiem noſtram læderet; quantum itaque hujus læſum eſt, tantum & morbi introductum eſt, qui ad claſſem morborum intemperiei referri debet.

Sennertus

Sennertus ipſe ſuum ſolvit argumentum, dum inquit, omne agens agit ut ſibi ſimile reddat patiens: reddit autem ſibi ſimile noſtrum corpus (conſtans non occultis ſed manifeſtis qualitatibus) dum alterat & corrumpit manifeſtam temperiem & partium ſyncriſin. Id volebat Galenus lib. 1. de ſem. cap. 16. Et uti venena continuum ſolvendo non alium inducunt morbum quàm unitatis diviſæ ita temperiem manifeſtam lædendo non alium inferunt quam intemperiei.

FINIS.

Contra errores & Paradoxa Novæ Sectæ Sennerto-Paracelſicæ

DISPVTATIO XI.

Continens ſolidam refutationem ſophiſmatum, & abſterſionem calumniarum, quas adverſus proximè præcedentem de Morbis ſubſtantiæ diſputationem, Clariſſ. D. Daniel Sennertus, Academ. Wittenberg. profeſſor, peculiari libro, cujus eſt titulus, Tractatus phyſico-medicus de Calido innato, effudit, & nomine cujuſdam Iohannis Sperlingen perſonatas, in publicum extruſit.

QVAM SVB PRÆSIDIO

IOHANNIS FREITAGII M. D. & Profeſſoris

Defendit

IACOBVS MARTINI Dantiſcanus.

THESIS I.

SAnitatem & morbum eſſe in conſtitutione accidentali, non eſſentiali, ratum eſt D. Sennerto & ejus defenſori non refragranti.

II. Conſtitutio accidentalis eſt diſpoſitio partium corporis actiones benè vel male edens: illa ſanitas, hæc morbus dicitur.

III. Partes

III. Partes ſunt ſimilares vel diſſimilares & organicæ. Quarumlibet partium ſua eſt ſanitas peculiaris,& cõſequenter morbus in propria utriuſq; diſpoſitione conſiſtens. Sanitas eſt in diſpoſitione partium ſecundum naturam actiones naturæ convenienter exercente; morbus in conſtitutione præternaturali actiones lædente.

IV. De conſtitutione præternaturali hac vice diſpiciemus.In quacunque diſpoſitione ſimilarium naturali,actiones ſecundùm naturam edente ſit ſanitas, in eadem præternaturaliter habente & actiones lædente eſt morbus.

V. Diſpoſitio illa eſt qualitas per quam ut inſtrumentum proximum & immediatum actiones ſimilarium benè vel malè perficiuntur.

VI. Hinc ſequitur ſanitatem & morbum in nulla conſiſtere ſubſtantia,ut ſubſtantia eſt; Et cum nulla ſubſtantia immediatè operetur ſine qualitatibus, & benè vel malè operetur pro qualitatum diſpoſitione, ſanitatem & morbum non eſſe in ſubſtantia, ſed ejus diſpoſitione & qualitate, quâ pro inſtrumento utitur ad actiones edendum.

VII. Proinde Calidum innatum ut σῶμα, & corpus ſeu ſubſtantia, proximum non poteſt eſſe animæ inſtrumentum ad actiones edendum,nec in eo, quia pertinet ad corporis conſtitutionem eſſentialem, poteſt eſſe morbus. Eſt enim dicente D. Sennerto l.1.inſtitut.c.4. pars corporis (ſed eſſentialis) & ſubornatus ait in tract. de morb. ſubſtant. Calidum innatum non eſt pars integrans, ſed ad materiam ut partem eſſentialem refertur.

VIII. Pręterea D.Sennert.lib.de Gal.cum Chym.

conſ. & diſſ. cap. 10. Calidum innatum dicit eſſe ſubſtantiam, quæ per qualitatem ſeu calorem inhærentem, qui elementaris ſit, omnes ſuas actiones efficit. Quocircà cum ſubſtantia nullâ immediatè operetur, ſed agat per qualitates tanquam inſtrumenta, & in illa qualitate, per quam ſubſtantia immediatè operatur ſit ſanitas vel morbus, ſequitur, quod ſicut morbus non eſt in materia, & formâ ut ſubſtantiis vel ſubſtantiæ principiis eſſentialibus & conſtitutivis, ita neque in Calido, quod D. Sennerto & ejus propugnatori propriè eſt ſubſtantia, & pars eſſentialis materiæ.

IX. Proinde relinquitur in ſimilaribus ſola qualitas, in quâ morbus ſimilarium ponendus.

X. In quâ diſpoſitione & qualitate ſecundum naturam habente & actiones naturaliter edente, eſt ſanitas; in eadem præternaturaliter habente, & actiones lædente, eſt morbus.

XI. In qua diſpoſitione eſt vita & quæ omnibus actionibus edendis eſt aptiſſima, in illa conſiſtit ſanitas, docente D. Sennerto lib. 1. Inſtitut. cap. 4. In calida & humida diſpoſitione conſiſtit vita, eaque eſt omnibus actionibus aptiſſima, cum caliditas frigiditatem & humiditas ſiccitatem moderatè ſuperat, quod idem D. Sennertus ibidem probat, ex Gal. l. 6. de ſanit. tuend. c. 3. dicente, humidos eſſe maximè longævos, maximè ſanos, & ad ſenium extremum cæteris valentiores. Et ex Ariſt. lib. de long. & brevit. vitæ, vitam in calido & humido conſiſtere, quam diu animal vivit; quæ humiditas & caliditas per omnes ætates ſuos habet gradus. Animal eo citius ſeneſcere, quo magis ad frigiditatem & ſiccitatem vergat.

vergat. Et libro 2. Inſtitut. part. 1. cap. 5. ait, quod cum mors ad frigidum & ſiccum perducat, certè vita illius in contraria caliditate & humiditate conſiſtit.

XII. Conſiſtit itaque vita & ſanitas, non in ſubſtantiá Calidi innati; non in occultis qualitatibus, ſed in diſpoſitione ſeu temperie calidâ & humidâ, in quâ calor frigiditatem & humiditas ſiccitatem moderatè vincat, diſerte aſſerente D. Sennerto; proinde in diſpoſitione, in qua caliditas & humiditas non eſt moderata, ſed vel excedit, vel à frigore & ſiccitate vincitur præternaturaliter, eſt morbus & demum mors, & in quâ ex naturæ ordine ſeparatur, ſenectus.

XIII. In illa diſpoſitione quæ naturæ convenientiſſima, actiones omnes aptiſſimè & rectiſſimè edit, in illa eſt ſanitas; & hanc violari neceſſum eſt, ſi ſanitas periclitari & actiones lædi debeant.

XIV. Quæ cum omnes actiones naturales ubiq; neceſſarias convenienter edat, occultæ qualitates nunquam ſunt in corpore actionum cauſę. Nec enim naturales, nec vitales, neç animales perficiunt actiones, de quibus deinceps agendum.

XV. Priuſquam verò in quæſtione hac, an morbus detur in occultis qualitatibus pergamus, neceſſũ eſt, ut in cauſam & originem harum inquiramus.

XVI. Omnium qualitatum ſive manifeſtarum, ſive occultarum cauſam efficientem eſſe formã ſubſtantialẽ certum eſt. Manifeſtas Subornatus in tract. de morb. ſubſtant. quæſt. 4. R. 5. ait oriri à formis elementaribus: occultas a cæteris. Sed quænam ſunt iſtæ cæteræ formæ? Subornatus Sperling. in tractat. de morb. ſubſtant. quæſtion. 7. ait cauſam

efficientem qualitatum occultarum non eſſe animam: D. Sennertus l. 2. Inſtit. p. 1. c. 4. ait occultarum qualitatum unicam cauſam proximàmque eſſe formam ſpecificam. Contrà propugnator D. Sennerti Sperling. in tractat. de morb. ſubſtant. quæſt. 5. ſub finem ait:

Operationes illas quæ ſuperſunt & eduntur, abſente formâ ſpecificâ, immediatè, ab aliâ forma non ſpecifica dependere, quo ſpectant facultas purgatrix Rhabarb. Terebinth. Verum D. Sennert. in inſtit. lib. v. pag. 1. cap. 2. Occultas qualitates eſſe vel in animatis vel in inanimatis. In his formas ſpecificas eſſe cauſas occultarum qualitatum, in illis verò non, ſed aliam formam, quæ vel cum ipſis ſpecificis animatorum formis ſit initio creata, & cum qualibet propagetur, eaque decedente maneat, vel aliam ſimilem formam, quæ ſit in animato corpore genita à forma ſpecifica, qualis forma lactis, forma ſanguinis, rerumque aliarum.

XVII. Hanc propriè & proximè pro ſu[illegible]cto habere Calidum innatum & ſpiritum inſitum. Hanc, recedente animâ, eſſe occultarum facultatum & operationum auctorem. Nulla autem forma actiones tranſeuntes perficit, niſi mediantibus qualitatibus.

XVIII. Verùm hic iterum D. Sennerti & propugnatoris contradictiones in proſcænium veniunt manifeſtiſſimè. Lib. enim 2. Inſtitut. pag. 1. cap. 4. ait, illas actiones quæ fieri dicuntur à tota ſubſtantia, eſſe ab occultis proprietatibus, quarum proxima & unica cauſa, ſit forma rei ſpecifica; agit verò ibi de iis occultis qualitatibus, in quibus dentur & ſint morbi, quæque lædantur ab aliis occultis qualitatibus.

bus. Ait enim ſubornatus Sperling. in tract. de morb. ſubſt. theſ. 2. quæſt. 1. occultarũ qualitatum morbos introduci, ubi corporis humani qualitas occulta, ab alia occulta qualitate patiatur: quia actiones contrariorum ſint unius generis, & hæc eſt ratio per quam D. Sennertus invehit morbos occultarum qualitatum. Peſtilens itaque diatheſis non introducitur niſi in qualitatem occultam corporis noſtri, nec venenum agit in corpus noſtrum ſed occultam corporis qualitatem ſibi contrariam. Agentia enim hæc inter ſe ſunt contraria: actiones harum dicuntur actiones à tota ſubſtantia; hæ dicuntur fieri ab occultis proprietatibus, quarum unica & proxima cauſa ſit forma ſpecifica.

XIX. Verùm formam ſpecificam non eſſe cauſam occultarum qualitatum in corporibus animatis, ſed illam quæ eſt ſubjectum animæ, dum res vita fruitur, eaque recedente incipit officio formæ fungi, & actiones perficere, quas totius ſubſtantiæ nominamus docet D. Sennertus lib. v. inſtitut. pag. 1. cap. 2.

XX. Cum verò dicit D. Sennertus lib. 2. Inſtit. p. 1. cap. 2. quod illæ actiones, dicantur fieri à totâ ſubſtantiâ, quæ manant ab occultis proprietatibus, quarum proxima & unica cauſa eſt forma ſpecifica, neceſſariò illæ actiones, quæ non fiunt à formâ ſpecificâ, mediantibus qualitatibus ab illa genitis, non ſunt ab occultis proprietatibus: nec ſunt actiones totius ſubſtantiæ. Omnis verò actio totius ſubſtantiæ illis cauſatur à forma, mediantibus qualitatibus occultis à forma ſpecifica genitis. At in animatis formæ ſpecificæ non ſunt cauſæ actionum totius

ſubſtantiæ, ſed formæ aliæ à ſpecificis in animato genitæ, vel ſpecificis concreatæ, & cùm iis propagatæ, neque cauſæ ſpecificæ in iis ſunt, occultarum facultatum & proprietatum auctores; falſum itaque eſt, quod omnis acti[illegible] totius ſubſtantiæ, ſolum fiat à formâ ſpecificâ, operante per proprietates occultas, quarum ſit unica & propria cauſa.

XXI. Omnis enim actio totius ſubſtantiæ fit illis ab occulta qualitate; Iſtius verò qualitatis talem actionem totius ſubſtantiæ producentis, cauſa proxima & unica, eſt forma rei ſpecifica. Ergo omnis qualitatis occultæ cauſa eſt forma ſpecifica, dicente D. Sennerto lib. 2. Inſtit. p. 1. c. 4. Cauſarum actionum totius ſubſtantiæ, ſeu omnium occultarū qualitatum in animatis, cauſam non eſſe formam ſpecificam animati, ſed formam aliam à ſpecifica in animato corpore genitam ait D. Sennertus lib. 5. Inſtit. pag. 1. cap. 2. (videatur textus.) Manifeſta itaque contradictio eſt, docere omnes qualitates occultas oriri à formis ſpecificis, & tamen omnes eaſdem occultas in animatis oriri à formis quæ à ſpecificis generantur, earumque dum in vivis ſunt ſubjectum exiſtunt, & pereuntibus ad officium formale veniunt.

XXII. Sed nova emergit non eluenda difficultas: Cum forma, quæ eſt in animatis occultarum qualitatum cauſa, & cauſa actionum totius ſubſtantiæ, tamdiu ſit ſubjectum formæ ſpecificæ, ejuſque reſpectu materiæ locum vicemque ſuſtineat, donec hæc pereat vel excedat, & tunc demum ad officium formale accedat, ejuſque officium ſit perficere actiones totius ſubſtantiæ, quales fiunt ab occultis

cultis proprietatibus, & generare occultas proprietates, per quas illa operetur, neceſſarium eſt nullam dari in corporibus occultam qualitatem; vel ſi detur, illam operari non poſſe: quia nulla qualitas agit, non operânte principali à qua dependet cauſa. Vivens enim Rhabarbarum non purgare, ſed potius cadaver Rhabarbari aſſerunt. Forma itaque, niſi formæ officio fungatur, ſine quo ad actum primum ſive ſecundum, nullam actionem edit vel edere poteſt: Officium enim formale eſt, actus primus vel ſecundus. Primùm non exercuit; nullam enim occultam qualitatem adhuc generare potuit in ſubjecto; quia forma non generat qualitates in ſubjecto, niſi ſit actu forma; ſed ſi jam actu primò ſit forma, & non exerceat actum ſecundum, priuſquam ſpecifica decedat forma, operationes totius ſubſtantiæ in vivis edi & perfici nequeant.

XXIII. Atqui in animatis, videlicet tam plantis quam animalibus viventibus, actiones totius ſubſtantiæ fiunt, & operantur occultæ qualitates. Sed hæ operari nequeunt, niſi à forma actionis initium capiant vel dirigantur & uſurpentur. Sed in illis viventibus hæ formæ, à quibus occultæ qualitates ſunt nondum operantur, nec eas actiones quæ totius ſubſtantiæ nominantur, edunt: loqui autem D. Sennertum de occultis qualitatibus earumque cauſis & operationibus, quæ tam in animalibus quam plantis reperiuntur clarè ex citato loco lib. 5. Inſtitut. cap. 2. liquet: inſpiciatur textus allegatus.

XXIV. Sed de hac materia nondum eſt contra-

dictionum

dictionum apud illos finis, ſiquidem D. Senn. licet cum ſuo propugnatore fateri cogatur, omnem qualitatem eſſe à forma, ut cauſa efficiente, tamen actiones occultarum qualitatum, quæ ſunt actiones totius ſubſtantiæ, adſignat lib. 1. Inſtitut. cap. 5. Calido innato, quatenus eſt ſubſtantia ſuperelementaris, non quatenus eſt ulla forma prædita, & hoc ipſo vult demonſtrare Calidi Innati ſubſtantiam non eſſe elementarem, nec ex elementis (ut loquuntur) compoſitam.

XXV. In hoc ait, Sympathiarum & Antipathiarum fundari rationem; in hoc naturam purgandi, venenis reſiſtendi, veneno inficiendi, aliaque agendi ponit.

XXVI. Hæc itaque virtus eſt in corpore Calidi innati, quatenus eſt ſuperelementaris naturæ: vel ſi ſit elementaris naturæ, ait D. Sennertus neceſſum eſt, ut illa elementaris ſubſtantia, habeat formam & eſſentiam peculiarem per formam, à qua hæ actiones oriantur. Proinde dummodò ſtatuitur, quod Calidum innatum ſit corpus ſuperelementare; poteſt has actiones edere ex innatâ virtute ſine formâ; at ſi ſit corpus elementare, neceſſum eſt ut accedat forma quæ ſit harum actionum in hoc corpore cauſa.

XXVII. Actiones itaque totius ſubſtantiæ Doctori Sennerto etiam poſſunt edi, non ſaltem à formis, & ab occultis qualitatibus, ſed & à Calido innato, quia illa potentia poteſt eſſe in Calido innato, quod ſit ſubſtantia ſuperelementaris.

XXVIII. Formam autem nobiliorem poſſe materiam

teriam ignobilem, & elementarem ſic diſponere, ut edat actiones nobiliſſimas ſupra elementarem conditionem ibidem concedit Sennertus.

XXIX. Verùm ut contradictiones ex contradictionibus texat, & rem magis impiicet, & evertat lib.5.inſtitut.cap. 5. quo lectorem relegat, cauſam actionum totius ſubſtantiæ ponit in forma Calidi innati, ſuperelementaris naturæ & hanc ait eſſe occultarum facultatum auctorem. Quocircà in Calido innato non eſt illa potentia, quatenus eſt corpus ſuperelementare, quia illam habet per propriam & peculiarem formam.

XXX. Vnde falſum eſt Calidum innatum, ſi ſtatuatur eſſe ſuperelementare non habere opus formâ, quia ex ſe, ſuâque naturâ ſine formâ actiones tam nobiles perficiat. Et falſa eſt demonſtratio originis Calidi innati, quod ideo dicant illud eſſe non ex elementis, ſed ſuperelementaris proſapiæ, quia tam nobiles actiones perficiat, elementorum viribus longè ſuperiores. Deindè non eſt neceſſarium, ut forma quæ eſt nobiliorum actionum cauſa, pro ſubjecto habeat Calidum innatum, quia nobilis forma requirat nobilius ſubjectum, cum forma nobilior poſſit ignobiliorem materiam ſic diſponere, ut commodum ejus ſit ſubjectum, actionesque edantur nobiliſſimæ, quæ ſunt concepta D. Sennerti verba.

XXXI. Demum, cum forma ſpecifica in non animatis ſit cauſa occultarum qualitatum ibique immediatè informet corpus mixtum elementare, non Calidum innatum primò; neceſſum eſt occultas qualitates, in ſubjecto corpore elementari, vi formæ

formæ genitas eſſe & fieri ibi operationes occultarum qualitatum & totius ſubſtantiæ non à Calido innato, non quatenus forma ſit in Calido, ſed quatenus illa inſit materiæ elementari, eamque informet, diſponat & in eâ qualitates ſibi convenientes, ad operationes nobiliores edendum producat. Si reſpondeat de tribus principiis, eſt reſponſio de tribus capellis, quia & illa ex elementis nata eſſe probatum eſt.

XXXII. Concilientur hæc effata: Omnis actio ſubſtantialis peragitur ab occultis qualitatibus, actio totius ſubſtantiæ & rerum Sympathiæ & Antipathiæ perficiuntur à Calido innato. Omnis occulta qualitas eſt à forma ſpecifica, occultæ qualitates animatorum, non ſunt à formâ ſpecificâ, &c.

XXXIII. Ex Danielis Sennerti Inſtitutionibus diſcrepantes & ſibi invicem contradicentes de occultis qualitatibus opiniones recenſuimus, non quod ulla harum penè vera ſit (formam enim ſpecificam animatorum eſſe cauſam occultarum qualitatum non negamus) ſed ut chaos abſurditatum ibi conſaburratum eſſe, & de unâ re non ſemel à Daniele Sennerto & ejus Ganymede contrarias & contradictorias proferri demonſtremus, opiniones.

XXXIV. Cæterùm, verum non eſſe quod actiones totius ſubſtantiæ, quales ſunt Sympathiæ & Antipathiæ, fiant à Calido innato, quia ſit ſuperelementaris conditionis, cum ſuperius demonſtratum ſit Calidum innatum eſſe ſecundùm

omnes

omnes ſui partes, & conſequenter ſecundum totum, ex elementari materia abunde convicimus. Deinde cauſam occultarum qualitatum in animatis non eſſe formam aliquam quæ à ſpecifica in corpore animali genita fuerit, ejuſque ſit ſubjectum, quod talis ibidem juxta Danielis Sennerti regulam nec gigni poſſit à ſpecifica, nec ejus ſubjectum & materia eſſe, nec forma ſpecifica ſi ejus ſubjectum & materia eſſet, perire poſſet. Tertio quod occultæ qualitates, in animatis à forma eorum cauſa efficiente, non generentur vel producantur in Calido innato, ut eſt ſuperelementare & quinteſſentiale quid, cum id ex elementari materia ſit genitum, totumque elementare. Et quod forma nobilis etiam poſſit informare elementare corpus & ad nobiles actiones, teſte Daniele Sennerto, edendum diſponere. Diſpoſitio ſit per qualitates in materia genitas.

XXXV. Etſi itaque veriſſimum ſit, omnem qualitatem occultam generari à formâ, tamen à tali forma qualem Daniel Sennertus ponit, & taliter generari, & in tali materiâ eam produci falſum eſt.

XXXVI. Proinde certum eſt omnem qualitatem ſive ſit manifeſta ſive occulta generari à forma ſpecifica: quia tam formæ elementorum generantes primas qualitates manifeſtas ſunt ſpecificæ, quàm aliæ quæ manifeſtas è corporibus miſtis alias producunt.

XXXVII. Oc-

XXXVII. Occultæ verò pariter generantur à formis ſpecificis, ex eadem materia, ſed à formis rerum miſtarum.

XXXVIII. Generantur verò ex ſubjecta materia quam informat ſpecifica forma, quia hæc propriè & verè largitur differentiam ſpecificam, & quidditates & propria accidentia ſeu qualitates & proprietates formales.

XXXIX. Generat autem illas non ex ſua eſſentiâ vel ejus diviſione, ut vult D. Sennertus generari & propagari ſpecificas formas; neque fiunt à formis ex nihilo; ergo ex ſubjectæ materiæ potentiâ. Materia illa non eſt Calidum innatum, ſuperelementaris conditionis; quia omne Calidum innatum eſt ex elementis; neque ſunt tria principia, quia & illa ex elementis eſſe, probatum eſt in diſputatione, de principiis rerum naturalium materialibus: & ipſe D. Sennertus, cap. 9. libri de Galenicor. cum Chymicis conſ. & diſſ. idem teſtetur. Materia itaque ex cujus potentia educuntur occultæ qualitates, eſt mixtorum corporum elementaris.

XL. Hæ autem qualitates, non præcedunt formam ſpecificam in miſtis, ut neceſſaria diſpoſitio pro educenda vel inducenda formâ, ſed etiam inductam ſequuntur, ut effectus ſuam cauſam.

XLI. Quarè, cum illa diſpoſitio, quæ qualitas neceſſaria fuit, quâ mediante educeretur vel induceretur forma, etiam ſit neceſſaria, pro retinenda formâ in materia, eique ad omnes actiones toti neceſſarias ſerviat pro inſtrumento proximo, neceſſariò formam ſpecificam, cujus eſt inſtrumentum anteceſſit & in

materiâ

materiâ præfuit. Temperies enim calida & humida & calidi innati materia, in qua vita per animã ſupervenientẽ eſt, & conſervatur, quaque omnes actiones vitales perficit, non fit ab anima, ſed jam erat in ſubjecta materiâ & corpore animando; neque illa qualitas à forma ſuperveniente demum in corpore generatur, ſed præfuit: ab anima verò accipit rationem & vim ut ſit ejus inſtrumentum, veluti ſuprà demonſtratum eſt. Quod enim calor innatus, ſivè pro qualitate accipiatur, ſive pro ſubſtantia, eaque elementari vel ſuperelementari, ſit eſſentia quædam vel accidentalis vel ſubſtantialis, id non habet ab anima; quod verò ſit ejus inſtrumentum ad vitales functiones aptum, habet ab anima.

XLII. Quæ qualitates Formam in materia conſervant, ex hoc quod hanc in iſtâ diſpoſitione ſervãt, ut commoda ſit animæ ſedes, & vitam & actiones omnes naturæ animalis neceſſarias conſervant & perficiunt: at hæc eſt calida & humida diſpoſitio, ſeu temperies calida & humida, quatenus docente D. Senert. lib. 1. Inſt. cap. 4. Frigiditatem & humiditatem moderatè ſuperat. Non itaque vita & ſanitas in Calido innato, ſi eſſet ſubſtantia ſuperelementaris conſiſtere poſſet, quia tale non datur, neque ſi daretur id opera naturæ vitalia ut ſubſtantia exercere poſſet, uti probatum eſt, quia calore elementari ut ſuas actiones perficiat opus habere ait dicto lib. de Galen. cum Chymic. conſ. & diſſ.

XLIII. Vt itaque in tali calido, nec vita nec ſanitas, ita nec in occultis qualitatibus quæ non præcedunt ſed ſequuntur Formam, neque ſunt neceſſaria diſpoſitio pro ſervanda Forma in ſubjecto, ne-

que actiones vitales,animales & naturales exercent.

XLIV. Quod ut accuratiùs demonſtremus; tenendum quod ſanitas conſiſtat in conſtitutione accidentali non eſſentiali, uti ipſi adverſarii non diffitentur:proinde ſimilarium conſtitutio,in qua eſt ſanitas & morbus eſt qualitas ſeu temperies,in primarum qualitatum juſta moderatione & ſymmetria conſiſtens. In qua conſtitutione ſimilarium conſiſtit ſanitas, in illa & vita eſt, quod ſuperiùs demonſtratum eſt: proinde falſum eſt, quod ſanitas & vita conſiſtat in Calido innato, quia id eſt D. Sennerto & ejus propugnatori corpus & pars eſſentialis materiæ corporis, uti uterque aſſerit: Morbus verò non in conſtitutione eſſentiali,ſed accidentali, eſt.

XLV. Falſum etiam quod in Calido innato, ut ſupraelementari corpore conſiſtit vita, & omnium actionum vitalium & naturalium cauſa, nec ſic operatur nec operari poteſt, ut probatum eſt.

XLVI. Reſtat itaque ut in conſtitutione accidentali ſimilarium quæramus ſanitatem. Hanc duplicem facit D. Sennertus; aliam ex temperie primarum qualitatum; aliam ponit in occultis.

XLVII. Sed quibus rationibus adſtruit D. Sennertus ſanitatem conſiſtere in occultis qualitatibus? Duæ ſunt: harũ prima eſt,quod omnia ad manifeſtas velle reducere qualitates,ſit ſumma impudentia. His verbis quidem vult Scaliger oſtendere,præter manifeſtas elementares qualitates, dari etiam occultas.

XLVIII. Verum non ſequitur, ſi dantur occultæ alibi qualitates, etiam dabuntur in ſimilaribus partibus, aut ubique locorum: ſed ille adfert rationes cur neceſſario dentur: una eſt, quod non conſtent

ſtent ex elementis tantum partes corporis, ſed ex ſpiritu vivifico & humido primigeniò, quodque habeant formam & animam, à quibus multæ fluunt nobiles qualitates, uti videre ſit in antipathia & ſympathia earum cum aliis corporibus naturalibus. lib. 1. inſtit. cap. 3. Secundo ait, neceſſario dari in ſimilaribus conſtitutionem occultarum qualitatum peculiarem, quia ſine illis temperies ex primis ſalva eſſe nequeat. lib. 2. Inſtitit. p. 1. cap. 2.

XLIX. Prima ratio nulla eſt, quia ſpiritus vivificus natus & ortus eſt ex elemētis, uti demonſtravi: & quod vivificus eſt, id ab animâ habet, non quatenus eſt ſuper elementaris naturæ: Vita verò ab anima eſt ut causâ principali, Humidum primigenium pariter eſſe elementaris naturę demonſtravimus. Ab anima & formis generari qualitates ex elementari miſtorum materia, eaſque occultas vel manifeſtas ſæpiùs aſſertum eſt; ſed non in omnibus qualitatibus conſiſtit vita & ſanitas, neque in iis quæ per ſympathiam aut antipathiam agunt.

L. Neque eſt quod objiciant qualitates ſimplicium reſpicientes cerebrum, pectus, pulmones, ventriculum, undè alia cephalica, pectoralia vel ſtomachica dicuntur. Harum convenientia à ſimilitudine craſis ex primis qualitatibus, & miſtorum corporum variè remiſtorum idioſyncraſia oritur, & hæc ſimilitudo & convenientia conſiſtit in idioſyncraſiâ qualitatum primarum, & ex primis ortarum, & in modo ſubſtantiæ inde nato: talis ſympathia eſt in membranoſis & nervoſis partibus cum meningibus & nervis. Salvia reſpicit caput & cerebrum, propter temperiem & peculiarem ſubſtantiæ modum ex mi-

 ſtione

ſtione peculiari ortum; temperies à forma dirigitur: qualitates enim elementares à formâ & animâ directas, & majorem accipere vim, & ſupra ſuæ indolis & originis rationem operari majoreſque propriâ & nativâ virtute actiones edere, contra clamores D. Sennerti, & impudentes cavillationes ejus propugnatoris, ad ſatiem demonſtratum eſt.

LI. Sic inter nutrimentum & corpus nutriendum ea eſt temperies & ſubſtantiæ ſimilitudo & convenientia, ut illud in hoc intercedentibus quibuſdam mutationibus vertatur & avidè attrahatur.

LII. Etſi itaque non negemus fieri poſſe ut inveniantur in nonnullis corporibus occultæ qualitates, tamen in his vel ſanitatem, vel ullam ſanitatis rationem, vel temperiei in ſimilaribus conſervationem conſiſtere omninò negamus. Quibus enim rationibus demonſtrabit D. Sennertus, ſine occultis qualitatibus ſalvam non eſſe poſſe temperiem primarum. Dicere non eſt probare. D. Sennertus dixit. Ergo: Quod conſervatur id à ſimili conſervatur: occultæ toto genere illi ſunt diſſimiles.

LIII. Verum ut rem ex ipſo fonte arceſſamus & demonſtremus, hæc ſubjicienda immobilis veritatis regula, quod in illa qualitatum diſpoſitione & moderatione conſiſtat ſanitas & vita, à qua actiones perficiuntur, quibus vita & ſanitas conſervatur: vita & ſanitas uti probatum eſt conſiſtunt in calido humido, & continuata actione caloris in humidum, ex qua actione & humidi conſumptione, ſubſtantia noſtra in qua vita conſiſtit, eſt in perpetuo fluxu: quæ ut conſervetur continua indiget reſtauratione, reſtauratio fit nutritione, qua perficitur deperditi reſtaura-

reſtauratio. Vnde Scal. exer. 31. inquit, eſſe & conſervari acceptum fertur eidem auctori eidemque principio. Nihil enim aliud eſt conſervatio quam eſſendi continuatio. Idcirco iis alimur è quibus facti ſumus, ut conſervatio ſit quaſi quædam perpetua generatio. Vita itaque conſiſtit in calido & humido, quod in jugi fluore cum conſtet, jugi reparatione ad hoc indiget. Ad hoc duæ requiruntur cauſæ, videlicet efficiens & materia: efficiens vitæ ut cauſa principalis eſt anima, proximum inſtrumentum quo conſervetur calor nativus, per quem operatur. Ab hoc eodem principio eſt eſſe, & conſervari videlicet inſtrumentaliter. Calor ſe ipſum conſervando, vitam conſervat; ſe conſervat jugi regeneratione pabuli jugiter à ſe conſumpti; id verò eſt humidum primigenium. Materia quibus humidum reficitur, & continuo reſarcitur eſt & eſſe debet talis, qualis per actionem caloris cõſumpta & perdita eſt: iiſdem dicebat Scaliger alimur, ex quibus facti ſumus & conſtamus: Humidum illud & ſpiritus inſitus conſtat ex elementis: ergò elementari materiâ, quod eorum perditum eſt reſtauratur.

LIV. Non poteſt autem reficere hæc materia niſi ſimilis fiat; debet enim inter ſubſtantiam nutriti & nutrientis, ea eſſe ſimilitudo, ut hoc ſit potentia, quod eſt illud actu; Nutrimentum potentia, ut actu fiat nutrimentum, & nutrimentum actu, ut fiat actu nutritum, opus eſt mutatione ſubſtantiali, quæ perficitur coctione, & nutrientis in ſubſtantiam nutriti converſione. Hæ operationes ſunt unius caloris innati, qui ut vitam & ſanitatem tueatur ſe conſervat: ſe verò conſervat, humidi conſumpti reſtauratione,

tione,id reſtaurant quatenus per concoctionem verum gignit nutrimentum,& id in ſubſtantiam humidi & partium convertit.

LV. Hinc D. Sennertus lib. de Gal. & cum Chym. conſ. & dif. cap. 12. dicit. quod calores & ſpiritus inſitus ſit commune naturæ inſtrumentum, quo ad virtutes rerum fovendas utatur: animam caloris & ſpiritus beneficio attrahere utilia, attracta coquere & ſimilia reddere, & quod alienum eſt ſeparare. Calorem verò iſtum eſſe elementarem ipſius Sennerti teſtimonio probavimus. Spiritum ex elementis ortum eſſe demonſtravimus. Tali itaque modo à calore fit coctio, miſtio, aſſimilatio, nutritio & deperditi per calorem reſtauratio, in qua reſtauratione vita & ſanitas conſiſtat: calor verò non alia miſcet, coquit, unit, quàm corpora elementaria, ut & ibidem fatetur D. Sennertus, quia in alia diverſi generis corpora taliter agere non poteſt.

LVI. Quod conſumitur elementare eſt, illud, quo conſumptum reſtauratur, elementare eſt, quod materiam reſtaurationis elaborat & in alimentum & demum in ſubſtantiam nutriti vertit, elementaris calor eſt, ab anima directus; neque enim ille in alia quam elementaria corpora agere, neque hæc ab alio quopiam miſceri, ſubigi vel in aliud quidpiam verti & mutari, neque aliud quidpiam diverſæ naturæ & toto genere diſſidens, quales ſunt qualitates occultę, taliter in illa agere poſſunt. Actione enim iſtâ caloris in humidum conſervatur vita & ſanitas.

LVII. Ex quibus abundè liquet, vitam & ſanitatem non eſſe in occultis qualitatibus neque ab iiſdem conſervari, quia Scaliger inquit eſſe & conſer-

vari ab eodem dependere authore, & ab eodē principio, neque enim in natura & poteſtate eſt occultarum qualitatum, conſtituere vel ſervare vitam & ſanitatem. Ipſe D. Sennerti propugnator vitam & vitales actiones primò ponit in calido ſuperelementari: Et ſanè ſi in occultis qualitatibus eſſet quędam vita & ſanitas, illam oporteret eſſe omnibus animantibus communem, quemadmodum illa quæ eſt à temperie, talemque eam eſſe oporteret, ut hac præſente animal viveret & valeret, caſsâ, vel labente moreretur aut ægrotaret homo. Nec verò illa qualitas, quâ alius odit mures, alius averſatur caſeum, alius alio delectatur, aut aliter afficitur, eſt communis; neque ad rationem ſanitatis pertinet. Non minus ſanus & is qui proprietate quadam naturæ mures odit, quam qui ex eadem eas impensè amat. Vtriusque dantur exempla.

LVIII. Quomodo vita & ſanitas conſiſtant in temperie calida & humida ſufficienter demonſtravimus, uti & hoc ſuperius probatum eſt, in ea omnium ad actiones tam organicas quam ſimilares, & omne ſanitatis vitæque eſſe fundamentum.

LIX. Sed an ipſe Subornatus cum D. Sennerto vitam & ſanitatem ſtatuunt in occultis qualitatibus? nequaquam: cum enim hanc in temperie elemētari non poſſe conſiſtere clamarent, quia nihil agat ſupra ſuas vires (quæ ratio male his applicata, ſatis ſuperque ſuperius refutata eſt) concoctionem cæteraſque vitales, naturales & animales actiones, & potentiam videndi, audiendi, ambulandi, non occultis qualitatibus ſed calido innato ut corpori ſuperelemētari adſcribunt: in hoc conſiſtere vitam, ergo & ſanitatem

 ſtatuunt:

ſtatuunt: ergo & actiones vitales & animales inde dependere & proficiſci ajunt.

LX. Verum quod ante negavit Subornatus in tractat: de morbis ſubſtantiæ quæſtione ſeptima, R. 1. videlicet calorem elementarem, nec coquere, nec vivificare, nec legitimam temperiē partibus concedere, id quæſtione octava maſculè affirmat, & calorem coquere, quia coctio fiat ex oppoſitis paſſivis; quinimò definitionem Ariſtotelis, quod coctio ſit perfectio à calore naturali & proprio ex oppoſitis paſſivis, in practicis de morbis ſubſtantiæ folio 62. retinet, probat & rectè explicat. Calorem ait vivificare quia contraria ſuperat & recte gubernat, ergo has actiones fieri à calore elementari tradit. Verum reſpondebit Subornatus, ſe loqui ex mēte Ariſtotelis; cui repoſitum velim, aut Ariſtotelem verum dicere vel falſum: ſi verum, bene eſt; ſi falſum dicet, regulæ, quod omnes actiones ſint contrariorum unius generis, veritas re ipſa non defenditur contra me: ſi falſum; contrà me allegari nec debet nec poteſt, quia ubi ceſſat Ariſtotelis veritas, ibi & ego deſino eſſe Ariſtotelis ſectator: neque enim illum, uti ſubornatus ſuum Sennertum (miſericordiâ ſane dignum, ſi quo ad eruditionem cùm naturæ genio comparetur) ejuſque novam ſectam calumniis, mendaciis, cavillationibus, ſarcaſmis aut, quod extremæ impietatis ſit, ſacrarum literarum veritatem, & fidem Chriſtianam labefactando defendere cupiam.

LXI Verùm cui erunt uſui occultæ qualitates, ſi non ſufficit temperies ad actiones vitæ, quæ ſunt elemen-

elementari temperie ſuperiores. D.Sennertus, ad Calidum innatum recurrit, quod, quia ſit ſuperelementaris naturæ, illas perficiat quæ ab elementaribus qualitatibus perfici nequiverunt. Verum nec hoc contentus, ait adhùc requiri occultas qualitates & formam. Verum ubi quæſtio eſt de inſtrumentis formæ, ille inter ea numerat formam, quæ cauſa eſt principalis, cujus qualitates & (ut male dicit Sennertus) Calidum innatum ſint inſtrumenta. Verum ad actiones vitæ neceſſarias ſufficit temperies ex manifeſtis qualitatibus, ut formæ conveniens, idoneum & ſufficiens, veluti demonſtratum eſt, inſtrumentum. Supervacaneum eſt & ἀφιλόσοφον ad occultas qualitates & Calidum innatum, quod per ſe ipſis, & propriè ſubſtantia eſt, nec immeditâte operari & nullatenus naturæ operationes ut ſubſtantia ſuperelementaris perficere poſſet, currere, & entia præter neceſſitatem multiplicando, veteris diſciplinæ veritatem labefactare; & bonas artes corrumpere velle.

LXII. Nunc videamus fundamentum & rationem, cui ſubſtructa eſt febriculoſa de morbis totius ſubſtantiæ ſeu occultarum qualitatum opinio. Omnis actio fit inter contraria unius generis, occultæ qualitates agunt in corpus noſtrum, quatenus id ſuis qualitatibus conſtat: ergò agent in qualitates ſibi propriè contrarias.

LXIII. Vbi primò notandum quod dum D. Sennertus hæreſin Fernelii de morbis ſubſtantiæ refellit, hic pejorem illa ipſemet inducat, ſiquidem Fernelius morbos quos ipſe in verâ

ſubſtantia collocabat (ſi tales dari poſſent) merito morbos ſubſtantiæ nominet, D. Sennertus vero morbos qualitatum, dicat eſſe morbos ſubſtantię, & ex iis novum in ſimilaribus partibus morborum genus cudat & invehat.

LXIV. Morbus qui eſt in qualitate, quæ eſt res tot genere à ſubſtantiâ diverſa, ſine magna abſurditate nequit appellari morbus ſubſtantiæ. Sed reponit eſſe litem nominalem, parvique faciendam, & in novis inventis, ut nova aſſignentur nomina, poſtulare neceſſitatem. Verum non eſt lis nominalis, cùm illa res quæ qualitatis eſt, dicitur eſſe ſubſtantiæ. Sapientes ex rerum quantum licuit natura, indidere nomina. Et magnæ arrogantiæ & præter neceſſitatē eſt nulla ratione, nulloque jure, id nominare morbum ſubſtantiæ, quod eſt morbus in qualitate. quicunque audit D. Sennertum, novos in occultis qualitatibus ponere morbos, ille ſatis intelligit ipſum producere novum morborũ genus ut non ſit opus illud titulo ſuæ naturæ plane inconvenienti indigitare. Sed novæ abſurditatum ſectæ conditori novo abſurdè imponere nova nomina, & ſcapham vocare ligonem & ligonem ſchapham utique licebit.

LXV. Sed ad rem ipſam & argumentum Sennerti; Si datur occulta qualitas quæ agit in nos & morbum producit, neceſſum eſt dari occultam qualitatem in nobis quæ patiatur: ratio eſt, quia omnis actio ſit inter contraria unius generis. Hanc regulam univerſaliter ſumptam demonſtravi eſſe falſam, & à primo omnium actionum fonte, qui eſt Deus, rem arceſſendo, probavi falſiſſimum eſſe quod dicitur,

tur,

tur, Omnem actionem eſſe à contrariis quæ ſunt ſub eodem genere, falſumque per contrarietates eas fieri & perfici, ſiquidem nec actus agit in finitum, ut eſt unius generis, nec finitus per contrarietatem, immateriatus in materiatos, quod ſit unius cum illis generis, vel quod inter ipſos ſit contrarietas. Sed nec actus ſeparabiles & per ſe extra ſuam materiam exſiſtere potentes, vel inſeparabiles materiæ vitio pereuntes, agunt in materiam per contrarietatem, vel ut in contrarium.

LXVI. Verum cum nomino actus materiatos materiam informantes, protenus exclamat ſubornatus Sennertianus, regulam illam non de actionibus formæ, dum videlicet informat materiam juxta Ariſtotelem, ſed de efficientibus intelligendam eſſe. Verum ſic primò cadit regulæ univerſalitas, quod omnes actiones fiant à contrariis: tam enim formæ formaliter agunt quàm efficientes efficienter.

Verum ut ad rem magis reſpondeamus, Actus formæ ſunt vel primus vel ſecũdus; primus eſt, quo ipſo eſt entelechia & perfectio rei; ab eo eſt, uti à forma, & dicitur purè formalis: ſecundus verò actus ab eo eſt velùt à cauſa efficiẽte, ut intelligere, videre, ſentire, ambulare; quæ actiones non fiunt à contrario in contrarium. Secundo omnis accidentis cauſa ſubſtãtia certa, & omnis qualitas generatur à forma, ſive illa ſit occulta ſive manifeſta, idque non per generis communitatem aut naturarum contrarietatem. Tertiò forma generat formam, vel per diviſionem ſui juxta D. Sennertum, vel per eductionem formæ è po-

è potentia materiæ; utrum harum recipias generationis modum, nullibi ſubſtantia ſubſtantiam generat, vel forma formam per contrarietatem vel actionem contrarii in contrarium, nec ſubſtantia, ut cauſa principalis ſibi ſimilem generans, agit per contrarietatem: generatio vero & formæ productio, eſt actio cauſæ efficientis, & ſic forma ſpecifica generat ſpecificam.

Quarto, forma ſpecifica Danieli Sennerto etiam generat alias formas quæ non ſint ſpecificæ, neque ſui generis, *Libro quinto Inſtitutionum Parte* I. *Capite ejusdem ſecundo.* Vbi tradit D. Senner. quod forma plantæ, qualis eſt Rhabarbarum, generet aliam à ſe diverſam genere formam, qua dum illa adſit utatur pro ſubjecto; quæque illâ recedente formale officium aggreditur, ſed neque illa per contrarietatem agit, in generatione ſcil. hujus formæ.

Quinto, Ganimedes ſtatuit, Formas ſubornatas actu entitativo exſiſtentes in rebus, ex ſubjecta materia ſibi formare corpus, ſiquidem anima ſcarabæi ex ſterquilinio & cadavere equi, in quo eſt actu entitativo, fabricet ſibi corpus quod poſteà informet. Neceſſum eſt itaque ut antequam forma fiat actus primus corporis organici, corpus conſtruatur à forma actu entitativo exiſtente: quia anima eſt actus corporis organici, & omnia fiunt ab efficientibus non ut agunt per contrarietatem, neque ſunt cum effectis unius ſemper generis.

Sexto, Formas ſpecificas, quas Subornatus barbarè à formis ſubordinatis genere diſtinguit, in quarum numero eſt anima rationalis, docet eſſe ſui cor-

corporis architectrices; ubi forma eſt cauſa efficiens, non agens per contrarietatem, ædificat illud corpus quod poſteà eſt informatura.

Septimò, Huc pertinet quod idem Subornatus in tractatu de formarum origine (ubi notanda eſt impudens & ſeſquipedalis contradictio) ait: Formam oſſis, carnis, nervi, eſſe in ſemine & ſibi formare, nervum, os, carnem, &c. cum illud munus antea, ab ipſomet & ejus Vejoue, animæ totum corpus & omnes partes ejus ſpecialiter effigianti, ut in diſputatione tertia probatum eſt, aſſignatum.

LXVII. Ex quibus omnibus apparet, quod actionum maxima pars non fiat à contrariis ejuſdem generis, & ſi actiones, formarum prout informant actuantque velit excipere & reſtringere, ut fecit, hanc regulam ad ſolas cauſas efficientes; jam demonſtratum eſt quomodò formæ modò ſuſtineant perſonam & munus formarum informantium, modò actuum quatenus ſunt actus actionum & cauſæ efficientes operationum, quæ per ſubſtantias compoſitas efficiuntur. Quod actiones formarum, quæ per ſimplicem emanationem fiunt huc non pertinere deblateret, Subornatus Sperlingerus id vanum eſt, ſiquidem de omnibus actionibus cujuſcumque generis eſt quæſtio. Et licet idem Subornatus, cum videat, ſe regulam defendere non poſſe, ſubterfugia & latibula quærat, tum in Ariſtotele tum alibi, & cum in ſubſtantiarum actionibus, illam fallere & falſam eſſe videt, ad qua-

ad qualitates reſtringere conatur, ubi non minus naufragium facit, idque tam in occultis quàm in manifeſtis.

LXVIII. Actiones itaque omnes ratione cauſarum efficientium, quatenus ſunt principales & ſubſtantiæ, quæ aliis ſubſtantiis nec qualitatibus non ſunt contrariæ, non fiunt à contrariis nec per contrarietatem. Subſtantiæ & actus illi ſunt materiati, ut anima quæ dicitur materiata, quod materiæ imm ergatur eamque informet, licet à materia ſeparata per ſe ſit ſpiritualis; vel immateriati, quales angeli vel genij nullum cum materia conſortium habentes, vel materiales ex potentia materiæ orti, quales ſunt animæ beſtiarum cæterarumque rerum; hi omnes agunt ſine ulla contrarietate, nec per contrarietatem, & in hos omnes agit actus infinitus, & omnipotens, à quo illi dependentiam habent, & tantum continent potentiæ quantum diſtant, ut finiti ab infinito actu & creatore.

LXIX. Cum igitur in actionibus à ſubſtantiis & cauſis principaliter efficientibus editis hæc regula non habeat veritatem; videndum erit an in actionibus efficientium inſtrumentalium locum aliquem inveniat.

LXX. De his dici poteſt, quod agant per contrarietatem, & per contrarietatem ſuas actiones perficiāt: Verum animadvertendum, quod qualitates ſint occultæ vel manifeſtæ, & quod nec occultæ nec manifeſtæ omnes ſuas operationes perficiant per contrarietatem, quandoquidem apertæ qualitates eo ipſo quod coctionem perficiunt, quod ſubſtantiam miſti generant & conſervant, quod vivificant, quod

ſecundas qualitates producant, omnes actiones ſuas per contrarietatẽ non perficiunt, neque ut contraria in cõtraria operantur: Pro exemplo ſit calor, qui D. Sennerto communis eſt animæ δημιέργ⊕; is dicitur eidem, materiam attrahere, attractam retinere, retentam concoquere, &c, quæ non ſunt actiones contrarii in contrarium. Sed audiat ipſe qui Ariſtotelicæ regulæ ignorantiam aliis objicit, quam vel perperàm ipſemet eandem intelligat, vel prout corrumpendis bonis diſciplinis & evertendis veritatis præceptis natus & factus eſt, eandem malitiosè depravare, & in vanum ſenſum detorquere non erubeſcat. Audiat inquam Clariſſimi Sabarellæ verba, docentem, quod actio primarum qualitatum ſit duplex, una univoca, altera æquivoca.

Vnivoca operatio eſt, qua unaquæque qualitas idonea eſt gignere ſimilem, quod & prędtare nequit, niſi contrariam alteram interimat. Quare ſicuti calidum calefacit, & generat calidum corrumpendo frigidum, contrà etiam frigidum generat frigidum, interimendo calidum, ita ſiccum exſiccat, ſeu generat ſiccitatem, corrumpendo humidum & humidum humectat & producit humidum perimendo ſiccitatem. *Æquivoca* eſt, qua producunt ſecundas omnes qualitates & ipſam quoque miſti naturã, diverſam à naturis elementorum. Priorem operationem exercent omnes primæ qualitates & in ſimplicibus & in miſtis, quo ſenſu omnes & activæ & paſſivæ rectè dicuntur, quia quælibet ſuam contrariam deſtruere, & ſibi ſimilem producere nititur. Poſteriorem autem operationem exercent tantum in miſtis, eaque præcipua eſt elementorum operatio, prout ele-

ut elementa dicuntur, & hujus poſterioris actionis gratia priorem univocam ſcilicet, illis largita eſt natura, utpote ſine qua æquivocam exercere minimè potuiſſent. Quapropter ratione ſecundæ hujus actionis Ariſtoteles duas tantum activas qualitates & duas paſſivas vocat. Hæc enim actio non amplius contrariæ eſt in contrariam, ſed tanquam artificis in materiam. Calor enim tanquam artifex concoquit, elaborat & terminat humidum & ſiccum, tanquam ſubjectam materiam, ad patiendum aptam, atque inde ſecundas qualitates, adeoque ipſum miſtum à natura elementorum diverſum producit. Siccitas autem & humiditas nullam habent vim actionis æquivocæ, qua agendo aliquid diverſum producere poſſint, ſed ſunt diſpoſitiones materiæ aptæ ad patiendum, à duabus activis tanquam ab artifice elaborante. Ita igitur & hac ratione calor & frigus ſunt ſolùm activæ qualitates & ſe habent inſtar artificis; humiditas autem & ſiccitas tantùm paſſivæ, & habent ſe ut materia.

LXXI. Ex his patet, primas qualitates non ſolum univocè ſed & æquivocè agere & univoca actione tantum agere in contrarium, in concoctione autem perficienda, & miſti generatione, maximam & præcipuam actionis partem eſſe æquivocam, & potiſſimum æquivocè agere, quia non tantum ibi eſt opus ut cicuretur & temperetur frigus, ſed ut opera caloris homogenea congregentur, heterogeneæ partes ſeparentur, humidum concoquatur, elaboretur, cum ſicco definiatur, miſti natura ab elementis diverſa generetur, & coctione nova ſubſtantia acquiratur. Hoc pacto ex chylo fit ſanguis

guis cæterique humores ſubſtantialem formam ex potentia materiæ operâ caloris ab animâ productam habentes. Hæc actio caloris eſt æquivoca: nec enim coctio, miſtio, miſtive generatio, vivificatio, tantum perficitur frigoris contrarij cicuratione, ſed actione æquivoca à calore agente inſtar artificis in ſubjectam materiam obedientem. Et ſi ſola cicuratione frigoris à calore perficeretur vivificatio, miſtum omne viveret, & coctio miſtioque ſimul eſſent vivificatio.

LXXII. Quod de nutritione adfert dicens, nutrimentum, quia potentia ſit ſimile nutrito, ideo actu eſſe contrarium, id vanum eſt: actus enim & potentia, non ſunt ſibi verè contraria. Et falſum eſt, nutrimentum potentia eſſe ſimile nutrito, actu enim ſimile eſt nutrito, & potentia idem eſt. Et licet actu non ſit idem, quod nutritum (reſtat enim ut convertatur in nutritum) tamen nutrimentum ultimum, quia nulla amplius indiget mutatione ut ſit nutrimentum, nec potentia nutrimentum amplius eſt (niſi velis id nominare nutrimentum actu, quod jam actu nutrit, & in ſubſtantiam nutriti vertitur, aut verſum eſt, & omne nutrimentum tam diu vocare nutrimentum potentia donec actu nutriat, hoc eſt in ſubſtantiam nutriti ſit mutatum,) ſed actu ſimile eſt. Et hic actus quo nutrimentum ſimile eſt actu nutrito, non eſt contrarius potentiæ, per quam unum fieri & idem cum nutrito poteſt. Actus & potentia etſi non ſint idem, tamen non ſunt contraria. Hactenus etiam vidimus quomodò qualitates apertæ, ad quas perfugium quærebat Subornatus, & ad quas regulam de actionum cauſis reſtringere & revocare,

cum ejus univerſalitatem tueri non poſſet, conabatur, actiones ſuas potiores, non vi contrarietatis in contrarium operando, perficiant. reſtat ut idem demonſtremus in occultis qualitatibus, quod videlicet hæ actiones ſuas non perficiant vi contraria in contrarium.

LXXIII. Dixi in theſ. 52. diſputationis meæ de morbis ſubſtantiæ, occultas qualitates agere per Sympathiam vel Antipathiam. Quæ per Sympathiam agunt, has Subornatus, non per contrarietatem, ſed ſimilitudinem agere ultrò largitur. Et ſic falſum eſt primò, quod omnes actiones occultarum qualitatum fiant ab agentibus contrariis in contraria. Verum hic periclitantem ſuum Præceptorem D. Sennertum, & regulæ veritatem naufragam pharmaco aliquo (verius oleto) curare ſatagit. Ait enim quod quando ex Ariſtotele actio inter contraria eſſe dicitur, non intelligendum perfectivam, ſed deſtructivam; verùm

Quod Ganymedes ait, Cres ait atque Ligur.

Hic aut ſpiſſam ignorantiam, aut ſummam mentiendi calumniandique & bonas artium regulas pervertendi, impudentiam prodit Subornatus. Vivificationem, vitæ conſervationem, nutritionem, coctionem antea largitus eſt Subornatus fieri à calore; atque hæ actiones caloris non ſunt deſtructivæ vel corruptivę. Neque eſt quod idcircò deſtructivam vocare velit, quia in harum productione frigus cicuretur & dometur. Frigus non exſtinguitur aut omnino expellitur, ſed ad temperiem convenientem redigitur, neque ex ſola caloris in frigus actione, hæ fiunt operationes

tiones; ſed alia actione caloris maximè æquivocâ, unde ſequatur, non rei deſtructio ſed generatio, vivificatio, & utiliſſima naturæ opera. Nunquid non ipſe Subornatus in tractatu de Calido innato recipit & recitat Ariſtotelis definitionem coctionis ex 4. lib. meteor. Coctio eſt perfectio à naturali & proprio calore ex oppoſitis paſſivis. An coctio ſit actio caloris deſtructiva, quæ definitur quod ſit perfectio? hic tamen non erubeſcit impudens ille vitilitigator me nominare ſophiſtam, quod activas qualitates & non per contrarietatem agentium, huic regulæ in crepitum abeunti, quam rectiſſimè opponam: Sed quod proximè ſequitur & impudentius eſt, & à malitia maleſignati cavillatoris, à quo hominum genere cuivis bono cavendum eſſe veriverbio monemur, profectum eſt. Ibi enim me ſoricem in pice hærentem appellitat, lepidus ille ganeo.

LXXIV. Probavimus occultas qualitates omnes, quæ per Sympathiam agunt, non perficere actiones ſuas vi contrarietatis in contrarium, quod pro regulâ illâ de actionibus enervandâ ſufficeret; progredimur nunc ad actiones occultarum qualitatum, quæ per Antipathiam operantur, qualiter venena agunt in corpus noſtrum. Quæritur hic an hæc agant in corpus noſtrum, quia ibi ſit alia quædam qualitas occulta illi contraria, in quâ conſiſtat ſanitas & quâ læſâ actiones vitæ & ſanitatis lædantur, & vita demum exſtinguatur. Hoc affirmat D. Sennertus & ejus ſubornatus, & in hac regula ſitum eſt fundamentum totum, quo probare morbos ſubſtantiæ moliuntur novatores; quod ut nunc propius deſpiciamus, tempeſtivum eſt.

LXXV. Occultas venenorum qualitates in nos agere, ſanitatem, vi maximâ, quâ antecellunt, depeculari & hanc ipſamque vitam ſæpe celerrime corrumpere, concedo. Id vero non fieri quia agunt in alias noſtri corporis qualitates occultas, ſibi examuſſim contrarias, in quibus ſanitas & vita conſiſtat, ſed in Calidum innatum, & ſpiritus vitales inſitoſque, ſtatuo.

LXXVI. Verùm hoc falſum eſſe demonſtrare nititur hac regula, quod omnis actio fiat à contrariis ejuſdem generis, unde concludit occultam qualitatem, non agere in Calidum innatum, non in ſpiritum vitalem inſitumque, ſed in occultam qualitatem, & ex hoc falſo præſuppoſito texit novum ſuum de morbis ſubſtantiæ ſeu occultarum qualitatum dogma.

LXXVII. At ſi Calidum innatum non eſt occulta qualitas ſed ſubſtantia, & ſubſtantiæ uti talis eſt nihil eſt contrarium, & tamen occultas venenorum qualitates primo agere in Calidum innatum, ex ipſiſmet eorum ſcriptis probetur, ſequitur quod occulta qualitas, per antipathiam agens, dum in nos noſtramque naturam & corpus agit, non agere ut in contrarium aut contrariam qualitatem. Et quod vel hoc ipſo ſolo corruat omne fundamentum, cui novum ſuum de morbis ſubſtantiæ in occultis qualitatibus dogma ſuperſtruit; Calidum innatum non qualitatem, nec occultam qualitatem ſed ſubſtantiam & σῶμα eſſe Subornatus in tract. de morb. ſubſt. quæſt. 6. except. 1. reſp. 5. diſertè ait. Illud Calidum innatum diſertis & conceptis verbis ait Subornatus in eodem tractat. quæſt. 7. except. 7. reſp. 5. venena (agentia per occultas qualitates) primo adoriri & deſtruere, idque ex &

ex & cum ſuo D. Sennerto affirmat, & idem quæſt. 8. in reſponſione ad quintum meum argumentum repetit, dicitque venenum peculiari Antipathiâ Calidum noſtrum innatum petere & diſſipare.

LXXVIII. Si itaque venenum occultâ qualitate & per Antipathiam agens, primò agit in Calidum innatum, idque non ſit qualitas, nec occulta qualitas, ſequitur falſum eſſe, quod omnis occulta qualitas non agat niſi in occultam qualitatem. Deinde quod ideo non ſit occulta in noſtro corpore quærenda, ponenda vel concedenda qualitas in quam agat, dum in corpus noſtrum agit. Venenum itaque corrumpit, quod directè agat in Calidum innatum ejuſque ſubſtantiam corrumpat.

LXXIX. Cum itaque non agat in corpus noſtrum, niſi id ab illo pati ſit aptum, & ipſe Subornatus in tract. de morb. ſubſt. quæſt. 4. ſequela 3. reſp. 3. dicit, Quod patiens non recipit ad modum imprimentis, ſed receptivitatis ſuæ, neceſſariò danda & concedenda eſt paſſiva potentia in corpore noſtro, cujus merito vis veneni in id agere poſſit, & velut qualitates apertæ agunt ut artifex in materiam ſubjectam, quæ neceſſario ſic eſt affecta, talique potentia, paſſiva prædita, ut actionem agentis recipere teneatur: ita & occultæ agunt in corpus noſtrum, ſeu ejus temperiem, calidumque innatum. Et ut actio artificis agit in materiam, potentia obedientiali affectã, ita actio qualitatum, quæ eſt inſtar artificis, agit in materiam quæ potentiam habet paſſivã, quæ ſit analoga, & ad inſtar potentiæ obediẽtialis; quo ſenſu dixi qualitates agere in corpus paſſivâ obedientiâ præditum. Quod effatum innoxium & verum, quantis

calumniarum flagellis ſit cæſum à Subornato, paſſim in vitilitigatoris ſcriptis videre eſt, qui non animo veritatem indagandi, ſed veterem philoſophiam collutulandi & bonos criminandi Rhapſodias cum ſuo præceptore adverſus me conſuburravit.

LXXX. Progredimur nunc ad diſputationis noſtræ theſin 54, ut Subornati teretiſmata, & verba tertiata quibus obſtrepit, abſtergamus. In illâ tale erat argumentum noſtrum primum: Si innumera ſunt indicibilium venenorum genera, quorum quodlibet occultam & peculiarem ſibi contrariam qualitatem impugnat, unde morbi pro cujuſque veneni & occultæ qualitatis læſæ ratione emergunt, neceſſum eſt innumera incognitorum & indicibilium morborum agmina invehi, quinimo tot dari ſanitates, quot dantur occultæ qualitates morbi, & ſic etiam innumeras eſſe ſanitates. Quæ opinio ut in novatorum cerebellis recens nata, ita & antiquitati ignota, & veritati & ſanæ philoſophiæ horrida & abſurda eſt.

LXXXI. Sed quid hic reſpondet Subornatus? Negat in ſyllogiſmo majoris partem antecedentem, videlicet quod innumerabilia indicibilium venenorum genera in nos agant; Rationem ſuæ negationis hanc adſignat, quia non omnia venenorum genera, omnibus animantibus æquè ſunt venena, quod alia ſint venena caprarum, boum, ovium, quæ hominibus non noceant.

LXXXII. Vide amice lector, quem crepitum, ſtrepitum & pulverem in vetulis ſaltantibus excitet, & det ſine mente ſonum obſtrigillator. Etſi venena certa affligant certa animantium genera, nec omnia

noceant

noceant homini, & ſæpe quod homini pro cibo ſit, alij cuidam beſtiæ ſit venenum,& contrà: tamen non ſequitur innumera (ponam incertum numerum & tamen longè maximum pro certo) non eſſe venena quæ corpus noſtrum impugnent. Non exigua pars à rei medicæ magiſtris ſcriptis conſignata & evulgata eſt,& hæc maxima pars eorum quæ ſcimus, eſt minima horum quæ ignoramus, quod latiori probatione ſi indigeret, in ſummo hoc omnium ſapientum conſeſſu quam evidenter & dilucidè probari poſſet.

LXXXIII. Secundò ait me dicere in dictâ theſi, omne venenum cor petere, quod falſitatis arguere ipſe Subornatus moroſophus non veretur; ſed quid non audeat, qui ſemel verecundiæ fines gnaviter eſt tranſgreſſus? me ponere in citata theſi omne venenum primò cor petere, id pro ſuâ calumniandi libidine iterum mentitur; verba mea hæc ſunt. *Venena directè ſubſtantiam noſtram humanam, maximè juxta temperiem qualitatum & præcipuè calidi & humidi, in qua ſanitas fundatur, diripere & corrumpere, & cordi vitalique facultati, ejusque ſpiritui & humido archigeno in corde potiſſimum radicato nocere, celeriterque vi ſua pernitioſâ & potenter corpus & naturam noſtram peſſumdare.*

Ex his quis concludet omne venenum primò cor petere, dixi. 1. Omne venenum (propriè dictum) ſubſtantiam noſtram directè petere. 2. Eam juxta temperiem qualitatum præcipuè calidi & humidi depeculari. 3. Vitali facultati, quæ in calido nativo & ejus ſpiritu in corde potiſſimum radicatis conſiſtit, nocere. 4. Potenter corpus noſtrum &

naturam peſſundare. Cum dixi venenum in ſubſtantiam & corpus noſtrum directè agere, nullam partem corporis excluſi, quæ non à communi vel peculiari ſibi & in ſpecie etiam magis adverſo veneno poſſit corripi & corrumpi.

Deinde maximè nocere temperiei qualitatum, præcipuè calidi & humidi, & in hoc fundatam eſſe ſanitatem & vitam, & id potiſſimum in corde radicatum eſſe; Qui dicit venenum nocere maxime calido innato, quo cæteræ partes non deſtituuntur, & per quod vivunt, idque in corde potiſſimum radicari, quia id fons eſt calidi innati, quatenus jugiter ſubſtantiam calidi influentis producit, quo inſitum reſtauratur & conſervatur, & alitur jugiter in toto corpore & omnibus partibus, an ille dicit omne venenum primò cor petere?

LXXXIV. Et ſi dixiſſem, quid hoc ad rem? neque enim argumentum meum labefactat, quo ſtatuo tot morbos occultæ qualitatis, quot venenorum genera in nos agunt; ſi enim non omnia cor petunt, ſed alia alias & diverſas partes, ratio mei argumenti nihilominus immota manet, quod in illa quam adoritur parte, neceſſariò danda foret occulta qualitas, quæ à ſpecificè ſibi contrario veneno patiatur, unde morbus.

LXXXV. Etſi igitur Subornatus garrit, non omnia venena in hominem agere, neque omnia cordi propriè nocere, tamen manet hoc quod innumera ſint, quæ ſolum hominem adoriantur, ſive primò cor ſive alias partes corporis humani infeſtent. Vnde ait, non neceſſariò innumeras qualitates occultas in corde dari, quia omnia venena non agunt in cor. Verum

etiamſi

etiamſi non omnia agant in cor, tamen innumera præter cætera reliquum corpus vexantia remanere poſſe quæ cor directe infeſtant, negandum non eſt. Deinde nec ego dixi vel ſcripſi innumeris occultis qualitatibus, obſitum eſſe ſolum cor, quia innumeris ſolum poſſit infeſtari venenis: ſed hoc dixi, innumeras occultas dandas qualitates, in quarum qualibet ſit peculiaris ſanitas, quia innumera ſint peculiaris generis venena, quæ quamlibet peculiariter infeſtent, ex quarum læſione innumeri morbi & integritates, & innumeræ ſanitates, quod eſt abſurdum.

LXXXVI. Et vitilitigator ſubornatus cum videat ſe cum ſuo præceptore falſa dogmata ſuæ vanæ ſectæ defendere non poſſe, quaſcunque huc controverſias quocunque modo pertrahere conantur, ut lectorem abducant, eique fucum faciant. Quo ſpectat hoc quod mentiuntur, me dicere omne venenum cor petere: quod ſi dixiſſem, meis rationibus nihil noceret, nec fraudi eſſe poſſet quibus impugno eorum falſas opiniones. Neque falſum dixiſſem, neque à doctiſſimorum virorum ſententia alienum quid protuliſſem: Definit enim Mercatus, Duncanus, Aponenſis & Meſue aliique ab arte clariſſimi venena, quod ſint corpora cordi inimica humanæ naturæ corruptiva.

Cordi inimica dicit (in arte Medica l. 3. c. 2. Duncanus) quia temperamentum cordis & calorem nativum, principaliter diſſolvunt, licet alias etiam partes lædant. Hæc itaque eruditiſſimorum verior eſt ſententia; omnia venena cor petere, & in his eſſe quædam, quæ licet cor infeſtent, nihilominus vim peculiarem prętereà obtineant, quâ hanc vel illam partem

præ cæteris furioſè & vehementiſſimè affligant. Atque id ipſa confirmat experientia; quod quodcunque venenum ſive veſicam, ſive cerebrum, pulmoneſve graviter afficiat, ſimul cor ipſum vehementer & directè impetat; quod evidenter ex actionibus cordis læſis non per Sympathiam, ut fit procedente tempore magis, in partium cæterarum morbis, ſed ſtatim ab initio. Ita veſica à cantharidibus, pulmone à ſpongiâ marinâ, cerebro ab aurâ venenatâ ab extremo pedis digito ſurſum irrepente læſis, ſimul ſtatim & in initio lædatur cor, & gravia cordis ſymptomata continuo ſimul incidant, quod infallibilis experientia teſtatur. Verùm hanc litem, quia cauſæ meæ nec prodeſt nec officit, huc pertrahere nolo, nec pertractam volo.

LXXXVII. Sed pergit vitilitigator, & cum videt non poſſe obtineri ex argumento Sennertiano, quod detur morbus & ſanitas in occultis qualitatibus, ipſe alia via probationem ſed incaſſum etiam aggreditur. Prima nova ratio pro iſta opinione hæc eſt. Freitagius non negat occultas qualitates, & occultas qualitates egregiè operari, undè tale texit argumentum. Quot dantur occultæ qualitates activæ, tot dantur etiam occultæ paſſivæ; Sed innumeræ dantur occultæ activæ: ergo, &c. Verum nec vera eſt hypotheſis, nec propoſitio argumenti. Hypotheſin quod attinet: Freitagius non negat, dari poſſe occultas qualitates in corpore humano, ſed neceſſario dari, ad conſtituendam ſanitatem, & operationes ejus perficiendum, hoc eſt quod negat, & probari non poſſe affirmat. Deindè propoſitio argumenti falſa eſt, non enim neceſſariò tot dantur occultæ

occultæ paſſivæ qualitates quot activæ, quia omne venenum agere directè in unum Calidum innatum aſſerit Subornatus: Calidum verò innatum non eſt occulta qualitas, dicente eodem Subornato, ſed illis eſt corpus ſuperelementare. Vnde primò apparet falſitas propoſitionis, quia ipſo atteſtante actio occultæ qualitatis directè (uti inquit) fertur in Calidum innatum, quod ipſis eſt ſubſtantia & propriè ſpiritus, ut vult D. Sennertus lib. 1. Inſtitut. cap. 5. & ſubornato Sperling. in tract. de morb. ſubſtant. & Calid. innat. Vnde falſum eſt, occultam omnem qualitatem activam, neceſſariò præſupponere peculiarem occultam qualitatem paſſivam ejuſdem generis in quam agat. Vnde etiam non dantur tot objecta paſſiva, quot occultæ qualitates, quia omnes qualitates venenatæ in unum agunt Calidum innatum, unique calori nativo inſidiantur. Sed præter hoc demonſtratum eſt, Calidum innatum eſſe ſecundum ſubſtantiam & qualitates ex elementis: Agunt igitur innumeræ qualitates occultæ in qualitates elementares numero paucas.

LXXXVIII. Ille verò pergit vitilitigando & garriendo, quod putem, tot dari ſanitates, quot cauſæ ſunt ſanitatis, ſe autem putare ſanitatem eſſe unam. Sed primo falſum eſt unam eſſe ſanitatem, diſcat ex Galen. lib. 1. de ſanitat. tuenda, ubi unam & inſectilem ſanitatem non dari, ſed aliam atque aliam, pro modo temperaturæ docet Galenus. Secundo non dari unam ſanitatem (licet in genere una eſſe poſſit ſanitas quæ in plures dividatur, in quibus verè conſiſtit, ſpecies) diſcat ex Inſtitutionibus D. Sennerti lib. 1. Inſtitution. cap. 4. alia enim eſt

ſanitas

ſanitas ſimilarium, alia organicarum partium propria, alia communis utriſque. Deinde licet plures cauſæ concurrant ad unum effectum qui eſt ſanitas, tamen non una eademque ſanitas ex iiſdem cauſis exſurgit: Alia enim eſt ſanitas ſenum, juvenum, puerorum, ab iiſdem qualitatibus diverſimodè temperatis: eadem eſt ratio complexionum, ſed indè non ſequitur, me ſtatuere, infinitas eſſe combinationes qualitatum, unde infinitæ ſanitates. Quæ enim & quot fiant qualitatum conjugationes, ſi neſcit, diſcat Subornatus ex phyſiologicis: innumeræ enim non ſunt qualitates elementares, ergo nec innumera conjugia, nec innumeræ inde ſanitates, uti garrit, inde emergent. Atque hæc de qualitatibus manifeſtis, quatenus ſanitas ex earum temperie & moderatione oritur, inque illâ conſiſtit.

LXXXIX. Secus ſe habent occultæ. Hæ ſi dentur in corpore, ex ratione & regula Sennerti & Subornati, erunt innumeræ in corpore; ſed ullas dari aut ineſſe in corpore, illa regula demonſtrari in æternum nequit; nullas verò dari inſuperabilibus argumentis & rationibus evidenter eſt demonſtratum. Si verò darentur innumeræ qualitates occultæ, innumeras ſanitates ſtatuere neceſſum foret: vel enim ſanitas in una eſt qualitate occulta, vel in concurſu & miſtione & temperie plurium: ſive enim in ſimplici occulta qualitate quælibet ponatur ſanitas, ſive ſtatuatur in occultarum plurium concurſu vel miſtione & temperie, innumeras dari oporteret ſanitates. ſi in ſimplici & unâ quâlibet, res plana eſt, & ſic neceſſariò innumeræ erunt ſanitates: ſi vero in compoſitis ex pluribus, neceſſariò innumeræ & fere plures quam

quam innumeras oporteret reſultare ſanitates: quia ex ſimplicibus, compoſitorum corporum & qualitatum major ſemper reſultat numerus quam ſimplicium componentium qualitatum & corporum ſit. Innumeras verò dari ſanitates & conſequenter innumeros morbos eſt abſurdum.

XC. At quid opus in his excutiendis tempus terere. Demonſtratum eſt ſufficienter, non dari occultas qualitates in corpore, in quibus vel ſanitas vel morbus poni poſſet. Sed ille progreditur meumque ex textu Gal. l. 1. de ſemine cap. 16. argumentum vellicare nititur. Gal. ait minimam portiunculam veneni momento temporis totum corpus alterare; indè concluſi tam manifeſtas quam occultas qualitates veneno corrumpi. Ad hæc ille reſpondet, affectâ unâ qualitate cum ſubjecto affici totum: ſed nihil hoc eſt reſpondere: totũ enim hic Galeno non afficitur, quia una afficitur qualitas, ſed omnes ſimul afficiuntur, quia totum afficitur & perit: operatur enim deleterium venenum corruptionem totius, ergo & omnium qualitatum. Exemplo ignis quod pro ſe affert, ſuam ipſius rationem deſtruit: Ignis enim non comburit (uti ipſe inquit) totum hominem, propter frigiditatem quâ conſtat, ſed quia actione æquivòcâ in omnes cæteras qualitates, & ſubjecta elementorum corpora agit, in ſui naturam convertendo: agens enim agit ut ſibi ſimile reddat patiens.

XCI. Deinde reſpondet concedendo venena manifeſtas mutare qualitates, ſed non directè & primariò, verùm indirectè & conſequenter. Venena mutare manifeſtas qualitates, quia agant in calidum innatum primario et directè, quo læſo & ſuperato amplius

plius ſalvæ nequeant eſſe elemẽtares, turpiculæ ſunt nugæ & commenta novæ ſectæ: Primò, cur magis venena in Calidum innatum uti ſupraelementare eſt corpus & non occulta qualitas quam in Calidum innatum, quatenus ex elementis & elementaribus conſtat qualitatibus, agant? cùm illis actio omnis ſit inter contraria unius generis. Quomodo itaque aget magis in Calidum innatum, quod eſt ipſis σῶμα & ſubſtantia, quam qualitates elementares caloris nativi, quatenus juxta Galenicos ex elementis conſtat. Nec enim Calidum illis eſt unius generis cum occultis qualitatibus; eſt enim non qualitas ſed ſubſtantia, & æquè differt à naturâ occultarum qualitatum & corpore veneni, quam occulta qualitas ab elementis, eorumque qualitatibus. Imò major eſt convenientia qualitatum occultarum cum elementaribus ut in eos agunt, major eſt eorum convenientia cum corporibus elementorum, quia qualitas occulta licet differat à qualitate apertâ quoad genus proximum, tamen convenit cum illa quoad remotũ, cum ſubſtantia à qualitate quacunque toto genere differat. Deinde convenientia occultarum qualitatum cum elementis major eſt, quia ex elementaris materiæ potentia eas ortas eſſe demonſtravimus. Sed quid multis opus eſt probationibus? ipſe Ganymedes in tractat. de morb. ſubſtant. cap. 2. quæſt. 1. inquit, hos eſſe morbos occultarum qualitatum, cum corporis humani qualitas occulta ab alia qualitate occultâ petitur. Et venenum hominis corpus ingreſſum, non caliditatem, non frigiditatem, humiditatem vel ſiccitatem petere, ſed congeneres qualitates; hic iterum obſerva iſtorum male feriato-

rum

rum contradictionem. Cum hic dixerit qualitates occultas agere in occultas, poſteà non ſemel ſed multoties ait venenum agere directè in Calidum nativum. Nota abſurpiſſimas contradictiones.

XCII. Quando concedit & neceſſariò concedit, in læſione vitæ & vitalium actionum Calidum innatum directè & primario affici & lædi, neceſſariò quoque concedit & ſtatuit, occultas venenorum qualitates agere in qualitates elementares earumque temperiem, quia Calidum innatum ex elementis eorumque qualitatum temperie ortum eſſe ſufficienter demonſtratum eſt. Deinde mera eſt petitio principij & falſitas, non poſſe ſalva eſſe elementa, eorumque qualitates, ſi pereat Calidum innatum, & Calidum innatum non poſſe ſalvum eſſe, qualitatibus elementaribus pereuntibus, quod neutra pars aliam ſuſtentet vel foveat.

XCII. Tertio, quod prolixe deblaterat occultas qualitates non eſſe ex elementorum qualitatibus aut contextas vel factas, me hic non ferit, diverticulum inane petit probando occultas qualitates non eſſe ex elementis, cum probare deberet occultas qualitates non agere in elementares, hoc enim erat probandum; quæ mea ſit mens de occultis qualitatibus, ſuprà expoſui. Quartò, quod inquit Sennertum ſufficienter probare, quod Galen. non neget occultas qualitates & occultos morbos in Inſtitut. & lib. de Gal. cum Chym. conſenſu & diſſ. mendacium eſt. D. Senn. ibi aliquid dicit, ſed nihil probat. Deinde ſubjicit non opus eſſe ut probetur, Gal. ſtatuiſſe venena tantum in occultas qualitates agere, cæteris ſalvis; ſufficere enim quod in corpus noſtrũ agant. Verum

& hæc

& hæc reſponſio frivola & nulla eſt. Non enim in quæſtione erat, an venena agant in corpus noſtrum, hoc enim apertè fatetur & ſcribit Gal. ipſaq; abunde teſtatur experientia; ſed in quæſtione erat hoc, an agant in corpus, quatenus manifeſtas vel occultas ejus qualitates primariò & per ſe lædant (corpus enim non læditur niſi per qualitates, nec enim corpora agunt vel patiuntur, niſi mediantibus qualitatibus activis vel paſſivis) juxta rationem & argumentum D. Sennerti, quod omnis actio ſit inter contraria unius generis, undè cum occulta qualitas non ſit unius generis cum aperta, ſequitur quod in apertas agere nequeat, & idcircò quia in corpus noſtrum agat, neceſſario ibi dari occultam qualitatem in quam agat: hoc ut ex Gal. probet juſſi, meque ſi id ex Gal. probare poſſit, cauſa ceſſurum ſtipulatus ſum. Atqui ille probat vel affirmat ſufficere, quod occultæ qualitates agant in corpus noſtrum, id vero probandum non eſt quod ſimpliciter nemo negat, videlicet quod in corpus noſtrum agant venena, ſed hoc probare debebat, quod in occultas qualitates agant, earumque læſione morbos excitent. Hoc cum probare nequeat, nihilominus effrons ille & depudicatæ frontis cavillator, exclamare non erubeſcit, me cauſa cecidiſſe.

XCIII. Quinimo notetur & hoc, quod cum probare deberet qualitatem occultam veneni agere in qualitatem occultam corporis ſibi directe contrariam, ut excitet morbos & mortem inferat, ille probat venenum agere primariò in Calidum innatum, quod ipſi nec qualitas nec occulta qualitas eſt, nec genere convenit cum occultis qualitatibus, & cui ut ſub-

ſubſtantiæ nulla eſt cum qualitate contrarietas. Quo effato prorſus ipſius luxatur & perit regula, quod omnis actio ſit inter contraria unius generis, & ſibi ipſi contradicit in tract. de morb. ſubſtant. th. 2. quæſt. 1. ubi dicit venenum directe agere in occultas qualitates, & occultas qualitates agendo congeneres generare morbos.

XCIIII. Ex hoc etiam effato quo adſerit, occultam qualitatē agere in Calidum innatum, eoque læſo mortem inducere, duo ſequntur doctrinæ Sennertianę & Subornati contraria. Primò quod novum detur morborum ſimilarium genus in ſubſtātia Calidi innati: ait enim venena ſalvo calore elementari, facere ægrotare & mori hominem (In tract. de morb. ſubſt. Quæſt. vij) quod non raro accidat in peſte. Vbi primaria notanda eſt contradictio; Ait n. in eodem tract. quæſt. 8. Calido innato à veneno ſuperato, ſalvam non eſſe amplius elementorum unionem, quæ in viventis calore conſiſtit, eorumque rationem ſalvam eſſe non poſſe, illo lęſo. Sequitur verò novum morborum genus ſimilarium partium in Calido innato, quia venena faciunt hominem ægrotare & mori, idque non quia agunt in qualitates elementares, vel calorem elementarem uti ait: agunt enim directe & primo in calidum innatum; quia itaque homo non ægrotat & moritur, ob hoc quod venena non agant in elementares qualitates, ſed directe impetant calidum innatum, & per hoc ægrotet & moriatur homo, neceſſum eſt in Calido innato dari morbum. Sed Calidum innatum eſt pars eſſentialis materiæ corporis, & eſt ſubſtantia dicente D. Sennerto; at in materia & ſubſtantia corporis non

 dari

dari morbum ſed in accidentibus, non ſemel ſed multipliciter docet D. Sennertus in Inſtitutionibus: & opiniones eorum, qui morbos non ſolum in conſtitutione accidentali, ſed & eſſentiali ſtatuunt, ſtrenuè refutat. Hic autẽ Subornatus ſtatuit, quia venena agunt in Calidum innatum, quod illi eſt de ſubſtantia corporis & σῶμα, ęgrotare & mori hominem.

XCV. Prætereà abſurdum foret ſtatuere, cauſam inſtrumentalem proximam animi ad omnes actiones vitæ non lædi, læſis omnibus vitæ & naturæ actionibus. Tale inſtrumentum D. Sennertus & ejus Subornatus, ſtatuit Calidum innatum. Omnis enim actio læditur, læſo proximo animi inſtrumento, atque illud D. Sennerto eſt Calidum innatum, ut eſt ſubſtantia &c. Neque eſt quod reponere velint, Calidum innatum agere per calorem elementarem ſibi inhærentem, quia ipſamet anima utitur calore elementari, teſte D. Sennerto, ut inſtrumento immediato. Neque calor elementaris eſt inſtrumentum calidi, uti cauſæ principalis, neque eo mediante animæ; ſed hæc ſuperius ſatis diſcuſſa ſunt.

XCVI. Tandem & in hoc ſibi contradicit ſubornatus Ganymedes, quod mortem naturalem velit fieri conſumptione & perditione caloris nativi, violentam verò ſalvo calido innato; & cadaver fieri, ſive abſit ſive adſit calidum innatum, uti loquitur Subornatus: in tract. de calore innato fol. 16. cum hic ſtatuat venena vehementia, quæ primò & directe agunt in Calidum innatum, vitamque corporis noſtri ſubſtantiam, cujus nobiliſſima pars eſt Calidum innatum in quo vita conſiſtat, celerrime corrumpere, imo inſtar ignis totum comburentis perdere.

dere. Sed quis, ut innumeras illorum Fanaticorum novæ ſectæ conditorum abſurditates & contradictiones commemoret, bonas horas perdere velit, ſufficit aliquos monſtraſſe, cum ſimul omnes vix quiſquam computare & recenſere poſſit.

XCVII. Procedimus ad examen theſis 55. Hic clamat Subornatus me affingere D. Sennerto alienam mentem & petere principium; Verùm Subornatus cum rationibus veris cauſam amplius ſuſtinere nequit, ad calumnias & mendacia convertitur: hîc itaque nota & adverte, lector amice, ſtrenue mentiri ſubornatum, ac mendaciis & calumniis velle rem defendere: ait enim quod I. Excellentiſſimus D. Sennertus, occultam quandam qualitatem ſalvo calido innato, à venenis perire non ſtatuit, ſed paſſim venenum peculiari antipathia noſtrum Calidum innatum petere & diſſipare contendat; quod cum dicit adverſarius, ſaltem pro ſuo lubitu agit, & quicquid in buccam venit, regerit. In hoc ſolo Sennerti ejuſque Subornati candorem probare licebit, & an veritatem defendendi ſtudio, an verò calumniandi, vitilitigandi & falſa novæ ſectæ paradoxa defendendi libidine ſcriptitent, notabis. Nunquid D. Sennertus ex hoc vult probare, dari morbos totius ſubſtantiæ, & occultarum qualitatum, quod omnis actio ſit inter contraria unius generis, quocircà omnis occulta qualitas, cum non ſit ejuſdem generis cum manifeſtâ, neceſſariò agat in occultam: agit vero occulta qualitas venenorum in corpus noſtrum, idque ægrotare (uti ait Subornatus) & mori facit. Non verò vi argumenti Sennertiani poteſt agere in aliud quid, quam occultam qualitatem, cum quâ in genere

conveniat & in ſpecie maximè diſcrepet; & hoc ipſo vult D. Sennertus oſtendere & probare, dari occultas qualitates quas ad conſtitutionem & integritatem & ſanitatem ſimilarium conſtituendam æquè putat pertinere, quam ſymmetriam ex temperie manifeſtarum. Vnde lib. 1. Inſtit. cap. 3. ait, non ſolum quatuor primarum qualitatum ſymmetriâ, ſimilarium partium ſanitatem abſolvi, ſed & nobiliores & occultiores alias qualitates ad eam requiri, & ut ex occultis qualitatibus ipſi in ſimilaribus datur ſanitas, ita etiam in iis dari morbum affirmat lib. 2. Inſt. p. 1. cap. 2. cum inquit, Deinde (putat ſimilarium morbos) reperiuntur in partibus ſimilaribus morbi occultarum qualitatum, velut vocant (nemo vero eos ita vocet præter Sennertum ejuſque ſectarios) totius ſubſtantiæ ſeu formæ (nota formæ) cum reliquæ nobiliores, præter primas qualitates, mutantur.

XCVIII. Statuit itaque D. Sennertus, dari in corporibus noſtris occultas qualitates in quibus conſiſtit ſanitas. Hanc ſanitatem lædi cum iſtæ occultæ qualitates patiuntur & læduntur ab occultis qualitatibus, cum omne agens agat in contrarium ſui generis: quapropter ex hoc quod venena agant in corpus noſtrum, & id ægrotare & mori faciant, agant autem in occultas qualitates, concludit, non tantum dari in corpore occultas qualitates, ſed & in illis conſiſtere ſanitatem, & has neceſſariò ab aliis occultis unius generis lædi, cum res occultâ qualitate agentes in nos, cauſantur morbos. Venena autem agunt in nos occultis qualitatibus, Ergo agunt in noſtras occultas qualitates, in quibus illa Sennertiana ſanitas

conſi-

conſiſtit,ut teſtatur Ganymedes,in tract. de morb. ſubſt.th.2.quæſt.1.non vero in Calidũ innatum,directè & peculiari antipathia& primò ut ait Subornatus, quia Calidũ innatum eſt σῶμα & corpus (uti diſerte dicit ſubornatus in tract.de morb.ſubſtant.lib. c.)non qualitas, non occulta qualitas. Quocircà nec directe nec peculiari antipathia, occulta veneni qualitas petit Calidum innatum, quod ſubſtantia eſt,& cui nihil contrarium; non vero qualitas: & quod antipathia & ſympathia proximè fundetur in qualitate & per eam immediatè ut proximo animæ vel formæ inſtrumento excerceatur.

XCIX. Vides itaque amice lector ex mente D. Sennerti, qualitatem occultam agere directe & primariò in qualitatem occultam, non in calidum innatum primo & peculiariter & ſingulari antipathia, ſed in occultas unius generis qualitates. Hic vides an non ex mente & doctrinâ Sennerti ſit, quod dixi, qualitatem occultam à veneno occultâ qualitate agente peti debere, ſi homo ægrotare & mori deberet, idque ſalvo Calido innato, quod nequaquam à venenis impeti poſſit, ſive ſit ſuperelementaris ſive elementaris ſubſtantiæ; & cum revera ſit elementaris ſubſtantiæ & qualitatis, nequaquam ex mente ſubornati lædi poſſe. Sed monſtretur locus apud D. Sennertum, ubi dicit venenum peculiari antipathiâ agere in calidum innatum: qui ſi detur, vel ſolus ſufficit ad evertendum omnis doctrinæ ſuæ de morbis ſubſtantiæ fundamentum.

C. Nunc demum apparet, amice lector, eum deſperare defenſionẽ articuli novæ ſuæ ſectæ quo morbos ſubſtantię in occultsi qualitatibus ponit, in cujus

 opini-

opinionis demonſtratione cum ſuccumbat fluctuans & palpans, ait, morbos ſubſtantiæ dari, ſi venenũ occulta qualitate in calidũ nativum agat, qui cùm illis nõ venit pro morbo intemperiei in ſimilaribus, oportet eſſe ſubſtãtię; alii n. dari nõ poſſunt in ſimilaribus.

CI. Deinde notate improbam, qualem ubique fere fecit verborum meorum, perverſiõnem. Ait, me dicere, nullam dari qualitatem occultam in homine. Siccine cornicaris propudium hominis? ubi dixi nullam dari occultam qualitatem in homine. (Manifeſtam in te mentiendi & calumniandi eſſe libidinem toti orbi teſtatum facis) verba mea th. 55. in diſp. de morb. ſubſt. hæc ſunt. Ab hâc venenorum in corpus noſtrum actione non perit occulta aliqua qualitas, quæ nulla talis eſt in corpore, ut ſanitas per eam inſit; & ſi inſit, impoſſibile hominem ſalvo calore & temperie apertâ & ægrotare vel mori, ut impudens ſit aſſertio hominem juxta occultas qualitates perire, ſalva temperie manifeſtarum.

CII. Ex his ſole clarius patet, me non negare aliquandò dari in homine occcultas qualitates, ſed negare dari tales, in quibus ſanitas conſiſtat aut vita; Ab occulta qualitate eſt, in peculiaribus hominum naturis, averſari caſeum, ova & certi generis edulia, odio proſequi mures, feles, aut alia animantia. Huc pertinet illud Martialis:

Non amo te, Voluſi, non poſſum dicere quare,
Hoc poſſum tantum dicere, non amo te.

In his occultis qualitatibus nec ſanitas nec morbus eſt; & ſi ineſſet ſanitas, per eas hominibus utiq; omnibus eandem ineſſe neceſſe ſit; quia occulta qualitas ad ſanitatis, juxta D. Sennertum in ſimilaribus conſtituti-

ſtitutionem pertientes neceſſario omnibus inſunt, licet alia atque alia pro diverſa, earundem conſtitutione in diverſis ineſſe dicatur, &c.

CIII. Sed ille pergit, & vult me falſi arguere, quod negem ſalva temperie manifeſtarũ qualitatũ, hominem poſſe mori. Rationes adducit duas; prima eſt quod venenum ſæpe in momẽto pernitioſum ſuum edit effectum, & graviſſima inducit ſymptomata, tẽperies vero & humores non niſi ſucceſſive mutentur & corrumpãtur. Ergo adeſt (inquit) morbus à veneno inductus, antequam morbus temperiei adeſt.

CIV. Verum puerile hoc eſt: venena ſi primis ſolum & ſimpliciter qualitatibus agerent in temperiẽ corporis noſtri, & per contrarietatẽ primarum qualitatum, tunc oporteret ut per gradus & ſucceſſive qualitas qualitatẽ vinceret & ſibi ſimilem redderet: Verùm occultarum in venenis actio, hic non ſaltem univoca ſed æquivoca eſt, ut non agat potiſſimum univocè, & per vim ſpecificè contrarii, ſed æquivoce, uti artifex in materiã, *atq; æquivocè*, vitam maligna ac tali quę licet in parvâ & fere inſenſibili ſit quantitate, nihilominus totum corpus (dicẽte Gal. & approbãte D. Sennerto Gal. ſententiã) momento temporis immutare poſſit. Hæc actio veneni eſt æquivoca, à violẽta & indicibili veneni poteſtate, quâ nos & temperiẽ & conſequenter ſubſtantiã celerrimè corrumpere nata eſt. Neq; levis ratio eſt, quod venena celerrimè interimant, quia agunt vi occulta & pernitioſa & peculiari in ſpiritus inſitos, vitales, & in ſpiritus influentes earumq; conſtitutionem exiguo temporis ſpatio, tum propter infenſiſſimã & maximã agendi poteſtatẽ, tũ propter ſubſtãtiæ ſpirituũ teneritudinẽ

& temperiei in facile penetrabili & mutabili diſſipabilique ſubſtantia hærentis & ad reſiſtendum ineptitudinem, corrumpant, & ſubitaneâ corruptione vitam exſtinguant, priuſquam humores & corpora ſolida inficiantur (præſertim ſi peculiari antipathia in ſpiritus agant) & aliqua in iis appareat corruptio, quæ veriſſima eſt antiquitatis ſententia.

CV. Temperiem verò manifeſtam, in ſpiritibus totius & in toto per venena non perverti, cum etiam totũ celerrime pervertatur ex actione occultæ qualitatis, impoſſibile eſt, cum talia venena agant in totam naturam, & à ſpiritibus ſæpè initium faciant. Quinimò corpore ex veneno læſo & mortuo læditur & exſtinguitur primariò ille calor, qui totum corpus calefacit. Et in eo qui corpus ad tactum calefacit calore, D. Sennerto lib. 1. Inſtit. conſiſtit vita, ejuſque exſtinctione mors. In hunc cur non agat actione ſuâ æquivoca venenum directe?

Et dum conceditis agere venenum directè & ſingulari antipathia, in calidũ innatum, & hoc vere elementaris eſſe naturæ ſufficienter demonſtratum ſit, omnino ſtatuere vos neceſsè eſt, venena agere directè in temperiem manifeſtarum qualitatum.

CVI. Quod verò affecto cordis Calido innato, languere ait totum, omneſque actiones naturales, animales & vitales minui & depravari, non quia partium eas perficientium intemperie lædantur; ſed quia cordis ſit ſumma dignitas, ut eo malè tractato declarent cæteræ partes ſuam compaſſionem inſulſi phyſici inſulſum eſt commentum, turpes nugæ, indignæ quæ ad eruditorum perveniant aures. Non enim affecto corde languent partes totius, quod eo

veluti

veluti regē aut conſule affecto mæſti ſint ſubditi,ſed quia privantur debita reſtauratione ſpirituum vitalium in corde affecto, vel non in debita quantitate vel juſta temperie generatorum; Indiget enim totum corpus nutritione ſanguinis ab epate per venas & jugi atque indeſide reſtauratione caloris & ſpiritus à corde per venas ſuppeditati: quod niſi debitè fiat, uti peſſime affecto corde fieri nequit, totum & omnes partes languere & collaborare neceſſe eſt; quocunque enim affectu afficiente actionem officiariam, & toti neceſſariam, princeps pars tenetur, eam celerrime toti communicat, vel ſentire facit. Ita calore nativo in corde accēſo, unde febris, ſtatim communicatur affectus toti. Hinc Gal. lib. de marcor. c. 1. inquit. Totum corpus celeriter ſui principij ſentit affectum; & idem ibidem, Abſurdum eſt alium eſſe affectum in toto, & alium in parte principe, videlicet totum corpus gubernante. Actu languente corde, actu languet totum, ſive id quod ad temperiem & actiones totius & partium conſervandum pertinet, debite non mittat, ſive de ſuo affectu præternaturali quippiam communicet. Cor veneno affectum & mirifice afflictum, nec ſpiritus vitales caloremque vivificum pro ſingulis partibus debite generat, & labis ſuę miaſmata toti communicat, niſi inſitorum ſpirituum, in corde factâ celerrimâ corruptione exſtinguatur vita priuſquam labes venefica toti communicari poſſit. Non itaque languor totius, & depravatio actionum vitalium, naturalium & animalium eſt ex ſola condolentia, ſine propriâ, ex affecto corde afflictione actu communicata.

CVII. Deinde excipit quod actiones ex nuda in-

temperie non ſint judicandæ, quia plures pertinent cauſę ad actiones perficiendas. Quocircà nec ſola intemperies, nec ſolum Calidum innatum, nec ſola vis chylifica, nec anima, ſufficiunt ad actiones, ſed hæc omnia & adhuc alia plura. Lapides narras novitie moroſophe, & chaos cauſarum conſaburras; loquimur de actionibus quatenus rectè eduntur à ſanitate & læduntur à morbo: in conſtitutione eas vel recte vel depravatè edente eſt ſanitas vel morbus. Anima refertur à Subornato ad cauſas taliter edendarũ actionũ. Ergonè ſanitas & morbus eſt in anima? Quis neſcit animã eſſe omnium actionum principẽ cauſam, ſed eã, ut ſpecies actionũ definiat, requirit organa, & ut bene vel malè edat organorũ conſtitutionẽ, & juſtam ſimilarium ex quibus organa coaluêre temperiem. Cum itaque actiones immediatè nec bene nec malè perficiantur operâ animæ, nec anima ad benè vel malè agendum diſponere poſſit, fruſtrà à Sennerto ad actiones, quatenus à ſanitate vel morbo bene vel male producuntur, allegatur anima: ſiquidem nec ſana nec inſana, nec ægra nec morbida eſt. De ſanitate & morbo cum agitur à medicis, non venit in conſiderationem anima, quę nec ſana dici, nec ægrota eſſe poteſt, teſte D. Sennerto in Inſtit. Et cum omnes actiones fiant à contrariis ſub uno genere, de anima dici nequit, quod vi hujus argumenti ullas actiones edere poſſit: Quia animæ nihil contrarium eſt, neque per contraria operatur, nec per contrarietatem in contrarium actiones ſuas producit: neque actiones omnes ſunt per emanationem, neque uti forma eſt, duntaxat actum formativum in ſubjecto operatur. Calidum innatum ſine temperie non

operatur

operatur (nec enim teſte ipſo D. Sennerto operatur ſine calore elementari,& actiones Calidi innati fiunt ab eodem quatenus intemperie calida & humida conſtat. Ejus etiam ſubſtantiam eſſe elementarem demonſtratum eſt. Vim chylificam, quatenus eſt inſtrumentum animæ, à temperie organi coquentis diſcriminare vanitas eſt, & ignorantia vera phyſiologiæ, licet ipſe D. Sennertus hoc faciat; in calore enim commenſurato & idioſyncraſia temperiei peculiari ventriculi, epatis, partiumque conſiſtit vis chylifica, ſanguifica, & reliquarum partium concoctrix; Plura ad actiones requiri in genere quam animam, & ad actionum ſpecies, earumque bonitatem vel corruptionem, quam organicarum & ſimilarium bonam vel malam conſtitutionem, manes ſunt & fabulæ,& moroſophorum novæ ſectæ commenta.

CVIII. Tandē ait me mutare ſtatū controverſię:nō enim quæri an alia ſanitas & vita per venena deſtruatur,quā quæ ſit in calido innato,ſed hoc diſputari,an venena ſua tēperie,corporis humani tēperiem lędāt? Verum pro ſuo more mentitur iterū ſubornatus & ſibi contradicit. D.Sen. enim idcirco (uti anteaprobatū eſt) morbū dari in occultis qualitatibus diſputabat,quia occultæ dentur in corpore qualitates,quę ab occultis lædantur cauſis & qualitatibus morbificis,quia actiones ſint contrariorum unius generis:lędūtur itaq; occultæ qualitates quatenus ad ſimilariū cōſtitutionē & ſanitatē perficiendā concurrunt, ſine quibus partes ſimilares,etſi in primis qualitatibus naturaliter habeant,ſanæ & ſalvæ nō ſint,docētę D.Sen. Falſum itaq; eſt quod dicit ſpermologus, & impoſtor ſubornatus,agi de ſanitate & vita, quæ ſolum cōſiſtit in Cali-

in Calido innato, cum ſanitatem peculiarem in occultis qualitatibus collocet Sennertus, quæ lædatur ab occulta qualitate veneni,& generet morbum occultę qualitatis, qui ipſi morbus ſubſtantiæ nominatur. Agitur itaque de læſione ſanitatis, quæ in occultis qualitatibus D. Sennerto conſiſtit: Calidum vero innatum Subornato non eſt occulta qualitas. Quod hic ſit quæſtionis ſtatus ex th. 58. patet.

CIX. Cum ipſi quæſtionis ſtatum veteratoriè immutarunt, id mihi pro ſua calumniandi libidine impingere conantur, & exclamant; *hic Rhodus hic ſalta*. Sed euge lepidiſſime Ganeo, quod nobis argumentum ſaltas, quod valdè claudicans & inſtar ſui authoris mutilum eſt? Eſt verò ex meis verbis bene prolatis male cõtextum, quod in tali ab ipſo profertur formâ. Quidquid in inſenſibili quantitate, maximam qualitatum & perniciter celeriterque agendi & corrumpẽdi potentiam habet, id nec ob temperiem agit, nec ad temperiem tendit. Venenum ſic agit, ergo &c. Verum ubi in theſi mea dico quod venenum agat temperie? ſi occultam qualitatem, qua dixi agere venenum nominas temperiem, per me licet. Ego venenum dixi agere in nos occulta qualitate quæ à formâ, non primorum elementorum ſed ex rerum varie miſtarum materiæ potentiâ ſit producta, ut & ſuperius demonſtravi. Materia illa eſt elementaris, non quintum aliquod corpus, quod ex elementari materia conditum non ſit: tale enim non datur: illud, qualitatem à veneni forma generatam & directam habere, quæ indicibili vi corrumpendi noſtram naturam prædita ſit, dixi. Sed quid corrumpit illa occulta qualitas? non temperiem, inquit ſuborna-

ornatus, ſed Calidum innatum in quo ſanitas & vita conſiſtit. Verum ſic falſa eſt regula, quâ tota morborum lerna ſuperſtruitur: quod actiones ſint contrariorum unius generis. Neque enim dicente ſubornato Calidum innatum eſt qualitas, nec occulta qualitas, ſed ſubſtantia cui nihil contrarium. Si itaque venenum non agit in occultam qualitatem, in qua conſiſtit ſanitas, nec in Calidum innatum, in temperiem vel animam aget. Non in animam. Ergo in temperiem. Sed temperies non ſine mora & ſucceſſive læditur, venena autem celeriter agunt. ad hoc ut & ad cætera ſufficienter reſponſum eſt.

CX. Ridiculum eſt quod ſequitur argumentum: Quicunque humores in peſte non corrumpi adſerit, ille peſte infectum ſalva vel parum mutata temperie manifeſtarum qualitatum, ægrotare adſerit, ſed Freitagius ita ſtatuit. Ergo. Inutiles ſunt næniæ & garritus, indigni quibus excipiendis bonæ perdantur chartarum paginæ. Dixine ego in qualibet peſte, nõ inſici vel corrumpi humores? ſaltem hoc dixi, peſtilentiale venenum ſæpe eſſe adeò vehemens, ut exſtinctis intimis ſpiritibus & Calido innato, ſine humorum in venis exſiſtentium corruptione notabili hominem è medio tollat: legantur verba theſis meæ 55.56. & ſi corrumpantur ſpiritus, cum ex elementis eos genitos eſſe probavi, cur non lædatur temperies?

CXI. Sed ille pergit ejuſdem monetæ argumenta cudere. Quicunque à veneno non manifeſta ſed occulta qualitate agente, ſpiritus ſtatuit corrumpi, ille morbum venenatum pro morbo temperiei habere nequit. Sed Freitagius ita ſtatuit. Ergo &c. Verũ (ut paucis reſpondeam, dico) quicunque venenum occul-

occultâ qualitate ſpiritus deſtruere & ſic ſpiritus corrumpere & diſſolvere evidenter demonſtrat, is venena morbum temperiei inducere docet. Quod dicit temperiem directe non lędi à veneno ſed calidum innatum, ipſius eſt commentum, & ſi Calidum innatum lædere poteſt, utique temperiem lædere poteſt; quinimò neceſſariò lædit, quia id elementaris eſt temperiei & ſubſtantiæ.

CXII. Tertio notetur ingens abſurdum, quod ſub finem quęſtionis octavę ex deſperatione ſubjicit Canonem illum, quod actiones ſint contrariorum ſub eodem genere, non ſolum de actionibus inſtrumentalium cauſarum ſed & principalium imprimis intelligendum. *Phy! Diabolo* pudeat abſurditatis & impudentiæ, ad hoc vero ſuperius abunde reſponſum eſt.

CXIII. Sed pergimus ad quæſtionem quam ille format novam, ubi oggrunnit theſi meæ. 49. & 60. in diſp. de morb. ſubſt. Ibi ait vitam & ſanitatem non eſſe in occultis qualitatibus, quia aliud ſit vita & ſanitas, & aliud ſanitatem eſſe ab occultis qualitatibus, & aliud eſſe ſanitatem eſſe in occultis qualitatibus. Verum nugæ ſunt, ſcutica phyſiologicæ ſcientiæ dignæ. Prima calumnia & mẽdacium eſt, me dixiſſe vel ſcripſiſſe, vitam & ſanitatem eſſe unum & idem: qui dicit in unius rei conſtitutione vitam & ſanitatem eſſe, ille non dicit vitam & ſanitatem unum & idem eſſe, Subornatus concedit in Calido & humido vitam eſſe & ſanitatem, & D. Sennertus in calido & humido. lib. 1. Inſtitut. cap. 4. an ideo dicunt eſſe unum & idem, vita & ſanitas ſunt in una cõſtitutione temperiei calidæ & humidæ, licet variè diſpoſitâ: imò vita,

ſanitas

ſanitas & morbus in illa ſunt conſtitutione diverſimodè temperatâ teſte D.Sennerto lib.1.Inſtit.cap.4. Et ſanitatem & vitam in Calido innato eſſe paulo ante affirmabat Subornatus. Quomodo autem in una conſtitutione temperaturæ diverſimodè diſpoſitæ ſit vita, ſanitas & morbus ſupra deſpeximus. Sanitatem non eſſe in occultis qualitatibus, ſed ab occultis qualitatibus extremæ deſperationis refugium eſt, à qua temperie ut cauſa efficiente, & à qua occulta qualitate, ut cauſa efficiente, eſt ſanitas, in tali etiã eſt & conſiſtit formaliter, quia cauſa efficiens ſui hic ſimilem effectum producit. Et iis conſtamus à quibus generamur & conſervamur, teſte Scaligero, cauſa enim procreans & conſervans, & effectus harum ſunt unius generis. Et ſi morbus eſt in occultis qualitatibus, tum neceſſario etiam ſanitas eſt in occultis qualitatibus, Et ſi non inſint occultæ qualitates in corpore quæ lædantur ab occultis qualitatibus, in quarum læſione ponatur morbus ſubſtantiæ & occultarum qualitatum, regula Sennerti corruit, quâ ſtatuit actiones fieri à contrariis ſub eodem genere. Et nullus dabitur morbus ſubſtantiæ ſeu occultarum qualitatum, etiamſi à cauſa efficiente dependeat & generetur ſanitas & conſequenter morbus, tamen nec morbus nec ſanitas, eſt in cauſa efficiente ſanitatis & morbi: Et hæc rancida & barbara eſt ſanitatis & morbi cum ſuis cauſis confuſio.

CXIV. Syllogiſmus quo id probare conatur, contrarium probat; eſt vero ille talis. Omne agens agit in ſuum contrarium, quod ſibi ſimile reddere conatur, Qualitates occultæ ſunt agentia. Ergo agunt in ſuum contrarium &c. quodnã illud D.Sen. contrarium? nõ

Calidum

Calidum innatum nõ temperies manifeſtarum qualitatum, ſed occulta qualitas; in hanc agendo inducúnt morbum; morbus eſt affectus corporis viventis lædens actionem. Ergo lædit qualitatem occultam in corpore edentem actiones, in qua illa ſa conſiſtit ſanitas juxta D. Sennertum: non itaque lædit cauſam efficientem ſanitatis quæ eſt extra corporis ſubſtantiam, ſed ſanitatem uti eſt conſtitutio corporis & diſpoſitio ſecundum naturam, quæ fit per morbum præternaturalis actiones lædens.

CXIIII. Cauſa ſanitatis & morbi non perficit bonas actiones neque producit læſas, niſi mediante conſtitutione in qua eſt ſanitas & morbus. Qui itaque ſtatuit à cauſa efficiente agente in naturam noſtram per contrarietatem, produci morbum, ille aſſerit dari qualitatem ſeu conſtitutionem in corpore, in quâ ſit ſanitas; quæ qualitas læſa à cauſa morbifica induit rationem morbi; non enim in alia conſtitutione ſanitas ejuſdem ſecundum idem, atque in alia morbus erit: & ſi morbus eſt in conſtitutione præter naturam partium ſimilarium, ſanitas erit in conſtitutione partium ſimilarium ſecundum naturam, non in cauſis ſuis efficientibus, licet ſit ab iis: non enim efficiens eſt eſſentialis cauſa, ingrediens effectum ſed externa. Bardum & barbarum eſt dicere, venena agere in calidum innatum directè, & ſic ſanitatem & vitam lædere, & nihilominus ex venenorum operatione oriri morbos occultarum qualitatum, nulla admiſſa actione venenorum in occultas qualitates, in quibus illi ſanitatem ponunt: Bardum eſt negare ſanitatem conſiſtere in occultis qualita-

qualitatibus, & tamen in iis eſſe morbum affirmare. Contradictio eſt,ad conſtitutionem partium ſimilarium,ſine quâ ſalvæ eſſe nequeant, requiri occultas qualitates, & tamen negare ſanitatem conſiſtere in occultis qualitatibus, ut facit Subornatus ejus defenſor. In has neceſſariò, vi argumenti Sennertiani (contraria ſunt ejuſdem generis)agunt occultæ qualitates inducentes morbum, uti ipſe D. Sennertus loco proximè ex Inſtit.citato inquit: Si dantur actiones totius ſubſtantiæ, illæ non in primas agunt qualitates, ſed in alias agenti congeneres, & ſic ſibi reſpondentes morbos excitant.

CXV. Quod ex majori deſperatione producit argumentum ex qualitatibus per ſympathiam agentibus, quo probare vult occultas dari in corpore qualitates,illud & dupliciter ipſimet eſt contrarium; Primò quod eo ipſo vult convincere eſſe in corpore qualitates quas lædendo per ſimilitudinem excitent morbos ſubſtantiæ: quod ſi probet neceſſum eſt eſſe in iis qualitatibus ſanitatem,quia morbus non inducitur in cauſam efficientem ſanitatis, ſed in ipſam conſtitutionem in qua eſt ſanitas. Deinde ſibi contrarius eſt; quod contra ſe & regulam Sennerti dicit, actiones fieri per ſimilia, imò morbos fieri per ſimilia, quos per contraria unius generis mordicus fieri defendit; ſed mittamus inanes maleferiatas nugas.

CXVI. Verùm ubi ulterius procedit calumniando theſin 44 & 60,nihil novi profert,ſed redit canis ad vomitum; garrit enim iterum de una ſanitate;ad quod ſupra reſponſum, & iterum profert non ſine nauſea,quod omnia venena non agant in hominem: neque enim nos hoc dicimus, neque id noſtrum ferit

velſolvit argumentum, uti ſuperius demonſtratum. Scopus ejus eſt velle demonſtrare, non tot dari ſanitates quot dentur genera venenorum,&occultarum qualitatum inducentium morbos. Argumentum meum erat tale: ſi omne agens agendo in ſpecificè ſibi contrarium operatur, & occultæ qualitates hoc pacto in corpus noſtrum inducant morbos, neceſſum eſt tot dari occultas qualitates, in quibus conſiſtit ſanitas, quot ſpecie differentes morbi à venenis producuntur: ait enim hoc loco alium eſſe morbum qui inducitur à contagio luis venereæ, alium qui à morſu viperæ, alium qui à morſu canis rabidi, alium qui ab ictu tarantulæ, alium qui ab ictu ſcorpij, alios à venenis aliis. Omne verò agens agit in ſpecificè cõtrarium iſti qualitati quæ propriè læditur, quocirca venenum canis rabidi non eſt ſpecificè contrarium iſti qualitati, quæ propriè læditur à tarantula, & ut qualitas illa quæ læditur à tarantula, ſpecie diverſa eſt ab illa quæ læditur à veneno ſcorpij, ita etiam ſanitates illæ, quæ conſtituuntur ab iſtis qualitatibus diverſis erunt diverſæ. Peculiari qualitate læſâ à peculiari cauſâ, peculiaris inducitur morbus, quia in peculiari illâ qualitate peculiaris fuit ſanitas in occultis qualitatibus ſita, ſive peculiarem ſanitatem quamlibet in unâ, ſive in pluribus cõſtituant. Id itaq; manet, quod ſequitur ex iſta opinione & regula D. Sennerti, innumeras dari ſanitates & innumeros morbos, quod eſt abſurdiſſimum, & novatorum bonas artes corrumpentium & cavillantium commentum.

CXVII. Verùm cum non videret, quo pacto contrarias meas rationes ſolvere, & ſuum illud commentum

tum defendere poſſet, aliam producit fraudem, quâ lectori imponere tentat; dicendo, idem in me argumentum retorqueri poſſe: format vero tale, Quæcunque qualitate occultâ agunt in corpus humanũ, illa in humano corpore ſibi ſimilem petunt. Venena agunt in corpus noſtrum occultâ qualitate. Ergo aliam ſibi ſimilem petunt: Verum, *quod Ganymedes ait, Cres ait atque Ligur.* Præpoſitio quam ſemper dignis & juſtis rationibus oppugnavi, nunquam fuit à me aſſerta, nullam enim occultam qualitatem in corpore dari, in quam agunt venena, ut ſanitatem corrumpant & morbos generent, ſtrenuè à me defenſum eſt. Secundo, falſò eſt formata propoſitio, tam ſecundum Sennertum quam me illam oppugnantem: D. Sennertus nunquam dixit, venena idcircò occultis ſuis qualitatibus in nos agere, quia in ſimilia agant, vel ſimiles qualitates. Hoc modo enim corpus noſtrum foret venenatum, & ex veneno conſtaret, ſed quia agat ibi in occultas qualitates contrarias. Si itaque ſtatuit hoc argumento poſſe evinci, tot dari ſpecies morborum, quot ſunt ſpecies venenorum, ſanè ipſe cum D. Sennerto jam victus eſt, eumque adſtruere oportet tot dari morbos quot ſunt venena homini morbos inducentia. Me verò non ferit iſta ratio, quia nuſquam ſtatuo venena agere in corpus noſtrum, quia agunt in occultas qualitates corporis ſeu ſimiles ſeu contrarias. Sed ſubornatus cavillator porrò progreditur, cavillando & reprehendendo. 1. Quod dicam calorem innatum dominari in temperie manifeſtâ, ſed quis hoc unquam negavit præter hunc moroſophum? D. Sennertus lib. 1. Inſt. c. 4. ipſe docet prolixè & fatetur, quod in illa temperie,

 ubi

ubi calor cum humido ſuperet reliquas qualitates conſiſtat vita & ſanitas. Deinde non ſaltem in manifeſta temperie illum dominari ait; ſed ibidem cap. 5. in illo calido quod ſuperelementaris naturæ aſſerit, calorem, ut qualitatem, qui elementaris eſt, dominari, quia ab illius prædominio nomen acceperit. 2. Mentitur me ſanitatem & vitam confundere: etſi enim in una re eſſe ſanitatem & vitam verum ſit, tamen nec idem eſſe ſtatuo, nec confundo, niſi ipſe unum idemque ſtatuat hoc ipſo, quod vitam & ſanitatem conſiſtere diſertis verbis affirmet in Calido innato. 3. Calumniator hoc allatrat quod dicam nullum unquam philoſophorum vel medicorum retuliſſe vel referre potuiſſe vitam ad occultam qualitatem, quæ mea hactenus ſunt verba. Verum ille malitioſè pervertendo & mentiendo eadêm refert, ac ſi dicam, nullum unquam philoſophum retuliſſe, vel referre potuiſſe vitam ad occultam qualitatem ſeu Calidum innatum occultâ qualitate præditum. Vide improbum hominis mendacium & calumniam: ſed quid hoc ipſo quærit ſubſannator? an in Calido nativo conſiſtat vita, quia conſtat occultis qualitatibus? hoc directè & contra ipſum eſt & contra D. Sennertum: an vero quia operatur actiones vitales per occultas qualitates? ſed & hoc eſt contra D. Sennertum, quia ipſe Calidum innatum omnes ſuas operationes perficere ait per calorem elementarem, lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſen. cap. 10. Sed Calidum innatum idcircò vivificare aut vivere, quia conſtat occultis qualitatibus, falſum eſſe oportet, ſi ſeparatum à vivente corpore, ſeu vitâ exſtinctâ, adhuc ſuperſit

calidum

calidum cum ſuis qualitatibus occultis, & quintam eſſentiam conſtituat; ut vult D.Sennertus. Demum in Calido innato non eſſe nec poſſe generari, modo Sennertiano, occultas qualitates ſuperius demonſtratum: quid ergo Subornatum juvant mendacia? 4. Cavillatur me mortem naturalem cum violenta confundere; verùm pro more ſuo ex falſis ſuis principiis ducit falſas & inanes conſequentias. Mors violenta à naturali, nihil, quoad naturam utriuſque differt, Vtraque enim definitur exſtinctione caloris nativi: Modus vero quo exſtinguitur & cauſa diverſa eſt quæ non infert diverſam vel aliam mortem, quam quæ definita & hac definitione comprehenſa eſt. Sive enim quis violenter ſive naturaliter pereat, exſtinctione caloris nativi perire neceſſe eſt. Mera itaque eſt calumnia me confundere mortem naturalem cum violentâ.

CXVIII. Tandem accingitur ad criminandum meum argumentum, quod ſolidiſſime & in æternum contra illum & D. Sennertum omneſque ejus paraſitos & Phormiones Ganymedeſque ſtabit. Eſt vero tale. Si venena tantum qualitates occultas lædunt, ſequitur quendam ſalvo Calido innato poſſe perire. Ad hoc reſpondet, Calidum innatum directè lædi, peti, perdi, à veneno, & Calidum innatum non eſſe elementarem temperiem; ſed hæc reſponſio contradictionibus & falſimoniis laborat quam plurimis. 1. Illud eſſe Calidum innatum in quo conſiſtit vita, verum eſt. Atqui hanc in elementari temperie ex calido & humido conſiſtere docet Sennertus lib. 1. Inſtitut. cap.4. 2. Certum eſt venena adferre mortem violentam; in violenta autem morte non perire vel

vel perdi Calidum innatum; ſed in naturali tantum, unde cadaver in tract. de Calido innato, ait fieri Ganymedes, ſive adſit ſive abſit Calidum innatum. 3. Contradicit D. Sennerto; quia omne venenum propriè dictum agit per occultas qualitates, omnis actio eſt inter contraria unius generis, & ideo qualitates occultæ introducunt morbos ſibi congeneres, quia agunt in qualitates occultas. Ergo juxta D. Sennertum occultæ qualitates veneni, vel, etiamſi apertis agerent, non agent in Calidum innatum, quia id nec qualitas eſt nec occulta qualitas, dicente Subornato in tractat. de morb. ſubſtant. quæſt. 7. Huc pertinet quod idem paulò antè ſui immemor inquit. In actionibus tranſmutativis nullum agens naturale vel agit vel patitur niſi mediantibus qualitatibus. Cum itaque nulla qualitas directè petat agatque in ſubſtantiam, & occulta qualitas in occultam, & manifeſta in manifeſtam feratur, vi regulæ Sennertianæ, quod actiones ſint contrariorum unius generis, ſequitur quod venena uti non agant niſi per qualitates, ita etiam tantùm directè agant in occultas qualitates, non Calidum innatum, prout eſt σῶμα analogum elemento ſtellarum. Nec enim ſubſtantia in ſubſtantiam agit, ſine qualitatibus, ut ipſe ſuprà dixit, neque qualitates in ſubſtantiam, ſed directè in qualitates ſubſtantiæ ſibi contrarias, ſive eæ occultæ ſive manifeſtæ ſint. Quas enim anteà attulit diſtinctiunculas vel ratiunculas, quod læſa temperie, diſpergatur innatum Calidum, ſeu corpus Calidi innati, & vice verſa, perdito Calido innato perire temperiem qualitatum manifeſtarum, nullæ & irritæ, vel ſtultæ ſunt: ſiquidem qualitates apertæ non de-

pendent

pendent ipſis à Calido innato, ut ſubjecto proprio cum quo pereant. Nec Calidum innatum uti corpus ſuperelementaris conditionis (juxta eorum mentem) fovetur nec conſervatur à qualitatibus elementaribus, ideoque his vel abſentibus vel præſentibus id ſubſiſtere poteſt. Quinimo cùm dicit, qualitates elementares eſſe in atomis elementorum per Calidum innatum diſperſis, atomis pereuntibus perire Calidum, non neceſſe eſt, neque pereunte Calido atomos eorumque qualitates: Sed de his ſuperius uberius actum eſt. Demonſtratum proindè eſt ex Subornati & D. Sennerti ſententiâ & regulis, neceſſariò ſequi hominem exſtingui veneno, ſalvo Calido innato. Neque enim in Calidum innatum illud agere poteſt, neque ob regulam D. Sennerti in manifeſtam qualitatem operari valet, & vi ejuſdem agit tantùm in occultas, ergo manifeſtarum qualitatum temperie illæſâ, & ſalvo Calido innato, vitam auferunt & necant venena; quod abſurdorum abſurdiſſimum eſt.

CXIX. Quartum inconveniens quod deduxi theſi 49. ex opinione novitiæ philoſophiæ Sennertianæ, inconvenientiſſimè à me allegatum eſſe inquit. Hæc verò ſunt mea verba. Contrà ſenſuum fidem & teſtimonia negari, actiones à manifeſta temperie dependentes in peſte aut morbis venenatis lædi, quandoquidem appetitus, concoctio, nutritio, pulſus, cæteræque omnes cujuſcunque facultatis operationes quam celerrimè vi veneni proſternantur. His opponit; illas actiones facultatis vitalis & naturalis à nuda temperie non provenire: plura ad eas edendum requiri quàm temperiem eſſe ruſticis etiam notum.

Bona verba Ganymedes; quænam ſunt illa in genere cauſæ inſtrumentalis? ſanitas enim eſt harum actionum cauſa inſtrumentalis & morbus eos lædit. Paulò ante ſub finem quæſtionis octavæ dixit, non ſolam temperiem, nec ſolam vim chylificam (ad concoctionem ventriculi) nec ſolum Calidum innatum, nec ſolam animam ſufficere, ſed hæc omnia & adhuc alia plura: quænam ſunt illa alia plura? fortè ſunt occultæ qualitates quas non nominaſti. Verùm affaniæ ſunt; præterquam enim quod ſuperius ſatis reſponſum eſt, dicimus animam nec ſanam nec ægram fieri, ejuſque vi actiones ſanitatis integras vel læſas quatenus tales ſunt non edi, nec in medicam conſiderationem venire animam. Et ubi quæritur de cauſa inſtrumentali, non reſpondendum de principali: anima ut anima nullam edit actionem in ſpecie ſine organo (excepto intelligendi munere) nec ſanas vel ægras actiones, ſine ejus diſpoſitione: In illa diſpoſitione conſiſtit ſanitas & morbus. Cum itaque omnis ſanitas conſiſtat in diſpoſitione corporis, & Calidum non ſit diſpoſitio, ſed ipſummet corpus, & pars corporis materialis, neque detur diſpoſitio corporis ex occultis qualitatibus, in qua conſiſtat ſanitas edens actiones, cum non dentur in hunc finem qualitates tales in corpore, uti probatum eſt, relinquitur unica iſtarum omnium actionum cauſa, videlicet temperies, in qua ſit ſanitas, quæ eſt actionis cauſa. Calidum innatum ut ſubſtantia non operatur, & ſi operetur, teſte D. Sennerto, operatur per qualitates, & ſic morbus nihilominus eſſet in qualitatibus, & qualitates proximæ,

actionum

actionum cauſæ ſive occultæ ſive manifeſtæ. Neque anima operatur niſi per organa, eorumque diſpoſitionem & qualitates. Ergo omnes, quas hic conſideramus actiones à diſpoſitione organorum, & cumprimis temperie proveniunt. At hæc ad ſatiem ſunt ſuperiùs demonſtrata.

CXX. Sed cavillator pergit ad quintum inconveniens, ſugillando quod actiones & paſſiones adſcribam qualitatibus, cum actiones & paſſiones ſint ſuppoſitorum. Verùm lividiſſime calumniator, annon meminiſti logicarum & phyſicarum præceptionum, quod qualitates aliæ ſint activæ, aliæ paſſivæ ſeu patibiles, & quod paulò ante dixeris, agentia naturalia qualia ſunt ſubſtantiæ, & ſuppoſita, non agere vel pati niſi mediantibus qualitatibus, & actiones ut ſuppoſitis & ſubſtantiis tanquam cauſis principalibus, qualitatibus tanquam inſtrumentalibus adſcribi. Livor & calumniandi libido & deſperatio in mala cauſa moroſophos quidvis effutire facit.

CXXI. Sed quod ſequitur pejus habet iſtorum malos genios, & negravitatem rei quilibet intelligat, dicis cauſâ ait in nomen morborum occultarum qualitatum me invehi, dicitq; me mirari aut calumniari, quod morbos occultarum nominet D. Sennertus morbos ſubſtantiæ. Verùm ſcias malitioſe calumniator, non eſſe calumniam, ſi quis veritatem dicat: dico abſurdum eſſe, id quod qualitas eſt, nominare ſubſtantiam, & vice verſa ſubſtantiam dicere qualitatem; morbum qui ſit in qualitate, appellare morbum ſubſtantiæ, cum nec in ſubſtantia nec ſubſtantiæ detur morbus. Duplicem vero allegat cauſam Ganym. pro ſuo Vejove, qua compulſus morbos occultarum

qualitatum, morbos ſubſtantiæ Ganymedes nominet: una eſt neceſſitas quæ cogat rebus noviter inventis (novis dixiſſes mendaciis) nova imponere nomina, ſecundam non recenſet ſed relegat lectorem ad Inſtitutiones D.Sennerti,& ad theſ. 2. quæſt. 1.& 2. Sed ad primam rationem; an res noviter inventa debet inſigniri nominibus ſuæ naturæ contrariis? an res noviter inventa dici poteſt, quæ nulla eſt? mendacia & figmenta otioſorum hominum, non conſtituunt novas res, nec diſciplinas: morbi occultarum qualitatum non dantur in corpore, quia tales non ſunt ibi occultæ qualitates in quibus excitentur. Tertiò, ſi darentur illi morbi, nulla tamen neceſſitas impelleret D.Sennertum, nominare morbos ſubſtantiæ quia nominat illos morbos occultarum qualitatum ad diſtinctionem morborum, qui ſunt in apertis qualitatibus. Et illud nomen, ſi dari poſſent, vel darentur, illis longè convenientiſſimum foret, nec quenquam ſeducere queat in errorem.

Altera ratio quam profert, cur morbus qualitatis occultæ debeat nominari morbus ſubſtantiæ, videlicet quod qualitas occulta, proximè genita ſit à forma ſpecifica,& forma per illam proximè agat, agatq; non in apertas ſed occultas qualitates, unde actiones totius ſubſtantiæ vocentur, nulla eſt. Id enim cũ manifeſtis qualitatibus habent commune, quod fiant à formis ſpecificis, & harum tanquam principalium vi operentur, idque non in ſubſtantiam aliã, ſed in congeneres qualitates; etſi enim non operentur in manifeſtas qualitates, tamen operantur (ex eorum ſenſu) in occultas & non in ſubſtantiam. Ergo earum actio non eſt actio totius ſubſtantiæ, magis quam apertarum,

apertarum, nullo jure morbus in illis magis dici poteſt morbus ſubſtantiæ, quam is qui eſt in apertâ temperie: ſed ſputum Sennerti eſt ambroſia Subornati, nihil tam inaniter vel vanè dictum à Sennerto, quod ille cavillator rabioſè defendere non præſumat, etſi falſum, fictum, inutile, & à nullo ſenſato ſanoque pectore approbari poſſit. Quis Sennerto illam dedit poteſtatem nova contra naturam rerum rebus dare nomina? ille ipſe inquam, qui ipſi dedit facultatem novos fingendi & comminiſcendi morbos, diſciplinas veteres veraſque conturbandi, & veræ philoſophiæ immobilia principia convellendi, & ex hoc Paracelſicam barbariem reducendi. Fernelium reprehendit quod morbos ſubſtantiæ invehere voluerit, ſed ille rectius quam Sennertus egiſſe videri poteſt. Siquidem ille ponit eos in ſubſtantiis, & cum tales dari nequeant, deceptus eſt.

CXXII. D. Sennertus ne non aliquid inveniſſe videatur, non tantum novos comminiſcitur ſubſtantiæ morbos, quales tamen nulli dantur, nec dari poſſunt, ſed etiam illos ponit in qualitatibus, in re toto genere diverſâ; ſed licet plura de his dici poſſent, tamen plura quam propoſitum erat de his dicere ſuſtinui, quod livor & impudentia adverſarij malè feriata longiorem extorſerit ſermonem.

CXXIII. Progrediamur nunc ad quæſtionem decimam, qua quæritur ad quam morborum claſſem morbi venenati referendi ſint. Quæ initio examinis cornicatur vitilitigator, reſponſionem non merentur. Quod verò omnem morbum occultarum qualitatum, quem illi morbum ſubſtantiæ nuncupant, negant eſſe venenatum, id probatione indiget, ſed probationem

probationem afferunt talem, quod multa agant in nos totâ ſubſtantiâ, quæ venena non ſunt. Verùm etſi largiri poſſemus dari aliqua quæ occultis qualitatibus (quod ipſis eſt tota ſubſtantia agere) in nos agant, tamen nulla dantur, quæ per eas ſanitatem lædant, morbos mortemque inducant, præter venena. Probandum non erat an aliqua agant in nos occultis qualitatibus, vel, uti novatores dicunt, totâ ſubſtantiâ, ſed an præter venena dentur occulta qualitate agentia quæ morbos & mortem inducere nata ſunt. id probent.

CXXIV. Sed & conſtantem antiquitatis & Hippocr. Galeni, Ariſtotelis, in hæc uſque tempora & hujus ſeculi optimorum philoſophorum ſententiam, de veneno lædente primò cor & Calidum innatum quatenus elementaris qualitatis & conditionis eſt, quodque eo illæſo & præterito non agat in alias occultas qualitates corporis, in quibus alia vita & ſanitas conſiſtat, impudentiſſimus ille tenebrio indignus qui corrigiam ſublimibus iſtis ſcientiarum conditoribus majorumque gentium Doctoribus ſolvat, nugas vocat; vox barda & barbara mancipij & phormionis Sennertiani ſcuticâ digni, qui pro ſputis & excrementis ſui Væjovis D. Sennerti, tot tantisque mendaciis, ſarcaſmis & hæreſibus latrare non erubeſcit. Ad proximè ſequentia ejus convitia, ubi me monſtra ſub occultis ambagibus occulere garrit, non reſpondebo, ſed mearum rationum & argumentorum veritatem vindicabo & confirmabo. Vbi notandum, quod potiora argumenta theſi 64. comprehenſa, ad quæ reſpondere non poterat tacitus præterit, & pro ſuo more illa excerpit, quæ

commodius ſe arrodere poſſe, ejuſque calumniæ magis expoſita eſſe autumabat: horum quatuor recenſet.

CXXV. Primum eſt tale: Quicquid parti, cujus ſanitas in aperta temperie primarum qualitatum conſiſtit, qualitatem malignam inducit, illud morbum intemperiei producit. Venenum hoc facit. Hic reſpondet Ganymedes Subornatus, minorem principium petere, nec me demonſtraſſe, occultam qualitatem in corpore non dari, in quam vi ſpecificæ contrarietatis agat occulta qualitas veneni, ait me de probatione Thraſonicè, gloriari, ſed qualis ea ſit videndum ex antitheſ. quæſt. 6. & 7. Sed recurre eo lector, & vide & judica quomodo ſuperius in hac diſputatione antitheſium ineptiæ diſcuſſæ & diſpulſæ ſint, & quæſo præter ſuperiora, quibus abundè reſpondi, accipe & hoc: Occultas qualitates veneni, non agere in occultas qualitates corporis noſtri, ſed directè agere in Calidum innatum, illudque perdere, & ſic facere ut ægrotet & moriatur homo, uti ipſe ex D.Sennerto, & pro D.Sennerto, & pro ſe, non in unis locis ſupra citatis clamat & exclamat Subornatus; Calidum verò innatum illi nec qualitas (ut ipſemet inquit) nec occulta qualitas eſt, ſed ſubſtantia. Ergo ex ipſius Ganymedis verbis conſtat & certum eſt, venena occulta ſua qualitate nō agere in occultas qualitates corporis noſtri, ut morbos inducant, ſed directè in Calidum innatum: Calidum vero innatū conſtare temperie elementari, ipſe D.Sennertus fatetur, ut ſupra probatum eſt; ſed & contra eundem ejuſque Ganymedem, totum ejus corpus eſſe elementare demon-

demonſtravi. Non igitur agere venena in occultas qualitates, ſed in temperiem apertarum ſatis ſuperque probatum.

CXXVI. Secundum argumentum ex meis taliter format: Quicquid in morbo affligitur, id morbo dat denominationem, calor vitalis & humidum primigenium, quæ non in occultâ ſed manifeſtâ temperie conſiſtunt, affliguntur in morbo venenato. Ergo calor ille & humor dant morbo venenato denominationem, ut morbus temperaturæ vocetur. Verùm amice lector, quo animi eſt candore ſubſannator eodem recenſet mea verba, quæ theſ. 65. ſic habent. Quæritur qualis ſit morbus qui à veneno introducitur: reſpondeo ex affectione ejus rei quæ affligitur, non à veneno morbum nominandum. non affligitur à veneno occulta qualitas, ſed calor vitalis & humidum primigenium, quibus omninò illæſis nec ſanitas nec vita periclitari poteſt, quæ non in occultâ ſed manifeſtâ temperie & qualitate conſiſtit. Affectio itaque eſt temperiei & morbus temperaturæ, licet non à manifeſtis ſed occultis qualitatibus illa temperies læſa corruptaque ſit, cum certum ſit pati poſſe. Calidum humidumque primigenium, non ſaltem à manifeſtis ſed & occultis qualitatibus.

CXXVII. Hic cavillator tranſitoriè majorem & directè minorem negat: majorem allatrat eo quod, ſi illa ſimpliciter concedatur, morbum non poſſe dici venenatum, quia nullum affligitur in corpore hominis venenum, & morbus venenatus ſit à veneno, non in veneno; Verùm hæ tricæ & apinæ & nugæ ſunt, & affaniæ inanes: morbus dici poteſt venenatus, propter cauſam venenatam; etſi eſſentia morbi

conſiſtat

conſiſtat in læſa à veneno temperie,& ad morborum temperiei claſſem pertineat. Minor plus quam vicies probata eſt: Neque enim dantur occultæ qualitates in corpore in quas agant venena, & Calidum innatum teſte Sennerto conſtat caliditate elementari, quinimo totum eſt elementaris originis.

CXXVIII. Tertium argumentum ex meis verbis ab illo ſic formatur: Omne agens ſibi ſimile reddit ſuum patiens, Venenum eſt agens & corpus noſtrum patiens &c. Ergo. Porro quicquid ſibi ſimile reddit noſtrum corpus, id alterat corrumpitque manifeſtam temperiem & partium ſyncriſin. Venenum ſibi ſimile reddit noſtrum corpus. Major probatur, primò, quia noſtrum corpus conſtat non occultis, ſed manifeſtis qualitatibus: ſecundò, quia idem dicit Gal. lib. 1. de ſemine cap. 16. In primo ſyllogiſmo ait falſam eſſe majorem excluſive intellectam.

Verùm major eſt D. Sennerti ex Gal. tranſlata & mutuò ſumpta, illi non mihi eam negat, cum illo tranſigat. Ait enim D. Sennertus in Inſt. lib. 2. part. 1. cap. 4. Omne agens ut agit, cupit naturaliter ſibi ſimile reddere ſuum patiens: id cum dicit Sennertus, cujus ſputa Ganymedes lingit, verum eſt; cum Freitagius dicit, cavillandum, rodendum, inficiandum. Probationem primam ait iterum principium petere; verum illa ad ſatiem multifariam probata & probatiſſima eſt. Deinde ut ſuo more calumniari poſſit, mendacium rei adhibet; Ait me dicere corpus noſtrum non conſtare ex occultis ſed manifeſtis qualitatibus: id vero acriter ſubſannat, quia corpus noſtrũ putat conſtare ex materiâ & formâ. Verum & hic merus eſt cavillus ex mendacio conſutus, & ex calumniandi

lumniandi libidine profectus : Nam ego non dixi corpus noſtrum conſtare ex qualitatibus , vocula *ex* in meo theſium contextu non invenitur , ſed malitiosè inſeritur à Ganymede. Conſtare itaque qualitatibus corpus noſtrum, idem eſt quod ineſſe. Et ſi pariter mihi vitilitigare liberet, ſimili ratione, & meliore, carpere queam, quod dicit corpora noſtra conſtare ex materiâ & formâ, cum conſtent per formam, & ex materia : ſed indignum eſt ad ſubſannatoris apinas vel gry reſpondere.

CXXIX. Secundam probationem à Galeni teſtimonio deſumptam rejicit, quia Galenus fuerit homo ethnicus, qui creationem ignorarit ; ideoque omnia elementis tribuerit. Verum hæc non contra me militant, ſed contra D. Sennertum , quod ex Galeni l. 1. de ſem. cap. 16. & aliis pluribus ſuam ſententiam exſtruit, cujus ductu Galenum, uti habent meæ theſis verba, allego. Si impietas eſt allegare Galenum, hominem Ethnicum ignorantem doctrinam de creatione divinitus revelatam, non ego, ſed D. Sennertus maximè peccavit ; illi objice impietatem. Sed ut quod res eſt dicam , ethnicus ille Galenus in hac doctrinâ, de hominis, quo ad corpus, ſubſtantiâ & materiâ, longè ſincerior , pientiorque fuit , vobis novatoribus, qui Chriſtianam fidem profitemini, & revelatæ doctrinæ aſſenſum jactatis. Galeni non revelata doctrina phyſica , de corporis humani materia, cum doctrinâ Moſis & ſacrâ paginâ conſentit , vos autem ſacram Scripturam innumeris mendaciis cõſpurcatis, corrumpitis , in falſos & hæreticos , & ab Eccleſiâ rejectos ſenſus detorquetis : paucis illud hac occaſione patiamini ut probem. Galenus corpus humanum

humanum ex elementis eorumq; qualitatibus conſtare aſſerit; idem dictitat Moſes, idem ſentit Eccleſia cum & ex Moſe; eadem fuit ab omni antiquitate invariabilis & conſtans omnis & totius Eccleſiæ ſententia, cui nemo ſanorum Chriſtianorum theologorum contradixit, contradicentes pro hæreticis habuit; id quod ex explicatione operis ſextidui demonſtravi. Vos corpus humanum non tantum ex luto & pulvere conſtare, & ex his non ſaltem natis alimentis nutriri, auſi fuiſtis contra Chriſtianam fidem mentiri, ſed ex quintis eſſentiis veram & ipſiſſimam corporis ſubſtantiam & ejus alimenta eſſe, & conſtare quæ ſunt ſupra elementorum conditionẽ, neque ex elementis: Elementa iſtius veri corporis quinteſſentialis eſſe thecam, matriculam & indumentum; in illis conſiſtere vitam, & omnium actionum cauſam, contra univerſam Eccleſiam & ſanam philoſophiam exclamare auſi eſtis. Talis res eſt vobis calidum nativum, quintum corpus, à quâ quintâ eſſentiâ, ſeparata elementa vobis nominantur, inutilia pondera & fæces; quæ neſcio quibus rellolleis notentur dictionibus, cum tamen vir Dei Moſes, hominem pulverem nominet, ex quo factus ſit, & in quem revertatur. Hic judica, lector, uter ſcriptor melior in hac parte, an gentilis, ignarus creationis, qui fecit pro & cum Scriptura, an verò Chriſtianus, qui Scripturam ad novas hereſes detorquere, veritatem divinam pervertere, corruptelas ſopitas excitare, totius Eccleſiæ conſenſui, pientiſſimæ & orthodoxæ antiquitati obſtrigillare, ſuaſque opiniones male natas, præ livore potius defendere, quam veritati cedere, ſuſtineat. Sed doctrina ſacræ paginæ per

Moſen tradita, non ſolum vellicatur horribiliter, ſed & laceratur per hos novos novæ ſectæ conditores & moroſophos, dum quintas producunt eſſentias, ex quibus noſtra corpora potiſſimum conſtare ajunt, ſed etiam Epicureorum & Democrati atomos reducunt, & ex iis magnam partem conſtare & facta eſſe noſtra corpora, impiè, & impudenter, & hæreticè ſcribere, & profiteri non verentur. Id diſertè & apertè fecit ille ſacræ fidei & bonarum diſciplinarum corruptor Sperlingius, in tract. de form. orig. non unis in locis, ubi corpora noſtra non ex elementis tantum, ſed & ex impatibilibus atomis ab elementorum naturâ & eſſentiis planè diverſis (quales fuere Democrati & Epicuri) magnam partem eſſe coagmentatam apertè dicit, & impudenter effutit. Interim vir lepidus alios Chriſtianos allegantem Galenum gentilem, ſed cum ſcriptura ſentientem & loquentem, ſugillat, cum ipſemet jam dudum ab Eccleſia damnatas, & omnibus piis exſecrabiles Epicureorum opiniones, jam dudum ad hæreſes relatas, & cum iis rejectas, non ſine ſcandalo publico (vide Witeberga qualem alas profeſſorem) reducat, & magno conatu, bruto clamore, ſarcaſmis, conviтiis, mendaciis & fraudibus impudenter & veteratoriè defendere præſumat. Non eſt itaque quod nobis authoritatem Galeni ut gentilis, cui ignota fuit doctrina de creatione revelata, objiciat, cum ei non contradixerit, ſed propius ad veritatem ejus acceſſerit, quam ij qui in media Eccleſiâ ſedentes, ſub prætextu & obtextu fidei Chriſtianæ, contra fidem Chriſtianam & ſincerum orthodoxum veteris & ſequentis Eccleſiæ conſenſum,

ſenſum, opiniones Democrati, Leucippi, & Epicureorum reducunt: quinimo Paracelſi, qui magus impurus, magiæ ſtudia ab inferis & republica Diabolorum, uti vas blaſphemiæ in Deum, & ſacram Scripturam contumelioſum revocavit, doctrinam amplectuntur, & ex hujus philoſophia, & veteri uſitata unum ſyſtema coagmentare, ut D. Sennertus, vel ſolum id, omni exploſâ veteri Ariſtotelis & peripateticorum doctrinâ erigere, & ſcholis obtrudere, uti videtur velle Sperlingerus, maximò conatu nituntur; ſed de his deinceps & accuratius, & uberius.

CXXX. Revertimur ad examen eorum, quæ adverſus argumentum meum tertium afferebat Ganymedes & Subornatus D. Sennerti. Proinde diſpulſis iis, quibus directè id oppugnare nitebatur, progredimur ad rationem quâ obliquè illud adoriri molitur: Ait enim ſe inverſurum argumentum meum, quo D. Sennerti opinionem ſe ſtabiliturum confidit. Argumentum ejus inverſum & perverſum tale eſt. Quicquid qualitate occultâ præditum eſt, ſibique corpus noſtrum ſimile reddit, illud morbum occultarum qualitatum ſeu totius ſubſtantiæ inducit. Venenum occultâ qualitate præditum eſt, & ſimile ſibi corpus noſtrum reddit. Ergo &c. Verùm reſpondeo ex D.Sen.regulâ, nihil ſibi quippiã ſimile reddere poteſt, niſi agat in ſibi ſpecificè cõtrarium; nihil ſuam inducere qualitatem, niſi contrariam in ſuam naturam convertat; Atqui in corpore noſtro non dari qualitates occultas veneni, qualitatibus ſpecificè contrarias, ſufficienter demonſtratum eſt. Et hoc pacto venena non poſſent in nos agere.

Caderet itaque minor, vel cadit regula Sennerti. Atqui venenum occultâ qualitate agere in Calidum innatum dicit Ganymedes. Ergo cadit regula D. Sennerti, & huic ſuperſtructa de morbis ſubſtantiæ univerſa lerna.

CXXXI. Cum itaque venena agant in nos, & agens, juxta D. Sennertum & Galenum agendo ſibi ſimile conetur reddere patiens, agent in Calidum innatum vel temperiem corporis; occultæ enim qualitates, in quas agant per contrarietatem non adſunt, & in Calidum innatum, ut eſt ſubſtantia, agere nequeunt, *quia ſubſtantiæ, dicente Ganymede, vel res naturales, quicquid agunt vel patiuntur, id agunt vel patiuntur per qualitates. relinquitur itaque temperies, in quam agant.* Sed quomodo agunt? ſibi ſimile reddendo: quomodo ſibi ſimile reddunt? occultâ ſuâ id faciunt qualitate temperiem manifeſtam corrumpendo, & in ſuam naturam vertendo. In hac temperiei corruptione, à qualitate occultâ veneni, conſiſtit generatio morbi, & morbus in temperie corruptâ, à venenoſâ qualitate. Qualitas itaque venenoſa eſt cauſa morbi ſeu corruptionis intemperiei, intemperies corrupta à venenoſâ qualitate eſt morbus, qualitas veneni non eſt morbus, ſed cauſa ejus. Et conſtitutio & diſpoſitio ex hâc læſa, conſtituit rationem morbi, ſine enim læſâ conſtitutione corporis, in quâ conſiſtit ſanitas, non datur morbus: Si darentur occultæ qualitates in corpore, in quibus conſiſteret ſanitas, & in has ſpecificâ vi contrarietatis agerent venenorum qualitates, ſanè in eorum corruptione conſiſteret morbus, vi argumenti juxta D. Sennerti mentem editi. Non in nudâ qualitatis actione conſiſtit morbus,

bus, ſed in corruptâ conſtitutione ſanitatem perficiente per qualitatem eam corrumpentem.

CXXXII. Ad argumentum quartum reſpondens, antiquam crambem vel vicies recoctam & olidam reponit, videlicet venena non agere directè in temperiem manifeſtam, ſed Calidum innatum gaudens (lapides narrat & ſententias loquitur) quintâ eſſentiâ. Quo reſponſo evertit regulam ſui Vejovis D. Sennerti, quod omne agens agit in contrarium ſui generis; juxta quam veneni occultæ qualitates debebant agere directè in alias occultas corporis qualitates, non in Calidum innatum, quod eſt ſubſtantia per ſe & directè impatibilis ab illa qualitate: Deinde mendacium monſtrumque Paracelſicum eſt, Calidum innatum eſſe quintam eſſentiam.

CXXXIII. Demum quod venena ut venena ait continuum non ſolvere, ſed tantum quatenus ſunt acria, falſum eſt: ſiquidem ſeptica vi malignæ & venenoſæ qualitatis ſubſtantiam corporis in cadaveroſam ſaniem & putrilaginem vertunt, quod non faciunt eſſcharotica & pyrotica, ſeu cauſtica vehementiora, plus acrimoniæ & caloris habentia.

CXXXIV. Tandem ultimus, quo mendaciorum, calumniarum, ſarcaſmorum, cavillationum, & ſexcentorum convitiorum centonem, adverſus meam de morbis ſubſtantiæ diſputationem conſarcinatum claudit, hic eſt crepitus: Quicunque morbi ita ſimilares afficiunt partes, ut temperie illarum vel nihil vel parum mutata homo ſumme ægrotet, illi novam morborum partium ſimilarium conſtituunt claſſem: morbi venenati, una cum cæteris totius ſubſtantiæ morbis, ita ſimilares partes afficiunt. Ergo &c.

Verùm ſeſquipedalis falſitatis eſſe propoſitionem, jamdudum ad oculum eſt demonſtratum, paucis pro felici clauſula refutationis monſtroſarum abſurditatum, aliquid ex prioribus repetemus. Partes ſimilares conſtant eſſentiali & accidentali conſtitutione. Eſſentialis conſtitutio perficitur materiâ & formâ, accidentalis qualitatibus. Morbus conſiſtit non in eſſentiali, ſed accidentali conſtitutione. Ergo in qualitatibus. Qualitates ſunt occultæ vel manifeſtæ: in his conſiſtit vita & ſanitas, quatenus conſtitutionem ſimilarium perficiunt, & actionum à ſimilaribus edendarum proximum & adæquatum ſunt inſtrumentum, in quâ conſtitutione vita conſiſtit, in eâdem & ſanitas, uti probatum eſt. Vita & ſanitas conſiſtit in calido & humido, quatenus moderatè dominantur contrariis, frigido & ſicco, teſte D. Sennerto libro primo Inſtitut. cap. 4. neque ipſæmet à ſua mediocritate & idioſyncraſiâ naturæ convenienti recedunt. Ergo vita & ſanitas D. Sennerto conſiſtit in temperie manifeſtarum qualitatum, quæ eſt conſtitutio accidentalis. Sanitas definitur D. Sennerto lib. 1. Inſtitut. quod ſit potentia exercendi actiones à naturali partium conſtitutione: vel ſecundum Galenum, quod ſit diſpoſitio ſecundum naturam actionum naturalium author. Sanitas verò cùm alia ſit ſimilarium alia diſſimilarium, illa ſimilarium conſiſtit in diſpoſitione manifeſtarum qualitatum, quæ eſt calida & humida, legitimè cum cæteris temperata. Ergo vita & ſanitas conſiſtit in ſimilarium partium temperie manifeſta, omneſque vitales & naturales actiones ab eadem edentur, ſanitas itaque & vita non conſiſtit

in

in occultis qualitatibus, neque ab iis perficiuntur vitales & naturales actiones. Et cum probatum ſit non dari in corpore occultas qualitates, ad vitam & ſanitatem neceſſariȩ, imò ſi darentur, quod ad actiones vitæ perficiendum eſſent inutiles, nulla in iis dari aut conſiſtere poteſt ſanitas.

CXXXIV. Quæritur itaque an ſanitas ſit in Calido innato, quatenus eſt ſubſtantia ſive ſuperelementaris, ſive elementaris? & reſpondetur quod non, quia ſanitas eſt in conſtitutione accidentali non eſſentiali: Calidum verò innatum dicente D. Sennerto, & Ganymede eſt pars ſubſtantiæ & materiæ corporis; Ergo ſanitas & vita, non eſt in Calido innato, quatenus eſt ſubſtantia corporis naturalis. Si vero quis regerere velit, ſanitatem in occultis vel manifeſtis qualitatibus calidi, ut eſt ſubſtantia, conſiſtere, is ſciat hanc non eſſe Calidi innati, ſed corporis cujus pars materialis eſt calidum. Hic obiter nota novum errorem (qui tamen ſuperius etiam indigetatus eſt) Ganymedis, ejuſque præceptoris: Venenum agere directè in Calidum innatum illudque perdere, & ex hac actione hominem ægrotare & mori ajunt: Calidum innatum eſt ſubſtantia corporis, & quidem materialis. Ergo ſecundum D. Sennertum dabuntur morbi ſubſtantiæ, videlicet morbi materiæ; quam opinionem ipſe D. Sennertus acriter refutavit & planè rejecit. Vide doctrinarum confuſiones, perverſiones, & contradictiones mirificas.

CXXXV. In qua re conſiſtit ſanitas, in illa & morbus erit; ſanitas & morbus ſunt contraria ejuſdem generis & ejuſdem ſubjecti. Sanitas ſimilarium

in ſolâ temperie conſiſtit ſimilarium. Ergo morbus in ſolâ intemperie earundem. Cum itaque nullus detur in ſimilaribus morbus, præterquam is qui temperiem affligit, abſurdorum abſurdiſſimum eſt, novatores comminiſci audere, quod dentur morbi in ſimilaribus quibus earum temperies vel nihil vel parum immutetur. Si itaque nihil detur, quod ſanitatem ſimilarium labefactare & morbum inducere poſſit, præterquam quod temperiem lædat, vel unitatem ſolvat, nulli dabuntur in ſimilaribus morbi præterquam intemperiei, & ſolutionis continui. Et ſic de morbis ſubſtantiæ univerſa lerna & commentum Sennertianum in Cauros abit.

DISPV-

DISPUTATIONIS UNDECIMÆ

De Morbis ſubſtantiæ

Discursus Secundus.

I. IN quâ re conſiſtit ſanitas, in eadem & morbus: contraria enim ſunt ejuſdem generis & ejuſdem ſubjecti. Sanitas conſiſtit in conſtitutione accidentali, non eſſentiali: illa eſt ſimilarium aut diſſimilarium: ſimilarium conſtitutio conſiſtit in temperie; temperies illa eſt corporis, ut eſt mixtum, vel animatum & vivens. Ratione temperiei, quam corpus habet ut eſt corpus miſtum, non eſt ſanum aut ægrum, quia ſanitas & morbus ſunt affectiones corporis viventis & animati.

II. Duplex itaque reperitur in homine temperies, una corporis ſimpliciter, quatenus per miſtionem ex elementis primis conſtat, altera corporis viventis teſte D. Sennerto lib. 1. Inſtitut. cap. 4. fol. mihi 20. Prima ſuperſtes manet aliquandiu in cadavere demortui hominis, & tandem per putredinem corrumpitur & ſolvitur: hæc in vivo homine neque ſenio, neque maraſmo, teſte & Sennerto, corrumpitur; ſed & poſt mortem relinquitur & manet. Ergo ut veri hactenus philoſophi concluſerunt, & ex D. Sennerti verbis jam apparet, in vivo homine eſt impatibilis, licet hoc Ganymedes Sennertianus, contra doctrinam ſui præceptoris cavilletur in tract. de morb. ſubſt. quæſt. 6. Altera temperies illa eſt, per quam corpus ad tactum erat calidum (dicente

ibidem D. Sennerto) dum viveret, ſed vitâ extinctâ, & cadaver factum, redditur frigidum: quâ homo per ſenectutem extenuatur & rugas contrahit. Hinc materiam corporis duplicem ſtatuit, aliam qua eſt corpus miſtum ſimpliciter: altera quâ eſt vivens; ſed juxta D. Sennertum duplex eſt temperamentum hominis, videlicet aliud ut habet corpus ſimpliciter ex miſtis conſtans, & aliud ut eſt corpus vivens. Viventis iterum illi duplex eſt, unum inſitum, alterum influens. Ex his tribus concludit hominis temperamentum conſtitui.

III. Totius proindè temperamentum ex triplici temperie conflari ait D. Sennertus lib. 1. Inſtitut. cap. 4. fol. mihi 24. Hoc autem temperamentum ex triplici quaſi temperamento conflatur; nempe temperamento partium ſingularum, quod ut miſtæ ſimpliciter ex elementorum miſtione ſimilares obtinent. Deinde temperamento illo quod obtinent, ut viventia, ob calorem ſingulis partibus connatum: & denique illo, quod à calore vitali influente, qui inſitum fovet & conſervat, & quaſi perficit, accipiunt. Temperamentum influens dari aſſerit, quia calor viventis proprius, ſit mitis & debilis, ſolusque ad vitam & ejus actiones non ſufficiat; quocircà requiratur alius influens è corde in corpus univerſum calor, qui illud calefaciat, ſeu qui illum reſtauret. Hactenus D. Sennert. Hoc probat ex animi deliquiis, in quibus corpus frigidum redditur, non ob temperamentum vel calorem corporis miſti, quod is adhuc ſit in cadavere licet frigido, & per putredinem exſtinctâ jam vita, pereat: neque ob calorem viventibus inſitum & proprium, in quo vita conſiſtat, quoq; animal planè deſtitui

deſtitui non poſſit, cujus operâ in deliquiis animi partes adhuc appareant tepidæ, neque ſint ita frigidæ ut in mortuis. Unde neceſſariò ſequi ait, dari temperamentum influens. Verùm eſt error novatorum novus, ut hoc obiter moneam. Calor enim in corde genitus, & per arterias influens in univerſum corpus, non conſtituit novum temperamentum, novumque calorem, ſed inſitum qui continua reſtauratione & conſervatione indiget, reparat, reficit & conſervat. Ex ejus itaque diſſipatione vel affluxus averſione & inhibitione calor innatus protinus langueſcit, corpusq; intepeſcit & refrigeratur: neq; alia perit & affligitur tẽperies aliusve calor, quã qui eſt inſitus, & vivificus, quo temperamentũ totius propriè definitur.

IV. Hic quærendum in quânam temperie cõſiſtat ſanitas & vita, cũ in una & eadem, ipſo docente Senn. conſiſtere, indubitatò concludendum ſit, uti porrò videbimus. In temperie illa, quæ ita eſt in corpore, ut in vivente, non patiatur, quæque exſtincta & ſublata vita, in cadavere adhuc remanet, & ad tempus ſupereſt, & non perit in ſenio, neque in maraſmo, ſolumq; per combuſtionem aut putredinem, qualis eſt temperies miſti, dicente D. Senn. pereat, vita & ſanitas conſiſtere nequit: ſiquidem mors eſt exſtinctio Calidi innati, & morbus eſt via ad mortem, ſenſim aut violenter depeculans illum calorem, in quo vita conſiſtit, donec eum penitus tollat, unde mors. Quocirca ſanitas & vita in eadem ſunt temperie, eademque à morbo vel ſenio afflicta perit, cùm quoad in eo ſanitas, tum quoad ineſt vita.

V. Sanitas itaque & morbus cum cõſiſtant in partibus corporis, quatenus ſunt viventes: ſunt enim affectiones

affectiones corporis viventis, corpus verò ut ſimpliciter ex miſtis & temperie miſtionis conſiſtit, non vivit, ſequitur quod in illa temperie ſtet ſanitas & & conſequenter morbus, quæ corpori ineſt, ut eſt vivum & animatum.

Cum itaque morbus detur intemperiei, neceſſe eſt ſanitatem eſſe in temperie; temperies vero eſt propria ſimilarium. Hæc temperies in qua ſanitas conſiſtit, non eſt corporis quatenus eſt miſtum, ſed quatenus eſt corpus vivens. Ergo ſanitas & vita conſiſtit in hac temperie. Sed an illa temperies ſit primarum & manifeſtarum, ſeu elementarium qualitatum, idque primò juxta Galen. Hippo. Ariſtotelem, & demum juxta D. Sennerti doctrinam? omninò, & ſecundum illos, & juxta doctrinam D. Sennerti in Inſtitut. lib. 1. c. 4. ſanitas & vita ejuſque continuatio, & indè formatæ hominis ætates, in conſtitutione & diſpoſitione temperiei conſiſtunt. Id primò docet loco citato ex Gal. lib. 6. de ſanit. tuend. c. 3. ubi hæc citat verba Galeni. *Qui maximè humidi ſunt, ii maximè ſunt longævi, iidem & ſanitate, ubi corpus ad robur pervenit, plus cæteris fruuntur, & cæteris, qui parem ætatem agunt valentiores ad extremum uſque ſunt ſenium.* Id idem D. Sennertus ibidem ex Ariſtotele confirmat, dum in hæc verba erumpit & ſcribit. *Certum eſt ut ſcribit Ariſtoteles lib. de long. & brevit. vitæ, vitam noſtram conſiſtere in calido & humido, & quam diu animal vivit, in quacunque etiam ſit ætate, calore opus habere ut præcipuo inſtrumento ad omnes actiones edendas, & humiditate, ut caloris pabulo & fomento; frigiditatem & ſiccitatem. (Nota hic quod contraria ejuſdem generis, ejuſdemque ſubjecti, contrarias actiones perficiant) ad mortem*

mortem deducere, ac quo citius refrigeratur & ſiccatur, eò citius ſeneſcere & mori. Ex quo colligitur verum eſſe, optimam temperiem eſſe calidam & humidam.

VI. Ex hoc quærit D. Sennertus, quomodo comparata eſſe debeat tẽperies calida & humida, ut ſit humanæ naturæ ſalutaris & convenientiſſima: hoc eſt, quomodo ſit inſtrumentum animæ aptum quo illa vitam & omnes actiones ad vitam neceſſarias operetur, & exerceat. Ad hoc reſpondet D. Sennert. loco citato, *quod illa temperies calida & humida, naturæ humanæ ſit, atque omnibus actionibus edendis aptiſſima, in qua caliditas frigiditatem & humiditas ſiccitatem ſuperat, & quidem moderatè ſuperat, idque ſequentibus periodis uberius declarat & probat & demum concludit, quod, quamdiu homo vivit, vita in calore conſiſtat, quæ tamen caliditas & humiditas, ſuos gradus habeat.*

Ex hujus calidi & humidi mutatione pendere ætates vitæ noſtræ poſtea affirmat, & ordine probat. Et ipſe Ganymedes Sennerti, quæſt. 8. ſ. 2. R. 1. ait, calorem coquere, nutrire, vivificare, vitam conſervare, quatenus oppoſita ſua ſuperat & rectè gubernat. Huc pertinet quod idem D. Sennertus lib. 2. Inſtitut. p. 1. c. 3. inquit, *cum mors ad frigidum & ſiccum perducat*, certè vita, ut illi contraria, in caliditate & humiditate conſiſtit: At verò ſi vita cum caliditate & humiditate conjuncta eſt, omninò ſaluberrima & optima, nulloque modo morboſa eſt hæc temperies. Hanc maximè homini naturalem eſſe, ipſique ad juſtitiam temperato convenire ibidem aſſerit.

VII. Ex his patet primò, quod ſanitas conſiſtat in conſtitutione partium accidentali. Et ſecundò, quod ſanitas ſecundum D. Sennertum ſit in corpore humano

mano eas quæ ſecundum naturam ſunt actiones exercendi potentia, à partium omnium naturali conſtitutione proveniens; juxta *Gal. vero definiri, lib. de diff. morb. per* † *conſtitutionem omnium corporis partium ſecundum naturam actionum naturaliū auctorem. Quam & amplectitur D.Sennertus, & medico potius definiendum per conſtitutionem naturalem quam potentiam agendi docet.* Tertiò, quod alia ſit conſtitutio partium diſſimilarium, in qua earum conſiſtit ſanitas, & alia ſimilarium. Quartò, *quod ſimilarium ſanitas conſiſtat, in diſpoſitione temperiei, quatenus illa ut calida & humida moderatè ſuperat contrarias (juxta D. Sennertum) qualitates.*

Quintò, quod in illa temperie calida & humida ſic conſtituta, & cum contrariis diſpoſita, conſiſtat tam vita quam ſanitas. Sextò, quod illa temperies ſit manifeſtarum qualitatum non occultarum. Vitam in calido & humido conſiſtere, quatenus dominentur & ſuperent frigiditatem & ſiccitatem, unde naturalis temperies, ad actiones omnes vitæ neceſſarias reſultet optima: temperies illa eſt qualitatum unius generis; nec enim calidum cum frigido, humidum cum ſicco temperari poſſit, niſi eſſent unius generis, & invicem ſibi contrariæ qualitates. Deinde ſenectus, maraſmus & mors oboriri nequirent, niſi frigus & ſiccitas in qua illa conſiſtunt, agerent ut contraria in calorem & humiditatem, in qua vita, ſanitas & ætas vegetior conſiſtunt: hæc verò in ſeſe mutuo ſic non agerent, niſi eſſent contraria unius generis. Siquidem & juxta D.Sennert. in ſe invicem non agerent, quia illi omnis actio eſt inter contraria unius generis. Deinde cum vita & florida ætas con-

ũſtat

† *Definitio ſanitatis.*

ſiſtat in calido & humido elementari, mors quæ illi directè contraria eſt, quæque ex frigiditate & ſiccitate producitur, neceſſariò eſt in tali frigiditate, quæ calido & humido ſpecificè ei directè contraria eſt, & calorem humiditatemque ſuperat. Vti enim in eo quod calor & humiditas moderatè ſuperant frigiditatem & ſiccitatem, eſt vita & ſanitas, ita in hoc eſt mors quod frigiditas & ſiccitas ſuperent calorem & humiditatem naturalem. Hinc enim teſte D. Sennerto eſt ſenectus & mors; actionis vero hæ illi ſunt contrariorum unius generis. Deinde ipſi D. Sennerto vita eſt in tali calore, calorisque temperie, qui actu ad tactum etiam calefacit, & ex cujus actu calorifico ſeu calefaciendi ita conſiſtit vita, ut eo quo ad animal vivat, ullatenus deſtitui nequeat. In eo calore qui actu calefacit, & quo deficiente oritur lethale frigus & mors, quique continua reſtauratione caloris influentis actu, ad tactum etiam calidi, & maxime calorifici, reſtaurari, refici, & in actu caliditatis continuandæ, continuari neceſſe habet, vita D. Sennerto conſiſtit. Hinc illum D. Sennertus nominat inſitum & viventibus proprium, & à calore miſti, qui in homine dum vivit non patitur, & in cadavere, ad cujus per putredinem diſſolutione ſuperſtes eſt, diſtinguit.

VIII. His jactis fundamentis liquidò apparet veriſſimum eſſe quod vita, & ſanitas non ſit in Calido innato ut eſt corpus, deinde uti eſt corpus ſuperelementare. Falſum eſſe quod Ganymed. ex mente D. Senn. pro Sennerto effutit, coctionē, generationē, vivificationem, cæteraq; naturæ opera & operationes naturales,

naturales,non fieri à calido ut eſt qualitas,ſeu manifeſta ſeu occulta, ſed prout eſt ſubſtantia & *σῶμα.* Sanitas enim eſt cauſa actionum,ſive potentia exercendi omnes actiones naturæ & vitæ neceſſarias. Atque ipſa ſanitas,vel potentia ad actiones conſiſtit in diſpoſitione partium, quæ eſt qualitas non in ſubſtantiis ipſis, quia ſanitas conſiſtit in conſtitutione accidentali non ſubſtantiali. Deinde nulla ſubſtantia efficax eſt ſine qualitatibus. Quocircà falſum eſt, quod Calidum innatum ut corpus ſuperelementaris naturæ ſit proximum animæ inſtrumentum ad operandum. Etſi enim anima utatur organis corporeis ad definiendum ſpecies actionum, tamen per organi conſtitutionem,in quâ ſanitas,quæ eſt proxima & immediata actionum naturalium cauſa inſtrumentalis, conſiſtit, eaſdem perficit. Et cum actiones partium ſimilarium à temperie earum inchoentur& abſolvantur,diſſimilarium verò à temperie ſimilarium ex quibus componuntur inchoari,verum à conſtitutione diſſimilarium abſolvi ex Gal. demonſtratum eſt, omne virtutis & facultatis (inſtrumentalis) ad actiones totius corporis exercendas fundamentum & baſin eſſe in temperie, nequaquam in illa ſubſtantia,certum eſt.

IX. Falſum prætereà eſt,quod Calidum innatum ut corpus ſuperelementare,ſit proximum & immediatum domicilium, quo mediante anima inſit corpori reliquo, ut ex elementis conſtat, quemadmodum D.Sennertus lib.1. Inſtitut. c.v. & lib.v. p.1.c.2. docet, quia Calidum innatum ut ſubſtantia eſt pars materiæ corporis, & eſt æquè elementaris conſtitutionis ut totum reliquum corpus, ejuſque materia,

uti

uti ſuperfluè probatum eſt, & vel ex ipſius D. Sennerti teſtimonio & verbis lib. 1. Inſtit. cap. 4. liquet, ubi ait per Calidum innatum, non nudam qualitatem hic intelligi, ſed & comprehendi calori ſubjectam materiam & oleoſam ſubſtantiam. Eſt itaque Calidum innatum elemẽtare & elementaris conditionis, cùm propter qualitatem caloris, tum propter ſubſtantiam in quâ hæret calor elementaris, quia nullum accidens extra propriũm in peregrino eſt ſubjecto. Vbi datur calor elementaris, ibi neceſſariò eſt & ineſt, idcirco quia corpus eſt elementare.

X. Ex quo denuò ſequitur falſiſſimũ eſſe & monſtroſiſſimum ferulâque dignum commẽtum, quod Calidum innatum actu non ſit calidum (cum tamen ex calidis elementis conſtet, cum à calido & ejus dominio teſte D. Sennerto denominationem habeat) & quod non tantum calidum non ſit, ſed quod æquè impoſſibile ſit, ſubſtantiam Calidi innati calefieri poſſe, quam ipſam animam. Et non minus abſurdum eſſe, ſtatuere quod Calidum innatum ſit calidum vel calefieri poſſit, quam ipſa anima ſit calida vel calefiat. Vide quo barbariei & deſperationis prolabantur novatores.

XI. Sed unde igitur corpus eſt calidum, & in quo eſt calor naturalis, cum quo vita eſt, & quo exſtincto, amplius eſſe & ſupereſſe nequit? non in calore miſti, quia is remanet in cadavere, neque tamen per illum cadaver actu calet, non in Calido innato ſuperelementari, in quo Ganymedi dicitur eſſe vita, quia in eo æquè parum caloris quam in ipſa eſt anima, juxta eundem Ganyme-

 dem.

dem. In qua re eſt itaque ille calor, qui totum corpus animalis calefacit, & cujus reſpectu omnium ſenſatorum animalium ſuffragio ineſt vita, vitæque ſignum eſt? Hic monſtroſam dat reſponſionem Ganymedes Sennertianus, videlicet corpus calefieri per atomos igneas, diſperſas per ſubſtantiam Calidi innati, quæ tamen ipſummet non calefaciant, ſed tantum cæterum corpus. Vide lector reſponſum, non refutandi labore, ſed ut virgis cædatur, & è ſcholis explodatur dignum: ſed hoc ſuperius tamen dignè refutatum eſt.

XII. Ex his pariter patet Ganymedem, non ſaltem contra recepta veteris Philoſophiæ principia, uti ſemper fecit, inſurgere impudenter, ſed quod & ſuo præceptori D. Sennerto, turpiter oppedat, cum differentiam inter calorem miſti & calorem animati corporis, quam ſolida philoſophia calorem innatum & connatum, ſeu ſymphytum & emphytum nominat, tollere nititur. Et actiones naturales in corpore fieri velit à calore miſti, & ventriculum ratione caloris miſti, benè vel malè coquere, & oculum bene vel male videre, garrit. Cum tamen D. Sennertus loco citato, ex Inſtitut. lib. 1. cap. 4. tam anxiè & accuratè diſtinguat, inter calorem miſti qui eſt ſymphytos, & inter illum, qui eſt viventium proprius, eſtque animalis & inſitus, quem proprie facit vitæ, & omnium actionum naturalium auctorem; Quin imò, quod ratione horum diverſorum calorũ (non quo ad genus, ſed quo ad functiones & ſubjecta, & diverſas principales cauſas merito quorum diſtinguitur) triplex vel ſaltem duplex fecit temperamentum hominis, videlicet unum caloris quatenus in mi-

in miſtis dominatur & aliud quatenus in temperie viventis dominium tenet, de quo prolixius ſuprà actum eſt.

XIII. Non minus & vanum eſſe diluculat ex ſupra dictis, quod Calidum innatum habeat propriam formam, cùm ſit pars materiæ corporis, unius, cum totâ materiâ ejuſdem, elementaris conditionis, & formam cum toto & omnibus partibus unam & communem habeat, videlicet animam: Et quod non ſit pars organica, quæ propriam, uti os, vel caro, formam habere poſſit; eſt enim pars materiæ non organica.

XIV. Tandem quod ut corpus & ſubſtantia nequeat operari, etiamſi eſſet ſuperelementaris conditionis, qualis tamen non eſt. Et ſi eſſet ſuperelementaris conditionis, ideò nequaquam vitalium & naturalium actionum cauſa eſſe queat ſupra demonſtratum eſt. Quodque, cum omnis ſanitas ſit in conſtitutione accidentali, non eſſentiali materiæ vel formæ, & ſanitas ſit potentia vel diſpoſitio actiones omnes naturales edens, ipſum Calidum innatum uti ſubſtantia & σῶμα ſuperelementare, nec ſit proprium animæ inſtrumentum & domicilium nec ab illo tales ullæ actiones vitæ neceſſariæ edi poſſint, nec in eo vita & ſanitas ulla conſiſtat. Cum itaque vita & ſanitas & ad actiones omnes potentia ſit in diſpoſitione & temperie accidentali partium, & hæc virtus ſit ſupra naturam elementorum, quo pacto per illam eduntur actiones organicæ & ſimilares à partium diſpoſitione? Niſi hic recipias ſalutarem antiquæ & veteris Philoſophiæ regulam, quod calor & accidens omne quatenus eſt inſtrumentum, agat in vir-

tute primariæ & principalis cauſæ, & quod calor dum ſequitur formam ignis faciat opera ignis, quodque dum dirigatur ab anima efficiat propriâ ſuâ virtute majora, fruſtrà es. Hanc regulam novatores exploſam volebant: huic ſeſe tantopere totque clamoribus opponit D. Sennertus, dicendo, animam non poſſe facere, ut calor plus faciat quam calefaciat; hinc tot monſtroſas opiniones ipſos fingere neceſſum fuit, de Calido innato ſuperelementari, de peculiari ejus forma, de quinta eſſentia: ex hoc tot monſtris fœdarunt & inquinarunt veram philoſophiam & medicinam; hinc tot abſurditates, tot contradictiones & errorum labyrinthi, in quos lectorem præcipitant.

XV. Sed ad rem: ut in Calido innato Sennertiano, ſeu Sperlingiano non eſt ſanitas, ita nec morbus: quocirca falſum eſt, actione veneni in illud calidum oriri morbos, cum nec in eo ſit ſanitas; & ſi eſſet, venena occulta qualitate in id agere nequeant: quia actiones ſunt contrariorum unius generis & qualitatis, quæ non agat in ſubſtantiam. Sanitas itaq; non eſt in Calido innato, quia hæc eſt in conſtitutione accidentali non eſſentiali, & eſt qualitas: at illud non qualitas eſt, nec occulta qualitas dicente Ganymede: & ſanitas eſt omnium ad vitam attinentium actionum proxima cauſa; Caldum innatum ut ſubſtantia, nullius eſt cauſa operationis, & multo minus eſſe poſſet ſi foret conditionis ſuperelementaris. Et abſurdum eſt, aſſignare alicui cauſam inſtrumentalem actionum vitalium, naturalium & animalium, & his læſis ipſummet non lædi: Abſurdum eſt, ſubſtātiam directè & primò lædi, quia teſte Ganymede,

nihil

nihil patitur vel agit, niſi per qualitates, ſed de his ſuperius uberius.

XVI In quo nonconſiſtit ſanitas, in illo non eſt morbus: Contraria enim mutua contrarietate in ſe agentia ſunt unius generis & unius ſubjecti. Ergò neque morbus erit in Calido innato, niſi velis concedere morbum materiæ & morbum ſubſtantiæ in materiâ, quam tamen opinionem ex Iouberto & Mercato aliiſque petitis rationibus etiam flagellat & refutat D. Sennertus. Neque ſanitas ulla eſt in occultis qualitatibus, quia hæ non ſunt cauſæ actionum vitalium, naturalium & animalium, & ad vitæ conſervationem neceſſariarum, qua de re aliàs locupletius actum.

Proindè ſanitas omnis eſt in diſpoſitione accidentali, quæ eſt qualitas: Illa alia eſt in ſimilaribus, alia in diſſimilaribus, & alia in utriſque communi diſpoſitione. In ſimilaribus eſt temperatura, quæ fundamentum eſt omnium virtutum corporis, quatenus eſt calida & humida, oppoſitas qualitates moderatè ſuperans, dicente D. Sennerto: Hoc docet Gal. lib. 3. de ſymptomatum cauſis cap. 1. Quod facultatum eſſentia conſiſtat in temperie, unde propriè actiones ſimilarium inchoantur & perficiuntur, & à qua tanquam baſi diſſimilarium inchoantur, dein à propria conſtitutione abſolvuntur. Idem lib. de præſag. ex pulſ. repetit, cum inquit: facultatis eſſentia in ſingularium partium commodo temperamento poſita eſt. Nam tum demum ſuum quæque munus ſtrenuè obit, ubi eſt temperatiſſima; contrà, male fungitur, ſi eſt intemperata.

XVII. Sanitas itaque ſimilarium, quæ eſt potentia ad

tia ad edendum actiones vitæ neceſſarias, eſt in ſimilarium diſpoſitione: hæc autem eſt earum temperatura. Temperatura eſt inſtrumentum animæ per quam operatur, & quâ mediante actiones vitæ neceſſarias edit, & in ſubjecto, ut ejuſdem forma, manere poteſt.

XVIII. Quamdiu anima neceſſarias ad vitam actiones perficere poteſt, manet in corpore: mors enim eſt actionum vitæ ceſſatio; anima ut primò nō læditur, ita nec animæ vitio læduntur actiones, ſed temperaturæ cauſa, in quâ ſanitas & vita & morbus.

Deinde illa temperatura non tantum eſt diſpoſitio, in quâ ſanitas & actionum omnium potentia, & proximum animæ inſtrumentum, ſed & eſt apparatus materiæ per quem anima vel forma quævis eſt in materia, & per quem operatur. Ita per temperaturam calidam & humidam, ſic eſt materia ſeu ſubjectum animæ diſpoſitum, ut quamdiu illa moderatè ſuperet frigiditatem & ſiccitatem, forma & anima in materia eſſe & obhæreſcere poſſit. In quâ temperaturâ cum calor & humor dominetur, calor ut agens principale, vinculum animæ & corporis nominatur. Homo quamdiu obtinet vitam certè poſſidet animam: & quam diu homo vivit (dicente D. Sennerto lib. 1. Inſtit. cap. 4.) vita in calore conſiſtit, ita ut in quacunque ætate opus habeat calore & humiditate, ut caloris pabulo. Vnde velut vita in calido & humido, ita mors in frigido & ſicco. Requirit enim omnis forma οἰκείαν & propriam ὕλην ſeu adæquatam materiam, quæ non niſi uni formæ ſubjicitur, cum quâ ſimul eſt, & ſimul interit, dicente D. Sennerto lib. v. Inſtit. p. 1. cap. 2.

XIX. Ma-

XIX. Materia animæ adpropriatur & fit propria propriumque ſubjectum & domicilium, per temperaturam calidam & humidam, cum quâ debitè ſuperante vita & anima per omnes ætates in animali manet, quique eam habet optimam, is quam optimè ſanus eſt, & inter cæteros longiùs vivit. Vti ſine illo diſpoſitionis apparatu anima in corpore nec eſſe nec permanere, ita nec introduci, nec è potentia materię educi poſſit.

Hinc neceſſum eſt, ut omnis materia, quæ actum formativum recipiat, ad formæ receptionem ſit diſpoſita; ſi enim forma quævis requirit materiam propriam & adæquatam, certè illa tam ad receptionem quam conſervationem formæ debet eſſe diſpoſita: Debet itaque diſpoſitio, quâ materia fit propria & adæquata formæ, præcedere formam, quæ vel inducitur vel educitur, undè cauſa inducens ultimam diſpoſitionem philoſophis dicitur cauſa introductionis formæ; quia materiæ illum ultimum producit apparatum, quo inſtructa commodum ſubjectum tam ad accipiendam quam conſervandam formam evadit.

XX. Et ut forma qualibet requirit materiam propriam, & pro ſuo incolatu idoneam, & hæc per diſpoſitionem præviam ſic comparatur ut propria fiat, ita nulla forma niſi in prædiſpoſitam materiam induci, neque ex ea educi poteſt; quod ſi è contrario poſſet in quamlibet materiam qualibet introduci, vel ex qualibet qualibet educi forma, è quolibet fieri queat quidlibet, quod eſt abſurdum.

XXI. In diſpoſitione illa, qua formam uti eſt ἐντελέχεια & actus primus, ſeu ut novatores nomi-

 nant

nant, actus formativus, præcedit, quâ mediante inducitur & ſervatur forma in materia, quæque proximum ejus eſt inſtrumentum, ad omnes actiones vitæ neceſſarias perficiendum, conſiſtit ſanitas; quæ eſt potentia exercendi actiones omnes vitæ neceſſarias; & morbus, quæ eſt ipſis impotentia ad actiones.

XXII. Omnis diſpoſitio eſt qualitas: proindè porrò quæritur, unde hæc qualitas, ſeu quæ ſit ejus cauſa efficiens. Omnis qualitatis in ſubjecto genitæ cauſa efficiens eſt forma. † Hæc eandem producet vel ex ſua eſſentiâ, vel ex materiæ potentiâ, vel ex nihilo: Non ex ſua eſſentiâ, quia per ſe indiviſibilis eſt; & ſi dividi poſſet, perque diviſionem generaretur, non eſſet accidens ſed forma. Non fit ex nihilo, quia naturalis cauſæ potentiam ſuperat ex nihilo aliquid facere, ſoliuſque eſt omnipotentiæ opus: Ergò neceſſum eſt, educi è potentiâ materię tam actum accidentis quam ſubſtantiæ, & utrumque à ſubſtantia. Et tam actus accidentales quam ſubſtantiales omnes (exceptâ animâ rationali) in his ſublunaribus, materiatos, è potentia materiæ educi, verum eſt: quia hæc inexhauſtum eſt penu & promptuarium, unde ejusmodi formæ educantur, & in quam pereunte materiæ diſpoſitione recidant & ſolvantur; nec enim ex nihilo fieri, nec in nihilum recidere poſſunt. Educi autem omnes omnium viventium animas & rerum formas ex potentiâ materiæ elementaris, diſputatione prima ſacrarum literarum teſtimoniis ubertim demonſtravimus, ut hæc non ſit opus repetere.

XXIII. Omnes itaque animæ infra rationalem ſeu humanam cum omnibus ſuis facultatibus & po-

† *Omnis qualitas educitur è potentiâ materiæ.*

tentiis,

tentiis, educuntur ex materiâ & ſunt materiales. Anima autem rationalis juxta Ariſtotelem, & potiores Philoſophos à facultatibus ſuis non differt; ſed facultates ſunt ipſius animæ eſſentia, ſeu partes poteſtativæ, nihilque differunt ab ipsâ animâ ejus potentiæ. Et ut animâ ſeparatâ, ipſa operatio & energia nihil differt ab animæ eſſentiâ, ita potentiæ primæ & facultates ejus, quando materiæ ſunt immerſæ nihil ab ea differunt. Litem tamen de potentiis, an ab animâ realiter diſtinguántur, hac vice meam nō facio.

XXIV. Verum ad rem: qui ſtatuit animam educere potentias è materiâ, is non intelligit animam rationalem, quatenus eſt proximum & immediatum potentiarum ſeu facultatum ſuarum principium, educere eaſdem ex potentia materiæ, ſiquidem ipſæ potentiæ & facultates, ſunt de eſſentiâ animæ & ipſa anima. Se ipſam vero vel illa nec ulla alià res generat, multo minus ex potentiâ materiæ educit.

XXV. De quibus itaque potentiis intelligendum eſt, quod educantur ex materia? de iis eſt intelligendum potentiis, quæ conſiſtunt in diſpoſitione materiæ & ex ejus potentia educuntur. Ita ſanitas definitur D. Sennerto, quod ſit potentia exercendi actiones naturæ convenientes: hæc potentia reſultat & conſiſtit ex diſpoſitione materiæ, quæ animæ operanti commoda ſit: hæc diſpoſitio eſt qualitas, qualitas omnis eſt à forma & ſequitur formam: quocirca quæcunque forma generat qualitates, eaſque producit ex materia, ut ſint cauſę operationum, hæc & producit ex materia potentias operandi. Vbi notandum, quod & ipſæ formæ omnes, & animæ præter rationalem omnes, tam ſint ex materiæ po-

tentia & materiales quam qualitates & potentiæ earum. Hinc Mercatus inquit lib. 1. p. v. claſſ. 2. quæſt. 133. Anima ſenſitiva, quando ſumitur pro ſe ipſa, quod ſit diviſibilis & mortalis, & educta de potentia materiæ. Et paulo poſt; quod potentiæ ſenſitivæ in homine ſint materiales & corporeæ, ideoque diſtinctæ ab anima rationali, quæ ſpiritualis & incorporea eſt.

XXVI. Sunt qui diſtinguunt inter potentiam primam & ſecundam, primam ajunt immediate ab animæ, tanquam ſuarum facultatum & potentiarum per emanationem ſimplicem, eſſe principio. Hanc eſſe cum ipſa anima invariabilem & immutabilem & impatibilem. Secundam ajunt pendere ex diſpoſitione organorum & partium corporis, & hanc pro varietate & alteratione diſpoſitionis, eſſe variabilem, mutabilẽ & corruptibilem; ſic potẽtia videndi, audiendi, ut eſt facultas animæ eſt immutabilis & incorruptibilis cum ipſa anima à qua dependet. Quatenus vero illa potentia ex diſpoſitione organi dependet, eſt variabilis & mutabilis & corruptibilis. Sic ſenex ſi haberet oculum juvenis, videret ut juvenis. Et actiones partiũ fiunt à partibus benè vel malè, quatenus benè vel malè ſunt diſpoſitæ, & diſpoſitione earum corrupta omnino intercidunt. Diſtinctionem allatam ſuo loco relinquimus, interim tantum ex ea videre eſt, quod dicit animam & formam educere ex materia qualitates, &, per quas operetur, potentias, id de potentiis ſecundis intelligendum, quæ reſultant ex diſpoſitione qualitatum ex materia eductarum.

XXVII. His præmiſſis reſtat, ut inanes argumen-

torum fumos, quos adverſus initia diſputationis meæ de morbis ſubſtantiæ ſpargit, breviter diſpiciamus &, diſſipemus, quamvis iſto qualicunque labore indigni ſint.

XXVIII. Cum ſanitas ſimilarium ſit in diſpoſitione qualitatum, qua mediante forma non ſaltem inducitur vel educitur, ſed & maxime in ſubjecto conſervatur, quæ ſit diſpoſitio per quam inſit & immanere & operationes vitæ perficere poſſit. Cavillator Sperling. tractatu de morb. ſubſtantiæ contra me edito, id quod in quæſtione erat primò non oppugnat, videlicet an ſanitas, & conſequenter morbus, ſit in illa diſpoſitione & qualitate, ſed diſputationem de formarum origine huc trahit, & hoc carpit, quod dicam omnem formam vel induci in materiam, per qualitates ſuas præparatam & diſpoſitam, vel educi.

XXIX. Proindè objicit, formas non educi, non induci, ſed traduci. Verum hoc erat in lite, an traducantur formæ: Et hæc reſponſio eſt petitio principii. Et opinio de formarum traductione, & actu entitativo exſiſtentium & tranſlatarum tranſportatione, itione, reditione in corpore, pythagorica, uti monſtroſa, impia & hæretica, & in ſacram ſcripturam blaſphema, & commentum novæ Sennertiano-paracelſicæ ſectæ, ita dignè à me in prima & ſecunda diſputatione, adverſus tractatum de formarum origine Sennertiano-ſperlingianum habita, caſtigata, & ad Iliadum Paracelſi, undè prodiit, remiſſa eſt.

XXX Ex hoc inſurgit adverſus illud quod dicam juxta SS. Literarum veteriſque Philoſophiæ ſententiam, formas (præter animam rationalem omnes) educi de potentia materiæ.

Cum

Cum verò illud refutare non poſſet, neque haberet quod opponeret, mendaciorum & calumniarum clypeum arripit, aitque me dicere & ſcribere, formas educi è materia diſpoſita & idonea (nunc attende lector mendacia) è temperie debita ex ultima temperaturæ diſpoſitione.

Tu nunc quiſquis es ſeu Sperlingius ſeu Sennertus, quo inſpirante & dictante, vel quo hæc approbante iſta mendacia in me & de meis ſcriptis prolata, vos appello, ut ſi viri boni honorem & ſtationem tueri velitis, ex ſcriptis meis demonſtretis, quod dixerim, vel ſcripſerim, formam educi ex temperatura, è temperie, ex ultimâ temperaturæ diſpoſitione; dixi ex materia diſpoſita & idonea educi formam, non ex temperie & diſpoſitione accidentali. An materia & ejus diſpoſitio, ſunt vobis unum & idem? mihi ſanè non ſunt, nec ulli ſenſato & erudito: Qui dicit mediante diſpoſitione formam educi vel induci, non ſtatuit formam ex diſpoſitione & qualitate oriri. quocircà pro mendaciſſimo calumniatore, & honore boni viri indigno iſtum ſcriptorem habebo, donec probaverit ex allegatis è diſputationis meæ de morb. ſubſt. theſibus, quod dixerim vel ſtatuerim formam ex temperie & accidente oriri, & educi. Aliud enim eſt formam mediante temperie, ut cauſâ inſtrumentali educi è potentiâ materiæ per eandem temperiem diſpoſitæ. Qui dicit ex mutua actione & paſſione qualitatum & materiæ per has definitione & determinatione tanquam per cauſas inſtrumentales (non enim alio modo ullus literatorum hoc intelliget, vel dictum accipiet) res quaſlibet generari, ille cum Ariſtotele & Peripateticis & cum veritate loquitur,

quitur, neque ex qualitatibus cudi ſubſtantiam & formam dicit. Evolve, candide lector, theſes meas, ex diſputatione meâ de morbis ſubſtan. à calumniatoribus allegatas, videlicet th. 3. & 4. & 8. & 9. Imò evolve antè, retrò, ſurſum, deorſum, & vide an exſculpere poſſis id quod iſti calumniatores mihi affingunt.

XXXI. Vndè vana prima eſt argumentatio mendacium habens pro fundamento quam Ganymedes primò profert. Nulla ſubſtantia educitur ex accidente: Vaniſſima eſt: dixi mediante accidente, ſeu temperie ut cauſa inſtrumentali, educi, non ex accidente ut ſubjecto & materiâ. Quod autem primum argumentum adverſus me ex mendácio conflerit, id docet & exprimit ipſe Ganymedes in ſecundo mihi oppoſito, quod tale eſt. Quicquid in opere generationis ſeſe habet paſſivè, illud non eſt cauſa efficiens formæ. Temperatura & diſpoſitio ſeſe ita habent. Ergo. & hoc ipſemet aperit & prodit quod ipſo iā fatente voluerim & ſtatuerim, in dictis & allegatis theſibus, diſpoſitionem eſſe cauſam (vel concurrere ut cauſam inſtrumentalem) efficientem formæ. Ideoque non ſenſerim vel dixerim ex accidenti educi ſubſtantiam. Argumentum quod attinet, ejus conſequentia nulla eſt: qualitates enim diſponunt materiam ad receptionem formæ, eamque conciliant aptitudinem materiæ, ut ad hanc non aliam formam recipiendam ſit idonea. Ideoque aptitudo & habilitas, eſt in materiâ per temperiem ipſi conciliata. Forma enim actuat potentiam materiæ, vel ipſam immediatè materiam, cujus diſpoſitio eſt temperies; ex actu enim & potentia fit unum.

XXXII. Tertium argumentum ſeutica dignum eſt:

eſt: habet autem ſic. Omne accidens agit in virtute ſubſtantiæ: Diſpoſitio & temperatura eſt accidẽs. Ergo agit in virtute ſubſtantię: ſi hoc: Ergo virtute materiæ fiunt formę, & materia quę eſt principium paſſivum & ignobile erit cauſa efficiens nobiliſſimarum ſubſtantiarum. Verum uti Freitagius nõ negat (quod facit D. Sennertus cum Ganymede) accidens agere virtute ſubſtantiæ, atque ita eſſe agens inſtrumentale, quod ſequatur directionem principalis ſeu formæ ſuæ cujus eſt inſtrumentum, ita qualitates ſe in generatione habere ut inſtrumenta cauſarum efficientium proxima., ſemper ſenſit & ſtrenuè defendit, ponendo qualitates ut cauſas inſtrumentales proximas, neque unquam removit cauſam efficientem primariam. Si itaque velit concludere Freitagium dicere qualitates operari virtute ſubſtantię materialis, neceſſum ut primò demonſtret, quod negaverit Freitagius, formam & cauſam efficientem, vel directricem primariam qualitatum agere qualitatibus in perficienda generatione. Sic enim erat inſtituenda argumentatio. Si virtute ſubſtantiæ operantur qualitates, ergo vel materiæ vel formæ virtute operantur; jam ſubſume; Non operantur virtute formæ, ergo relinquitur materiæ: Sed quis Freitagius virtute formarum non operari qualitates dixit? Atqui hoc iterum tacitum eſt mendacium & calumnia Freitagio afficta.

XXXIII. Sed videamus propoſitionem prioris argumenti. Omne accidens agit in virtute ſubſtantiæ; quiſnam illam approbet vel neget. Veram illam eſſe & veriſſimã, hic ipſo Ganymede teſte videmus, alioquin argumentaretur ex falſo principio, & ſic nul-

ſic nullum eſſet ejus argumentum. Verùm ſi hoc verum ſit, quod omne accidens agat in virtute ſubſtantiæ, falſum eſt quod negat cum D. Sennerto Ganymedes, Calorem ut eſt inſtrumentum animæ, non poſſe plus agere quam calefacere. Vnde concludebat calorem etiam ab animâ directum, non coquere vel generare, ſed tantum calefaciendo concurrere, & nihil poſſe præter calefacere, utcunque dirigatur à forma. Si agit in virtute ſubſtantiæ, agit virtute aliâ quam habuit, eâque quæ per ſubſtantiam ipſi communicata eſt. Atqui id longa & inani diſputatione in tractatu de Calido innato & morbis ſubſt. negat. Et hoc ipſum & aliud, *quod calor cum dirigitur ab anima facit opera animæ*, ab omni antiquitate celebratum & obſervatum principium lancinat & vellicat: ſed oportet mendacem eſſe memorem.

XXXIV. Nunc progreditur ad illa verba theſis 9. qua dico, in generatione rerum non excludi cauſam ſuperiorem cælum & ſtellas. Contra quæ ſic inſurgit, Cujus influxus ad omnes formas producendas eſt indifferens, & communis, illud certam aliquam formam inducere neſcit: cæli & ſtellarum influxus eſt indifferens: Ergo &c. Verum quod ad omnium generationem Dei ordinatione concurrit, id etiam ad cujuſcunque in ſpecie generationem neceſſariò concurrit. Sic enim dicebat Ariſtoteles, ſol & homo generant hominem: Aſſume nunc. Et hoc volunt mea verba: non verò quod remotis proximis efficientibus inferioribus primariis & inſtrumentariis, cęlum omnia in hæc inferiora generet. Cælum non excludi ab omnium rerum generatione dixi: an vero id faciat vi generali, an vero ſpeciali aliquâ ad cujuſque

que generationem concurrat, non definivi, ideoque mihi novi iterum aliquid affingit, ut cui oggan-niat; & quod allatret, habeat.

XXXV. At quid dicet Ganymedes, ſi probari poſſit, cælum eſſe quidem generalem cauſam miſtionis & generationis miſti, proximam vero duas qualitates, videlicet caliditatem & frigiditatem. Et quod generatio miſti ſit mutatio ſubſtantialis à duabus qualitatibus. Miſtio vero & generatio miſti illi ſunt unum & idem. Hic ad generationem miſti in phyſicis lib. 3. cap. 2. & cap. 3. nihil concurrere quam cælum ut cauſam generalē & duas qualitates ut proximas D. Sennertus in eodem opere docet. Sed is, dum rerum ſublunarium omnes ſympathias & antipathias à cælo aſtrorumque influentiis deducit, an non ſpecialem cæli actionem ad res producendas concurrere tradit? Quomodo vero cælum ad inferiorum omnium generationem generaliter & ſpecialiter concurrat, prima diſputatione vidimus. Quæ pro traductione formarum poſtea ſubnectit & garrit, ea in diſputatione mea ſecunda & tertia uberrime refutata ſunt.

XXXVI. In quæſtionis quartæ reſponſ. 2. calumniatur Ganymedes, Freitagium non intelligere potentiam obedientialem; & ait tria eſſe efficientia: Deum, naturam, & artem. Naturæ reſpondere potentiam, Deo & arti obedientiam: quocirca ſic argumentatur: Quicunque potentiam obedientialem etiam ad agentia naturalia trahit, ille potentiam obedientialem non intelligit. Freitagius hoc facit: Ergo. &c. Verum Freitagius forte intellexit, & publice in Academiis docuit, quid ſit obedientialis

potentia,

potentia, prius quam iſte lividus, & male ſignatus mutiluſque calumniator, vel natare vel literas didicerat. Cum enim naturale agens ut artifex in materiam operatur, materiæ potentia rectè dicitur obedientialis. Sic Zabarella ait, calorem dum calefacit, univocè agere; dum verò miſcet, unit humidum cũ ſicco, definit & in qualitatibus oppoſitis laborat, quod tunc agat ut artifex in materiam. Sic cælum & æquivocè agentia agunt; licet cauſæ ſint naturales in materiam potentia obedientiali præditam. Ita cęlum generat mures, ranas. Neque ſequitur quod illa actio cæli in materiam ſubjectam, potentia obedientiali ad recipiendum illam prædita ſit creatio: cum creatio propriè dicta, ſit factio rei ex nihilo, non ex præexiſtente materia: in latiore vero ſignificatione etiam extenditur ad hanc operationem, cum ex quolibet fit quidlibet. Vtriuſque factionis cauſa eſt omnipotentia Dei. Sed cælum nec ex nihilo facit, neque ex quolibet quidlibet: quia è luto non poteſt lepores facere ſed ranas, ex quiſquiliis mures: & ſic ex materiebus determinatis res peculiares, non quaſlibet. Deinde negari non poteſt, quod principium naturale non ſit in iſta materia. Etſi enim à generante & univocè agente non poſſit reduci ad actum, tamē ab æquivocè agente educitur actus ex iſta materiæ potentia, quæ non creatur ſed inerat; alioquin cælum ex qualibet materia poſſet facere ranas, mures. &c.

XXXVII. Tertium argumentum æquè vanum eſt: Eſt autem hoc: Quicunque formam nunc ex materiæ diſpoſitione, nunc ex potentiā obedientiali dicit prodire, ille ſibi contradicit. Hoc facit Freitagius,

Ergo &c. Majorem probat, quia contraria ſimul ſtare nequeunt. Subſtantia enim ex obedientiali potentia producta, requirit plane indiſpoſitum (intellige ſubjectum) ſicut cum ex terra fit homo, & ex aqua vinum: Sed hæc omnia ſunt nugæ & fraudes. Propoſitio enim falſa eſt: Nunquam dixit D. Freitagius, formam ex materiæ diſpoſitione prodire, ſed illâ mediante, ex potentia materiæ educi ſtatuit. Probatio majoris item falſa eſt. Non enim requirit generatio rei æquivoca, vel ſubſtantia æquivocè producenda ſubjectum indiſpoſitum; ſed generans æquivocè, uti cælum, ſubjectum ſuum quale lutum, per qualitates luti elementares & calore cæleſti ſic diſponit, ut apta fiat materia ex qua generetur rana. Quomodo verò à calore ſolis & ſyderum per hæc inferiora diffuſo generentur omnia quæ non fiunt è ſeminibus, & quomodo ipſa ſemina ab eodem perficiantur, ut ad actum reducantur, ſi neſcis vide apud Scalig. Exerc. xxv. & Ariſtotelem in locis ab eodem Scalig. ad hujus rei demonſtrationem allegatis. Exemplum quod ſubjicis de homine ex terra facto, non quadrat, ſed ſubmyſticè & barbarè applicatur. Deus enim non generavit hominem ex terra ut agens æquivocum, & quemadmodum cælum generat ex luto ranam, ſed creavit illum ex terra omnipotenti ſua virtute, qua ex quolibet poteſt facere quidlibet, & ex lapidibus filios Abrahæ.

XXXVIII. Sed calumniator pergit & texit exceptiones ex meis theſibus, quarum prima hæc eſt, ex theſi meâ quartâ quam allegat deſumpta. Si forma non educitur è materiæ diſpoſitione, ex quolibet fiet quidlibet aut pythagorea reducetur metempſychoſis.

choſis. Vnde Toletus lib. 3. de anima &c. Sed tu vide & inſpice, lector candide, theſin meam quartam in diſputatione de morbis ſubſtantiæ, & vide, volve & revolve, an ibi inveniatur à Freitagio ſcriptum, quod forma educatur è materiæ diſpoſitione.

Verba theſis meæ hæc ſunt: ſiquidem (forma) educitur, vel inducitur duntaxat in materiam diſpoſitam eamque recipere idoneam, niſi velis ex quolibet fieri quidlibet, aut pythagoream metempſychoſin reducere. Vides itaque denuo, improbe aliena verba alienumque ſenſum mihi aſſui & malitioſè affingi & rem mendaciis contra me agi.

XXXIX. Sed ad rem ipſam: quid hic calumniator mendaciſſimus oggannit? Ait primò eſſe ſequelam non ſequentem, ſeu nulla conſequentia concludi, ex quolibet fieri quidlibet: ſi negemus formas fieri ex materia, & aſſeramus propagari. Verum formas per propagationem à D. Sennerto & novæ ſectæ conditoribus excogitatam non generari vel oriri, & propagari prima & ſecunda diſputatione ſatis demonſtratum eſt. Quod addit, non eſſe metuendum, ne ex ſemine equi vel leonis fiat gallus vel canis, nihil ad rem facit. Neque enim ex ſemine leonis vel equi male diſpoſito, fiet vel generabitur leo vel equus, ſeu forma equi vel leonis educetur.

XL. Quod ſecundò ſubjicit, ridiculum & iſto nugigerulo & nugivendo dignum eſt, videlicet Freitag. more andabatarum pugnare: quia D. Senn. ex nulla plane materia, ſive diſpoſita ſive indiſpoſita, formas oriri aſſerat. Verum quam bruta reſponſio? Non eſt in quæſtione, an D. Sennertus neget, formas è potentia materiæ educi, ſed hoc quæritur, an hæc ejus

 opinio

opinio vera ſit? id enim Ariſtotelici negant & monſtroſam à Sennerto excogitatam, de propagatione formarum phantaſiam falſitatis & manifeſtæ hæreſios convincunt.

XLI. Quod tertio contra Toletum pariter inſurgit, aitque D. Sennerto æquè rem eſſe cum Toleto quam cum cæteris (puta Ariſtotelicis) non inficior. Quia is qui toti veteri philoſophiæ, & antiquitati oppedere, imo contra omnes Eccleſiæ Theologos, Scripturæque ſacræ oracula inſurgere non erubeſcit, ei non cum ſolo Toleto vel Fteitagio res eſt. Sed regulam à Toleto ex Ariſtotelicorum immutabilibus decretis depromptam & accerſitam velle falſitatis arguere, eſt impudenter principiis antiquæ & receptæ veritatis obſtrigillare. At quid iſti novi ſectarii non audent? Eorum argumentum contra regulam à Toleto allegatam, quod cauſa inducens ultimam diſpoſitionem ſit cauſa introductionis formæ, conſiſtit in hac ratione, quod eo ipſo ſtatuatur calor fornacis cauſa efficiens anima pulli. Vnde ſic argumentatur. Quicquid ovo inducit ultimam diſpoſitionem ad formam, illud eſt cauſa efficiens iſtius formæ ſeu animæ pulli, calor fornacis inducit ultimam diſpoſitionem. Ergo &c. Verum longe aliud eſt, inducere diſpoſitionem, qua mediante diſponatur materia ut forma educatur, & aliud eſt generare formam vel principaliter vel immediate. Principalis cauſa generationis & formæ eſt cauſa efficiens ſeminis, quæ producit ſemen hac donatum & inſignitum potentiâ, ut opera caloris inſtrumentaliter agentis, ſeu caloris plaſtici forma in potentia ſeminis maximè propinqua, quæ pro ipſo actu philoſophis venire dicitur,

dicitur, in actum deducat & educi poſſit. Conſequentia de calore fornacis vaniſſima eſt. Calor enim fornacis internum plaſticum excitat & quodammodo fovet, & ad officium ſuſcitat: plaſticus ultimam diſpoſitionem inducit, qua mediante educitur forma. Calor itaque fornacis non inducit ultimam diſpoſitionem.

XLII. Ex modo propagationis Sennertiano & Paracelſico, non poſſe per bonam conſequentiam deduci metempſychoſin pythagoricam, nunc probare annititur. Ratio ejus prima talis eſt: Metempſychoſis pythagorica eſt, qua anima è ſuo domicilio egreſſa, materiam priſtinam relinquit, novamque quærit, atque ſic una numero manens, modo Petri, modo canis corpus informat. Verum ex hac deſcriptione plane ſequitur D. Sennertum & novæ ſectæ ſectatores amplecti pythagoricam metempſychoſin, ſiquidem animam Scarabæi, poſſe eſſe in ſterquilinio & ex eo ſibi fabricare corpus aſſerit Ganymedes, in tract. de formarum origine. Vnde venit in ſterquilinium? neque enim in illo genita eſt: juxta Sennertianos. Migravit ergo eo vel ex corpore Scarabæi proprio, vel ex equi cadavere, cujus dum viveret equus dicente Ganymede forma ſubordinata fuit. Nec minus ex eo patet illa emigratio & remigratio animarum, quod Ganymedes dicto tractatu ſtatuit, animalia quædam ut hirundines, muſcas, (cur non & reliqua) demortua per exceſſum animæ mori & reviviſcere per reditum ejuſdem animæ: Anima enim beſtiarum, novis ſectariis non perit, ſed habet actum entitativum, quo etiam à corpore ſejuncta, poteſt exſiſtere in quacunque re: ut anima Scara-

bæi in ſterquilinio, cur non igitur migrare poſſit in quodcunque corpus dum velit, & quiſnam ſcit qualis impuritiæ pythagoricæ ſpiritus migrarit in iſtum Ganymedem, adeò blaſphemas opiniones ſerentem? ſufficit & hic probaſſe ex opinione D. Sennerti ſequi metempſychoſin pythagoricam. Ad cætera calumniatoris dicteria de Pythagora, quis fuerit, quid docuerit, reſpondere eſſet hominis tempore abutentis. Ad rem enim non facit; & vanæ iſtæ & falſæ & impiæ diſtinctiones metamorphoſeon, flagro potius & exploſore, quàm eruditi & boni viri reſponſione, aut refutatione dignæ ſunt.

XLIII. Ex theſi meâ. 7. & 8. tale porro conſtat Ganymedis argumentum. Si formæ ultimæ pereunte ſubjecto redeunt in potentiam materiæ, ſequitur quod ex eadem materiæ potentia, ortæ fuerint: ſed verum prius: Ergo & poſterius. Ad quod Ganymedes reſpondet, æquè dubium eſſe, quod formæ redeant in potentiam materiæ, quam ſit quod è potentia materiæ veniant. Verum nos omne dubium illi eximemus, & veritatem argumenti probabimus hoc modo. Forma, pereunte ſubjecto, actu manet vel perit: Actu manere non poteſt, quia non datur actus entitativus, vel exſiſtentia (animam humanam ſemper exceptam volumus) ullius formæ ſublunaris pereunte ſubjecto. Seorſim itaque exiſtere & eſſe nequit; quocircà ut pereat neceſſum eſt. Perit autem in nihilum vel in aliquid: non in nihilum, quia rerum natura non admittit, ut quod eſt aliquid, pereat in nihilum. Si itaque actu exſiſtere, & id quod eſt manere nequit, & ut pereat, neceſſe eſt, in nihilum verò perire nequeat, nihil ſupereſt in quod deperire & re-

& redire poſſit, quam materia ejuſque potentia, in quam cum reſolvitur & redit, neceſſariò ex eâ ortum traxit. Sed premantur ▪ rctius; Forma eſt vel ex forma generantis per diviſionem facta, ut voluit D. Sennertus, vel ex materiæ potentiâ, vel ex accidente, vel ex nihilo. Primum eſt abſurdum uti demonſtratum eſt, tertium fieri non poteſt, quia ex accidente non fit ſubſtantia, Ergo relinquitur potentia materiæ; ſiquidem ex nihilo nihil fit naturaliter, uti demonſtratum eſt.

XLIIII. Sed cum Sennertianus Ganymedes argumenti ex theſibus meis invictum robur videret, ad mendacia & calumnias revertitur, & formas è potentia materiæ oriri non poſſe ait, quia Freitagio potentia ſit temperies primarum qualitatum. Ex hoc effato plurima deducit, per multas conſequentias, abſurda. Sed illud, quod potentia materiæ ſit qualitatum temperies, nec dixit nec ſcripſit Freitagius, nec in theſibus ejus alibi vel ullibi exſtat, ſed turpiſſimum Ganymedis Sennertiani mendacium, & improbè à veteratore Ganymede in Freitagium confictum.

XLV. Tandem præſtigiator ex abundanti aliam argumenti refutationem ſuppeditat, quæ talis: Etſi detur, formam redire in potentiam materiæ, non tamen ſequi eam ex potentia materiæ habuiſſe originem. Aſſertionem hanc probat eo, quod equus vertatur in cadaver, & tamen cadaver non ſit equi origo. Et caſeus mutetur in vermes, nec tamen vermes ſunt origo caſei. Si Tyrones diſciplinæ phyſicæ talia proferrent in ſcholis, nunquid baturerentur virgis & ferulis: perge ſic rudere impudentiſſime vetera-

tor, & qualis ſis Midas ex auriculis cognoſcamus.

XLVI. Quæſtio, erat in quod animali pereunte faceſſit forma, an maneat in eſſe exiſtētiæ, an pereat in aliquid, an in nihilū eat. Hic reſpondet Ganymedes, equum verti in cadaver: ſed quæſtio erat de formâ equi, an itaq; equi formâ mûtatur in cadaver equi, an caſei forma in vermes. Vide lector, ride & exſecrare, jam ex livore & rancore rabidos iſtos novæ ſectæ magiſtros, ubi veritas, pudor & honeſtas exſulant & quicquid rabies in buccam ingerit, impudenter evomere libet, talia in proſcenium ducuntur: ſi ex ſuo præceptore D: Sen. inter materiam immanentem & tranſeuntem diſtinguere didiciſſet Ganymedes non tam turpiter impingeret: res enim non reſolvitur in tranſeuntem ſed immanentem materiam, ſanguis non ſolvitur in chylum, neque chylus in cibum..

Sed ut ipſis, juxta regulam, Ex quibus quippiam componitur in ea reſolvitur, ſatisfiat, exemplum equi ab ipſis allatum, ſecundum illam examinabimus. Equus cæteraque animalia conſtant ex materia & forma tanquam partibus eſſentialibus.

Quando itaque pereunt, in haſce partes ſolvuntur; Forma neceſſario redit in id, uti probatum eſt, unde originem duxit. Corpus duplicem habet materiam, vel ut fuit vivens, vel ut fuit miſtum, teſte D. Sennerto lib. 1. Inſtit. cap. 4. Materia viventis corporis fuit Calidum innatum, id quia elementare eſſe probatum eſt, redit in ea unde coaluit principia. Reſtat corpus animalis ut eſt miſtum vel ex miſtis corporibus conſtat. Id non eſt uniuſmodi, ſed congeries plurium corporum miſtorum ſibi cohærentium,

um, quæ maſſa vocatur cadaver, quod opera Calidi nativi, unam toti largiens temperiem, & per unam totius formam, una erat ſubſtantia, ſed iis pereuntibus, in multifariã diverſæ naturæ miſta diducitur, quę uti ex elementis nata ſunt ita in his alię atque aliæ partes ſerius citiuſvè ſolvuntur. Ex his perſpicuum eſt, quod equus non mutetur in cadaver, ſed ſolvatur in formam & dein in partes materiales quacum cohærentes cadaveris nomine veniunt. Et cum hæ partes ut miſta, teſte D. S. ſint ex elementis, & elementari materia, revertuntur in elementa. Ad putridi caſei putridiſſimum argumentum, in diſputatione prima reſponſum eſt. Et ſane hic agi de principiis eſſentialibus, quod impudenter negat Ganymedes, manifeſtum eſt.

XLVII. Tandem mira regulæ depravatio & corruptio eſt, juxta illam, id ex quo quid proxime per mutationem genitum eſt habere pro principio. Principia enim materialia omnibus ſunt communia, non quia caro ex ſanguine, ſanguis ex cibo, ideo principium vel elementum carnis eſt ſanguis, chylus vel cibus, ſed illa tantum continet. Quocircâ ex quibus quid ut primis & univerſalibus compoſitum eſt principiis materialibus, in ea reſolvitur ultimò, non in intermedia quædam corpora, quibus mediantibus ex primis principiis quippiam natum eſt. Hoc luculenter elementi definitio ab Ariſtotele tradita docet, quæ 5. Metaphyſ. talis eſt. Elementum eſt ex quo componitur aliquid inexſiſtens, ſpecie indiviſibile in aliam ſpeciem. Et 3. de cælo: Corpus ſimplex in quod, cum inſit, corpora diſſolvantur, ipſum vero in alia quæ ſpecie differunt, dividi nequit &c. vide

& definit. Gal. 8. de placitis. Hæc ſi intelligit Ganymedes & nihilominus ſic argumentatur, malitioſum agit ſcurram: ſi non intelligit, loco & ſtatione profeſſoria indigniſſimus eſt, quod nec juvenibus phyſicæ initiatis ſic impunè argumentari liceret.

XLVIII. Sed ille pergit cavillari rationes meas in eâdem theſi proximè ſequentes, & fertur ad hanc, ex quâ ſic format argumentum. Si formæ ex potentia materiæ non oriuntur, omnis generatio eſſet univoca. Atqui hoc erat ad palatum D. Sennerti, hoc ambabus arripit manibus, hoc largitur, & pro rato habet, aitque veriſſimum eſſe, omnem generationem eſſe univocam. Sed hoc, contra D. Sennertum, ejuſque à Ganymede allegata ex D. Sennerto loca, ubi tamen hoc trepide & meticuloſe affirmat, falſiſſimum eſſe demonſtravi diſputatione tertia; ut ea huc accerſere non ſit neceſſum.

XLIX. Vnum tantum hic monebo & refellam, quod dictitat omne id quod naſcitur ex habente ſeminalem rationem generari à ſeminante. Ex quo ſequitur, quod mus ex putredine quiſquiliarum, & rana ex luto genita, ſit à mure & rana nata, & ex ſemine ranæ & muris genita. Verum ibi primò tollitur diſcrimen inter ſemen verum & ſeminalem rationem, & dicitur quod ſeminalis ratio nihil aliud ſit quam ipſum ſemen ejuſdem animalis, ex quo ſpecie idem genitum eſt.

Atqui hoc directè eſt contra D. Sennertum. lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſenſ. cap. 12. fol. 346. qui ex Scaligero ſemen analogum eſſe ait (attende hic ſeminalem rationem) quod cum ſpecie primaria directò non ſuſcipit prædicationem. Non enim (inquit)

quit.) fimus ex quo mus naſcitur ejuſdem eſt naturæ ſpecificæ cum ſemine maris & feminæ murium. Hactenus ille, Ergò neque cum eo idem, neque ab iiſdem generatur efficientibus. Vide hac de re Scaligerum à me in diſputationibus ſuperioribus frequentiſſimè citatum. Hinc falſum eſt, nullam cauſam æquivocam, ſic poſſe aliquam (non tamen omnem) inſtruere materiam, ut ſit inſtar ſeminis. Quomodo enim id facere poſſit, vide apud Scalig. Exerc. xxvi. Vnde ſi aliquam poſſit ſic inſtruere, veluti cæli vis calorque ſolis lutum, ut capeſſat ſeminalem rationem ad generationem ranæ, non ſequitur quod id poſſit in omnem promiſcuè materiam, videlicet in picem, lapides, ſevum, &c. ita ut ex quolibet faciat quidlibet. De cæteris vide diſput. 1. & 5. Sed quis prudens bardorum iſtorũ blateramentis moveatur?

L. Quartò recurrit Ganymedes ad vellicationem theſis ſeptimæ, aitque me in illa malè ſtatuere, miſta ſolum fieri ex pugna quatuor elementorum. Verum iterum atque iterum blaſphemus ille calumniator in os ſuum mentitur. Theſis. 7. ſic habet. Harum qualitatum (elementarium) vi, non excluſa formali, & etiam cauſa externa univerſali, rerum generationem & interitum in his inferioribus moderante perficitur miſcibilium alteratorum unio, à qua miſti ex elementis ſeu rebus miſcibilibus generatio. Quid contra hanc infert Ganymedes? ille ex ſuo Vejove, D. Sennerto, lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 12. non ſufficere ad rerum miſtionem & generationem, pugnam mutuam elementorum; ſed requiri formam & animam, quæ ſit rei cujuſque architecta; primum motorem in miſtione eſſe ani-

mam

mam ac formam cujuſque rei, calorem & ſpiritum eſſe commune inſtrumentum. &c.

Quid hic contra theſin. 7. cavillator affert? ait Freitagium ſolis qualitatibus adſcribere miſti generationem, omittere Formam cauſam primariam. Verum apertè mentitur, illa enim allegata & poſita eſt, & quod ſuo modo ut efficiens miſtionis dirigens operationem qualitatum concurrere poſſit, ibi non negat.

LI. Quid ſi vero dixiſſem, miſtionem ſolum fieri ex mutuâ elementorum pugna, nihil contra D. Sennertum & novatores dixiſſem, imo cum & pro D. Sennerto pronunciaſſem. Scribit enim ille in phyſic. lib. 3. cap. 3. fol. 236, ipſam miſti generationem & præviam alterationem, à calore per ſe & primario proficiſci. Et paulo poſt: totam miſtionis ſeu generationis miſti naturam, in debitâ humidi cum ſicco commiſtione, quæ fit à calore in certo gradu conſtituto conſiſtere &c. vide ſequentia ejuſdem capitis. Hic Senn. Sennerto è regione & ex adverſo oppono. Turpe eſt novæ ſectæ conditori tam turpiter ſibi contradicere, & quod in alio reprehendit ipſummet committere.

LII. Deinde in Sennertiana ſententiâ, quod miſtio & miſti generatio fiat à forma, latet anguis, veluti in herba glomerans. Primariam dari cauſam efficientem quæ elementa ad miſtionem convocet, & elementaribus qualitatibus tanquam proximis & neceſſariis inſtrumentis miſtionem perficiat, non nego. Neque animam in corpore; cujus actu forma eſt, generare per miſtionem humores, immò regenerare carnes perditas & alimentum vertere in ſub-

ſtantiam

ſtantiam inficior. Verùm formam & animam ut eſt actus (dicente Ganymede & Sennerto) entitativus, agere & operari in materiam aliquam, & ex eâ per miſtionē fabricari corpus, & partes corporis, adeoque eſſe miſtionis auctorem pernego, idque falſiſſimum eſſe diſputatione 2. probavi. Corruit itaque fundamentum quo probare voluit ex D. Sennerto Ganymedes, formam & animam eſſe miſtionis auctorem: videlicet formam & animam actu entitativo exſiſtentem id præſtare. Cum enim eſt ſui corporis fabricatrix forma, in futuro eſt ut ſit, nondum eſt formativus actus; ſed forma non operatur antequàm ſit actus formativus & informans &c. de quibus ſuprà.

VIII. Huc etiam per capillos trahit hanc quæſtionem, an omnium rerum materia ſit ex ſolis elementis: id diverticulum eſt; deque eo in iſtis theſibus & in præſenti non agitur. Et nullam dari cauſam rerum ſublunarium materialem, quæ non ſit ex elementis, demonſtravimus, & ipſum etiam cælum quo ad materiam, habere communem cum elementis eſſentiam ex D. Sennerto liquet, ut ſuperius vidimus. Quod ad finem quæſtionis adjicit de forma exſiſtentiali, id etiam ex livida & merâ calumniandi & mentiendi libidine ab adverſario, uti priora omnia, profectum eſſe, manifeſtum eſt. Carpit enim hoc, quod formas ultimas exſiſtentiam largientes, nominarim exſiſtentiales, aitque hunc eſſe terminum novum & terminum nullitatis, neque ab antiquitate venerandâ, quam ſemper ſonat Freitagius, profectum, & neminem phyloſophorum formam in eſſentialem & exſiſtentialem (Ganymedes per calumniam addit
ſub-

ſubſtantialem) dividere. Verum uno verbo aut beoticè rudis eſt iſte Ganymedes, aut malitioſe mendax: Nunquid antiquitas & ſolidioris philoſophiæ Peripaticæ ſectatores diſtinxerunt inter actum eſſentiæ, & actum exſiſtentiæ? Quid actus eſt aliud quam forma? Si itaque aliquis ex hoc actum exſiſtentialem & eſſentialem nominet, an ille aliquid novi profert? Vide ſi neſcis veteres Philoſophos, & novos etiam ſic locutos eſſe. Zabarella de materia prima lib. 1. cap. 3. & lib. de conſtitut. individ. cap. 5. ait propriam naturam conſtituere omnem formam; ſeu ſit generalis ſeu ſpecialis. Exſiſtētiam actu verò probare nō omnem formam, ſed ſolam ultimam quæ non egeat aliâ formâ. Et poſteà, majus eſſe, dare exſiſtentiam actu, quam dare eſſe ſpecificum, & eſſentiam conſtituere; plura enim requiri ad exſiſtentiam quam eſſentiam &c. Vide neceſſitatem hujus diſtinctionis, & orginem, vſumque ab antiquitate ad nos derivatum, & pudeat te tam impudenter audere nugari, & cornicari.

Et pudeat ſaltem te puduiſſe nihil.

LIV. Etſi indignus ſit cavillator, cujus portò latratus ad incudem revocemus, tamen in gratiam lectoris, & collutulatæ ab eo veritatis, progredimur ad quæſtionem quam ille format ex meis theſibus, quartam, De occultarum & manifeſtarum qualitatum Origine.

Ibi in reſponſione primâ allatrat verba theſis meę 16. quæ ſic habent, quod forma nulla ſeu ſeparabilis ſeu inſeparabilis, ullam generet qualitatem in re, niſi ex ſubjectæ materiæ potentiâ. Hoc negat & plus quam

quam ſcurriliter exagitat Ganymedes Sennertianus: pro fundamento ſuæ inficiationis ponit mendacium & crimen falſi, ait enim, Quid adverſario eſt materię potentia? Temperies nempe quatuor primarum qualitatum: ſed mentiris Cain, & Freitagio affingis & aſſuis, quod ipſe nuſquam dixit, ſcripſit, aut ſenſit; quodque ne per ſomnum illi unquam in mentem venit. Ex hoc pro libitu texit abſurda complura. Hic luxuriat veluti ſcarabæus in ſterquilinio, & ſcrofa in volutabro atque ita alacriter mentiendo, calumniando, cavillando rem gerit. His rationibus D. Sennertus novam ſuam Sectam tuetur: hi ſunt flores & fructus doctrinæ Sennertianæ.

LV. Quod ſub finem adjicit, ex ejuſdem materiæ potentia non poſſe oriri actus tam accidentales quā ſubſtantiales, id puerile & Phyſicæ doctrinæ parum gnari eſt effatum. Si enim ſubſtantiales inde oriantur, multo potius accidentales inde educentur: eſt enim inexhauſtus ad omnis generis actus, fons, & rationi imperſcrutabile penu, promptuarium, & penè abyſſus in iſta materiæ potentiâ, ut rationibus evidentibus demonſtratur: de quibus adeò fusè ſupra eſt actum, ut hic repetere non ſit opus.

LVI. Deinde ait cavillator Freitagium nimis jejunè de animæ rationalis qualitatibus loqui, & hic iterum mentiendo calumniandoque rem agit. Ait enim Freitagium ſtatuere, quod anima ſuas qualitates inter quas recenſet intellectum & voluntatem, è potentiâ materiæ educat. Quinimo eum non ſaltem qualitates animæ rationalis è potentia materiæ educere, ſed & ipſam animam, quia dicit in theſi 49. Si for-

Si formæ ex potentiâ materiæ ſunt natæ, cur non & qualitates?

LVI. Hic ut pecori iſti pellem leonis detrahamus, tenenda ſunt ſequentia: 1. Ganymedes ait, quæſtionem eſſe, quam etiam ipſe talem format, de origine qualitatum, tam occultarũ quam manifeſtarum. 2. Ex theſi tertiâ luculenter patet, me in hac diſputatione agere, de qualitatibus corporis & potiſſimum miſti, & de harum origine & officio, ut liquidius pateſcat, in quibus qualitatibus ſit ponenda ſanitas & morbus. 3. Verba theſis meæ 16. declarant & diſerte pronunciant, quod agam de iis qualitatibus quas forma, ſeu ſeparabilis qualis anima humana, ſeu inſeparabilis ut cæterarum ſublunarium, generet in re, hoc eſt, in ſubjecto, cujus eſt forma. Ex his patet, me agere de origine qualitatũ corporum & ſtatuere formas eſſe cauſas efficientes qualitatum in corporibus, & non agere & loqui de potentiis & qualitatibus animæ rationalis. Cum enim ipſo fatente Sennerto ſit quæſtio & agatur de origine manifeſtarum & occultarum qualitatum, hæ vero non ſint qualitates & potentiæ rationalis animæ, inevitabili conſequentia ſequitur, quod cum reſpondeam ad illam quæſtionem, qualitates illas videlicet occultas & manifeſtas deduci ex potentia materiæ virtute formarum, me non putare vel dicere vel ſtatuere, potentias animæ rationalis è potentia materiæ educi.

Deinde cum facultates animæ rationalis, qualis intellectus, ſint de eſſentia animæ, & juxta Ariſtotelem & potiores Ariſtotelicos reapſe non differant ab anima, quam & ego ſemper amplexus ſum ſententiam,

tentiam, quomodò anima generabit potentias ex materiæ potentia? Et cum facultates ſint de eſſentia animæ, an anima generabit ſe ipſam, vel an generabit priuſquam ipſa ſit.

LVIII. Sed rem, licet hujus loci non ſit, paucis tangemus propius. Iſtæ rationalis animæ potentiæ, quarum operationes ſunt inorganicæ, idem reapſe ſunt cum anima. Quæ vero per organa operantur, de iis quæritur unde ducant originem? Anima non videt ſine oculo, nec oculus ſine anima, & ubicunque oculus ſit in corpore, ut pars informata, videbit, ſed benè vel malè, acutè vel hebetius pro diſpoſitione oculi. ſi ſenex oculum juvenis haberet, videret ut juvenis; ex hoc ſequitur quod omnis actio ſit in genere ab anima, actionis ſpecies ab organo, in latiore etiam ſignificato ſumpto, bonitas vel malitia actionis à diſpoſitione partis & organi. Hinc eſt, quod philoſophi iſtas potentias, non in ſola anima, nec in ſolo corpore, ſed in conjuncto poſuerint; alii vero diſtinxerint potētias in primas vel ſecundas: primas in anima, ſecundas in diſpoſitione partiū ponunt. Primæ non læduntur & ſunt invariabiles, uti dictū eſt, & etiam teſtatur D. Sennertus lib. 1. Inſtitut. c. 3. Secundæ cum maxime à diſpoſitione partium dependeāt ſunt, mutabiles: in hac collocant ſanitatem, quam ob id definit D. Sennertus lib. cit. quod ſit potentia exercendi actiones ſecundum naturam à partium diſpoſitione proveniens. Ex quibus liquet, quod potentiæ animæ rationalis, quia idem ſunt cum anima, & de animæ rationalis eſſentia, ex nulla materiæ potentia dependeant: cæteræ vero reliquarum animarum potentiæ ſunt materiales, & ex potentia

materiæ eductæ, quia ipſæ animæ, ſeu formæ ex potentia materiæ ſunt eductæ. Sed quod dixi formas ex potentia materiæ oriri, & idcirco meritò eorum qualitates, criminatur, cavillatur & inſuper comminiſcitur, me animæ rationalis potentias, quinimo ipſam animam, ex potentia materiæ educere. Quomodo verò hoc probat Ganymedes cum Sennerto ſuo, & quomodò Sennertus cum Ganymede ſuo id probatum veniunt? Allegant verba theſis meæ 49. quæ ſic habent: Si formæ ex potentia materiæ ſunt natæ, cur non & qualitates formales? Verum illi verba mea allegant, quemadmodum primus omnium mendaciorum pater, qui in veritate non ſtetit, Dei & Scripturę verba allegare ſolitus eſt; In medio theſis exſtant memorata verba, quod videlicet formæ oriantur cum ſuis qualitatibus & potentiis ex potentia materiæ; de quibus autem formis id dictum intellectumque voluerim, per initialia ejuſdem theſis verba demonſtravi, quæ ſic ſonant: Si igitur formæ, quæ extrinſecus non inducuntur, omnes ex potentia materiæ ortum ducunt &c. Quorum verborum fundamentum eſt indubitata regula Philoſophiæ & veritatis veteris, quod omnis forma educatur è potentia materiæ, vel in eam inducatur. Ex quibus liquet quod mutilatus ille magiſter, poſita omni verecundia, cum veræ Philoſophiæ, & veritatis pietatiſque fundamentis, quibus Peripateticorum & antiquitatis diſciplinas & ſacrarum literarum decreta oppugnaret, deſtitueretur, totum ſeſe ad convaſandum mendacia, criminationes, ſarcaſmos & cavillos, converterit, quibus ab impuro falſitatis genio, ſeu æſtro concitus, veritatem,

tatem, ſi non evertere ſaltem collutulare, & lecto-ri, non aliter ac ſi magnum quippiam præſtiterit, fucum facere connixus eſt. Sed quâ gloriâ D. Sennertus ſe ſuaquæ nova paradoxa, per hos Ganymedes & Davos propugnet & defendat, ipſe viderit, de qua re ſanorum Theologorum & Philoſophorum judicia fortè brevi audiet.

LVIII. Huic non abſimile eſt, quod in tract. de formarũ origine, ex hac Philoſophorũ regula trita, quâ dicitur, quod cauſa inducens ultimam diſpoſitionem, ſit cauſa introductionis formæ à me allegata, vult extorquere; & calumniando idem quod hic annixus eſt deducere, nempè me ſtatuere, animam rationalem ex potentia materiæ educi.

LIX. Quæ in proximè ſequentibus, de cauſis, origine prima occultarum qualitatum, deinde de origine omnium promiſcuè qualitatum adfert, ſuperius multifariam diſcuſſa ſunt; demõſtratumque eſt, omnes qualitates, ſeu occultas ſeu manifeſtas, virtute formarum tanquam efficientium cauſarum, non ex ipſis, non ex nihilo, ſed ex potentia materiæ educi, ſimulque commonſtratus eſt error & contradictio D. Sennerti, de cauſis efficientibus occultarum qualitatum.

Quæ in hac quæſtionis diſcuſſione à Ganymede adverſum me prolata reſtãt, indigna ſunt ut repetantur vel ulterius refellantur; ſunt enim cavillationes, ex verbis theſium mearum, malitioſe detortis, tractæ & coagmentatæ.

Ex eo enim quod dixi formam qualitates quibus utatur ad operandum, habere (ſeu invenire) ex corpore cui ineſt, corpus vero illas habere per præviam

 diſpoſi-

diſpoſitionem, ad receptionem formæ, concludere nititur, me dicere materiam primam, quæ ἄποιος eſt, & ignobile principium, dare formæ ſuas qualitates, imo qualitates non eſſe à formis, ſed à materia. Tuam D. Sennerte appello, ſi quid eſt in te candoris, ſinceritatem, an hic non ſcutica dignum tuum propugnatorem judices? Si verò te connivente & conniċtante, imo docente & ſuadente talia evomit, vide quid egeris. Certum eſt nullam formam induci in materiam niſi præparatam, & præparationem fieri ab efficiente, per qualitates in materia unde diſpoſitio pro recipienda forma: hæc diſpoſitio eſt qualitas, quam invenit & pro inſtrumẽto accipit forma in materia in quam inducitur, vel è qua educitur hac diſpoſitione forma, operatur & conſervatur in materia: & hęc diſpoſitio eſt in materia ut eſt materia, ſed ab efficiente ad generationem diſponente genita. Quæ de quinta eſſentia vel quinto corpore contra me effutit, petulantiſſimi livoris ſputa ſunt.

LX. Ex meis verbis extorquere conatur, quod adſtruam formam eſſe corpus. Verum ut intelligas quam protervè & petulanter rem agat, notabis quod Sennerto & Paracelſicis, quinta Eſſentia aliquandò ſignificet corpus, aliquando formam, & formam animamque illis eſſe aſtrum, ſemen, ſeminariam rationem, ſpiritus architectonicos, eſſentias ſpirituales & manes habitantes in cinere rerum, &c. vide lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. Sennerto pro quinta eſſentia venire corpus, ex eo patet, quod ſpiritum inſitum & humidum primigenium lib. 1. Inſtit. p. 1. cap. 2. aſſerat eſſe quintam eſſentiam. Quod verò formam concedat eſſe quintam eſſentiam, liquet

quet ex hoc, quod alleget & approbet ſententiam Scaligeri dicentis Exerc. 307. ſ. 20. omnem formam miſti, etiamſi non ſit anima, naturam eſſe quintam. Spiritus, ſemina, ſeminarias rationes & ſpiritus architectonicos venire Sennerto pro formis patet ex D. Senner. lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 9. & cap. 10. Spiritus autem illos eſſe viſibiles loco ultimò citato pronunciat, & poſſe è ſubjecto ſuo egredi ad informandum alias materias, corpora fabricare, quod eſt opus animæ & formarum Sennerto, imo ſpiritus corporeſcere, & corpora in ſpiritus verti. Dic nunc uter noſtrum aſſerat, formas eſſe corpora.

LXI. Sed redeundum ad quintas eſſentias: Cum ex Sennerto pateat quintas eſſentias, dici corpora, quæ vocant quinta, quale dicit Ganymedes eſſe Calidum innatum (& tria principia) & formas illi etiam venire pro quinta eſſentia, dixi in contrarium nullam dari præter formam, quintam eſſentiam, ſivè non dari corpus quintum, quod ſit quinta eſſentia; Id patet ex theſi mea 14. & 10. imo ex gloſſa marginali addita th. 18. qua mentem verborum meorum exprimo, videlicet non dari quintam eſſentiam in rebus præter formam: rationes adſertionis meæ ſequuntur, quod illa corpora, quæ illi quinta vocant, & quintas eſſentias prædicant, acſi ex quatuor elementis natæ non ſint, elementaria ſint, & in elementa reſolvantur.

LXII. Ad cæteros latratus reſpondere eſſet hominis parum prudentis; hoc tamen petulantiæ argumentum vix prætereo, quod inquit, Quicunque concedit quintam formam, ille concedit & quin-

tam materiam? Nunquid hæc petulantia eſt virgis excutienda? quis dixit dari quintam formam? Formam omnem perfecti miſti eſſe quintam eſſentiam largimur Scaligero; ſed quis dixit illam eſſentiam eſſe quintam formam? Omnis forma eſt quinta eſſentia, ſed quinta eſſentia non eſt quinta forma. Formarum fere infinitus eſt numerus, pro ſpecierum ferè innumerabili multitudine, quæ tamen omnes unius materiæ primæ, mediantibus elementis conſtituentibus materiam ſecundam, partes informant. Vna illa materia innumerabilibus ſufficit formis. Nec quot dantur formæ diverſam habentes eſſentiam & ſpecificè differentes, tot dabuntur novæ materiæ, non ex materia elementorum ortæ. Innumera enim darentur elementa & principia materialia, cum hactenus quatuor ſunt numerata, quibus adjecerunt novatores Calidum innatum, & Paracelſici ſua tria principia, quæ tamen omnia ex elementis orta eſſe demonſtravi.

LXIII. Probatio majoris indigna eſt, quæ à Phyſico proferatur; etiamſi alia forma aliam requirat materiam, nunquam tamen requirit diverſam ab elementis & ab elementorum eſſentia diverſam; diverſitas conſiſtit in temperaturâ, non in diverſitate principiorum materialium: Secundum materiam enim res omnes ſunt unius eſſentiæ, uniuſque generis. Et juxta illā homo nihil differt à beſtiis & miſtis. Homo ex luto & pulvere conſtat, una cum cæteris beſtiis, materiamque quoad corpus, cum omnibus ſublunaribus corporibus communem habet, dictante id ſacrâ paginâ & ſanâ Philoſophiâ; per formam homo

homo eſt:materia dat eſſe ſed generale,& quod cum cæteris cõmune habet. Forma hominis dat id, quod iſta materia, quæ eadem eſt in beſtiis & miſtis dicatur homo. dat λόγον ἐσίας, contrahit ad certam ſpeciem, dat eſſe ſpecificum, & materiam actuat,& facit ut ſit τὸ δὲ τι hoc aliquid,dat quidditam & ſpecificam differentiam,unde per formam res eſt id quod eſt.Eſſe ſpecificum dat forma,commune & generale materia.Etiamſi itaque ſola forma rem non conſtituit, tamen materia quæ concurrit, ad rerum eſſentiam conſtituendam omnibus eſt communis, & una & eadem, nec diverſa forma diverſam ab elementis requirit materiam, ut vaniſſimum novæ ſectæ ſit commentum vel mendacium, novam formam requirere novam materiam,quoad eſſentiam materialem.Nec forma quia dicatur quinta eſſentia,ideo requirit materiam à quatuor elementis diverſam. Nec quia omnis forma ſubſtantialis, ratione quatuor elementorum,dicta eſt quinta eſſentia,ratione reliquarum formarum eſt quinta forma: & ſi quinta forma requirit quintam materiam,prima requiret primam, ſecunda ſecundam, & ſic in infinitum. Cælum adſtruente D. Sennerto juxta Averrhoëm, licet Ariſtoteli ſuo modo multiſque aliis ut& Paracelſicis dicitur quinta eſſentia, materiam tamen non negante Doctore Senn. cum elementis habet communem. Ita forma hominis inſpirando à Deo facta, inſpirata eſt in lutum, in pulverem, in materiam elementarem, ut cum ea hominem conſtituat, cum tamen nulla materia immerſarum formarum nobilior,nullaque pro quinta eſſentia potius habenda foret. Sed pudeat novatores eo dementiæ & impietatis pervenisse,

niſſe, ut deſperatis rebus, talia tamque abſurda effutire non vereantur.

LXIIII. Sed ille porro progreditur & theſin 18. adoritur, & ex illa talem conſtruit ſyllogiſmum. Si non datur præter formam (quæ videlicet ſola quinta eſſentia eſt vel dici poſſit) quintum corpus, ſequitur formam propria accidentia ex elementato corpore (ſeu elementari materia) producere; ſed non datur præter formam quintum corpus. Ergo &c. Minor probatur, Quia id eſſet commune omnibus, eſſet unum ex primis incorruptibile ſecundum totum, & poſt rei corruptionem ſeparabile & ſubſiſtens. Vide ulterius verba meæ theſis: ſed tale non datur, quia in hoc quintum corpus nihil reſolvitur, neque per artificialem neque per naturalem reſolutionem; quinimò omnes chymicorum eſſentiæ, redeunt in elemẽta & penè in ignem. Deindè fruſtrà eſſet forma ſpecifica & ultimata, aliud enim operaretur & non ipſa, & riſibilitas non eſſet ab anima. Ad hæc reſpondet negando minorem: ait enim jam dudum datum eſſe quintum corpus, nempe Calidum nativum, analogum elemento ſtellarum, dari item ſalem, ſulphur, & mercurium.

LXV. Verum prompta eſt reſponſio. Calidum innatum eſſe corpus elemẽtare, & hæc principia ex elementis compoſita, quia ſint prima miſta in diſputatione de Calido innato & in diſputationibus de principiis rerũ materialibus demonſtratũ eſt. Probationes minoris rejicit: earum prima eſt, quod in quintũ corpus nihil reſolvatur. Atqui in quintũ corpus aliquid reſolvi ille probat teſtimonio Sennerti (adverſarii cauſam per adverſarii teſtimonium defendit) dicentis:

tis: cadaveri putreſcenti nares admove, & vel fætor ille te docebit, non purum ignem eſſe & aerem quod exhalat. Verum, Ganymedes, omnes phyſici idem dicunt, fætorem iſtum non eſſe ex puro igne, neque ex puro aëre, ſed ex corpore miſto ſatis impuro, quod exhalat. Et quis ſanus cætera illa quæ refers, uti lixivium, urinam, fumum, cineres, dixit quinta eſſe corpora, vel eſſe corpora ſimplicia? Apage te cum fætido tuo ex fætore argumento, quod te eruditorum naribus offundere pudeat. Si fætor quintæ eſſentiæ, aut quinti corporis argumentum eſt, certè crepitus, ructuſvè per inferius guttur Sennertianus, tibi erit quinta eſſentia. Sed tamen fortè in iſto occidentali D. Sennerti vento, fætorem invenire non poteris, cujus excrementa omnia tibi ſunt ad palatum & melle dulciora, nardo fragrantiora, vinoque ſuaviora; & pro quibus defendendis, veritatem, animam & famam, periclitaris. Neque enim in fętore vel potius fæda cadaveris exhalatione, latent illa principiorum tuorum requiſita; & hinc ſane etiam patet, novatores fætida habere principia.

LXVI. Quod præterea adfert me confundere principia generalia cum ſpecialibus (fætidis Sennertianis) ridiculum eſt, & indignum Philoſopho reſponſum: ſiquidem omne principium rei conſtitutivum ſpeciale, præſupponit generale & ex generalibus compoſitum. Elementa & principia corporis humani Fernelio ſunt partes ſimilares: hæc verò conſtant primitus ex Elementis totius, undè res omnes ortæ. Deinde dari principium materiale rerum, quod ſit particulare, & ex generalibus ortum non ſit, falſum eſt, ſiquidem tria illa Chymicorum principia,

 cipia,

cipia,& Calidum innatum ex elementis,nata& facta eſſe demonſtratum eſt. Et vana eſt diſtinctio principii in univerſale & particulare. Eſt enim id de requiſito principiorum, ut ſint omnibus ſublunaribus communia,& generalia, & ut ſint prima. Quod poſteà probat principia ſua,non eſſe totius conſtitutiva id probatione non indiget, ſiquidem eo ipſo mea, quibus id dixeram, verba confirmat; Hoc vero erat probandũ,quod non neceſſariò conſtituerent partes mundi. Quod ait generalia illa principia duplex eſſe ſortita munus,videlicet, quod integrent mundum & intrent miſtum,& ideo ab iis non licere argumentari à generalibus tanquam ad ſpecialiora, & priore ſuo fine deſtituta: eo ipſo veritatis antiquæ doctrinam mirificè confirmat, quia ſi priore fine deſtituta ſint, & ultimum explent, hoc eſt, miſtum intrent, tum neceſſario Calidum innatum, & tria principia cum reliquis miſtis erunt unius generis, & erunt in corpore corpuſque conſtituent ut pars miſti: Et cum miſtio ſit miſcibilium alteratorum unio, nihil inerit miſto, niſi quod ſit miſcibile. Nihil eſt miſcibile, niſi quod per actionem & paſſionem cæterarum qualitatum, in unam cum cæteris temperiem redigi poſſit; actiones vero hic ſunt (dicente D.Sennerto) ſemper inter contraria unius generis. Vide quomodo inviti & coacti novi iſti moroſophi veritatis oracula ipſimet prodere impellantur. Et ſanè nihil poteſt eſſe pars corporis materialis, quod ſit purè putè ſimplex & immiſtum & quinteſſentiale. Quod enim non ineſt corpori per miſtionem, neque cum eo coaleſcit per ſubſtantiæ cognationem, totoque genere diſſimile eſt, id nec coaleſcere nec

unum

unum fieri poteſt materialiter ſub una forma, Adde quod ad generationem corporum animalium natura nunquam aſſumit prima principia, ſeu elementa. Et elementa nihil immutata & inalterata vel inalterabilia & immutabilia, ſed tum demum cum per varias mutationes, multarum intermediarum formarum ſubjecta prius fuerint ita comparata & diſpoſita, ut nobiliſſimarum formarum materia eſſe mereantur. Nihil ſubito ab extremo in extremum mutatur; ex elementis primò fiunt miſta, ex miſtis cibi, chylus, ſanguis, ſemen, deinde corpus animalis. Hinc corpus humanum finis omnis miſtionis dicitur Philoſophis, quod ut nobiliſſimam obtinet formam ita & materiam exquiſitiſſimè, per varias miſtiones & diſpoſitiones elaboratam poſtulabat, non tamen quintam juxta moroſophos materiã. D. Sennertus tria principia vocat prima miſta, quod his mediantibus putet cætera omnia fieri. Ex hoc jam clarè patet, quod Calidum innatum ſit corpus elementare, neque ut ſimplex quinta eſſentia ad materiam corporis ut pars materialis (qualem vult eſſe D.Sennertus lib.14.Inſtit. cap.5.) concurrere poſſit.

LXVII. Deferimur nunc ad argumentum quo probare conatur Calidum innatum, & tria principia, diſtinctum mundi locum occupare non poſſe. Id verò tale eſt: Quicquid non facit diſtinctam mundi ſpeciem, illud diſtinctum mundi locum non occupat. Calidum innatum & tria principia chymica non faciunt diſtinctam mundi ſpeciem. Ergo &c. Verum ex eorum decretis minor falſa eſt, ſiquidem in tract. de Cald. innat. adverſus me edito Ganymedis Sperlingerus, nõ ſemel ſtatuit Calidum innatum habere

habere propriam formam, quæ ſubſtantialis ſit, & id de tribus principiis quæ D. Sennertus in tract. de Gal. cum Chym. conſenſu & diſſ. cap. 9. affirmat, nemoque iſtorum novatorum de principiis iſtis id negat. Forma illa ſubſtantialis neceſſariò eſt ſpecifica, quia dat illis eſſe, diſtinguere, & operari: Hæc enim requiſita propria Ganymedes Sennertianus in tractatu de form. orig. dicebat eſſe formæ ſpecificæ, quibus de forma affirmatis, neceſſario ſit ſpecifica, quæ dat actum ultimum iſti corpori, cujus propriè eſt forma. Formam juxta D. Sennertum in Inſtit. lib. v. cap. 2. p. 1 habet Calidum innatum, per illam operatur, & à cæteris corporibus diſtinguitur, & per illam Calidum innatum fit quinta eſſentia: Par ratio de tribus principiis, obtinent enim formam ſuam teſte eodem D. Sennerto, per quam habent, diſtingui & operari. Ergo poſſident formam ſpecificam, & conſequenter diſtinctum mundi locum occupare debent.

LXVII. Porrò adjicit falſum eſſe, quod dicam Chymicorum quintas eſſentias in elemēta & penè in ignem redire, cum primis, aquâ & terreſtri materiâ remotis: rationem ſuæ aſſertionis addit, quod Freitagius & Chymię oſor & rerum Chymicarū ignarus ſit. Etſi vero ſatis jam notum quod deficientibus ſolidis rationibus, ad calumnias convertantur, tamen paucis os calumniæ ipſis dedolandum & minuendum, quid de Chymia ſentiam & intelligam paucis ſic habe. Chymiam cum Libavio & Duncano Burneto (meo quondam in gradu Doctoreo aſſumendo competitore in Academia Iuliâ Helmſteti) cum L. Billichio, aliiſque claris Philoſophis & Medicis ſta-

tuo

tuo artem certis homogeneis veris principiis & præceptis conſtantem. Paracelſicam illam Chymiam quam novatores & fratres Roſeæ Crucis Hermeticam medicinam vocant, atque D. Sennertus cum ſuis Ganymedibus & Davis amplectitur, ajo *cum & juxta Libavium eſſe monſtroſam quandam jactantiam, ex ruditate & ſcientiâ conflatam, miſcentem magiam & Alcumiam medicinæ, & hinc omnes ſcientias pervertentem*, vel cum aliis deſcribo, *quod ſit ars ſine arte, totum ſine parte, cujus initium ſit blandiri, medium mentiri, ultimum nihil invenire.*

LXVIII. Quod praxin veræ Chymiæ non viderim neque perceperim, male feriati illi & depudicatæ perfrictæque frontis calumniatores de me publicè ſcribere non erubeſcunt, cum tamen, qui me norunt, ſatis norint; quod ex quo tempore à profeſſorio munere ab Academiâ, in aulam evocatus fuerim & medici archiatrique aulici operâ & fidem per annos viginti quinque indeſidem aliquot, Germaniæ noſtræ principibus, chymiæ amatoribus maximis, ſtrenuè probaverim, maxima fuerit mihi occaſio, exercitii chymici ſubeundi, & naturæ arcana ſine magno meo labore, & impendiis principum maximis indagandi, quâ occaſione Ganymedes Sennerti, hactenus potitus non eſt, neque fortè porro fruiſci poterit; ibi didici falſa eſſe principia Paracelſi, videlicet ex operationibus & effectibus ſpagyricis hauriendam medicinæ cognitionem, & falſum, quod lib. 1. Paramir. dicit Paracelſus, unicum medicinæ fundamentum ex arte Chymica per ignem addiſci; Et libro 1. paragra: morbos à remediis diſcendos, & juxtà remedia diſtinguendos &c. Didici item remediis

diis veterum tutius nos uti, quam chymico artificio laborioſe præparatis, præſertim ſi ex mineralium familia accerſita uſurpemus. Et demum omnes illorum quintas quas vocant eſſentias, eſſe corpora quæ ex quatuor coaluerunt elementis, & remota terrea & aquea parte, quod ſubtiliſſimum eſt, ad ætheream igneamque redire naturam, nec ultro ignis eo dividi eas poſſe, ut ad prima elementa exquiſitè perveniamus, quod & exercitatiſſimi Philoſophi & Medici, chymicarum rerum exploratores ſolertiſſimi, in quorum cenſu Anton. Gunth. Byllichius, ſcriptis ſuis & lucubrationibus eruditiſſimis & infallibilibus, teſtatum fecere, & à me in diſp. 1. & 2. de rerum naturalium principiis & elementis ſolide probatum eſt.

LXIX. Sed pergamus cavillationes nugivendi Spermologi Sperlingii ejuſque præceptoris proſequi. Secundam ait probationem confundere officia formarum; aliud enim eſſe officium formæ ſpecificæ & ultimæ, aliud genericæ.

Sed heus, bone vir, quæſtio nobis erat de origine occultarum qualitatum, ſintne hæ à forma ſpecifica, in re & ſubjecto generatæ, an vero inſint ſubjecto, quia conſtet quinto corpore, quod ipſis eſt Calidum innatum, & quod habeat tria principia: quod ſi ita ſit, uti illi ſtatuunt, & D. Senn. docet. lib. 1. Inſtit. cap. 5. tum fruſtra ſit forma ſpecifica, quia ſi qualitates hæ occultæ, aut qualitates formales, non à forma dependeant ultimata ſuæ ſpeciei, ſed inſint propter quintum corpus, tunc propria accidentia non erunt rei formalia, perque aliud inerunt quod corporis eſſentiam primò non conſtituebat, neque operatio ſe-

tio ſequetur eſſentiam, & hinnitus non erit à forma equi, neque riſibilitas ab anima humana. Cum autem à forma ſpecifica & ultimata ſit eſſentia peculiaris & quidditas, ſpecifica differentia, & proprietates formales, quæſtio eſt an occultæ qualitates, quę ſunt formales proprietates, & ultimam ſpecificamque inſequuntur formam, inſint toti, quia conſtet aliquâ ex parte calido innato vel tribus principiis. Poſterius ego negavi & prius aſſerui, allatis rationibus irrefragabilibus. Poſterius probat D. Sennertus cum Ganymede ſuo, videlicet per Calidum innatum ineſſe corpori occultas proprietates & qualitates, & non operâ & vi formæ ultimatæ in ſubjecto & materiâ generatas eſſe. Id v. probare intendit, ſed veteratorie & fraudulenter & per fucum lectori factum. Calumniatur enim me diverſa formarum officia videlicet generalium & ſpecialium confundere; Sed hanc criminationem quomodo probas D. Ganymedes? hoc ipſo probat, quod dicit omnem actionem in corporibus miſtis & animalis ultimæ formæ adſcribere eſſe deſipere (bona verba quæſo nugator & novator) naturamque omnem in modum ignorare. Breviter (inquit) quamlibet corporis naturalis ſpeciem peculiare aliquid inſequitur, quod non niſi à peculiari & ſpecifica forma provenit, ſic equus hinnit, homo ridet. Præter has vero operationes eſſe adhuc alias, quæ etiamſi forma ſpecifica abſit, nec amplius præſens ſit tamen inſint & ab alia forma immediate dependeant; & huc ait ſpectare plantarum facultates, qualis facultas rhabarbari purgatrix, Terebinth. &c. quas facultates cum animarum potentiis confundere, ſit mare cælo miſcere, & cælum mari.

LXX. Sed

LXX. Sed bene D. Sennerte & Ganymedes impudentiſſime, ne inique feratis meritam hîc caſtigationem & erroris detectionem & fraudis contradictionumque veſtrarum demonſtrationem. Quæſtio erat de qualitatibus occultis earumque origine, vos reſpondetis de formarum diverſarum officiis. Nemo unquam negavit diverſa munia à diverſis fieri ſubſtantiis & formis: Homo calet & coquit calore inſtrumentali, qui eſt ex igneo aëreoque elemento, à quo qualitas illa dependet, & ab animâ directa coctionem perficit. Formas diſtinguis in genericas, ſpecificas & ſubordinatas, meque harum officia confundere impudenter ais: ſed id tibi probandum, à quo formarum genere tibi dependent occultæ qualitates, non certè à generica, à ſpecifica dependere negas, Ergo à ſubordinatis: Rem probas exemplo Rhabarbari, ſed hæc omnia futilia ſunt, novæ Philoſophiæ potius ſtercora, quam ſolida fundamenta. Non dari formas ſubordinatas quales ſomniant novatores jam antea probatum eſt, imo in Rhabarbaro vi purgandi adhuc prædito, exſtinctam eſſe, nec ſupereſſe formam ſpecificam, falſum eſt, & contrarium ſupra demonſtratum eſt, ipſumque Rhabarbarum ſua adhuc ſpecifica forma conſtans purgare, non cadaver Rhabarbari, uti cornicantur novatores. Deinde vanum eſt quod dicunt, illum qui occultas qualitates à forma ſpecifica aſſerit generari potentias animæ cum viribus animæ confundere. Qui odit mures aut non comedit caſeum, ex occultâ qualitate id habet, quæ à potentiis animæ vitam regentibus longiſſimè differt. Verum his miſſis, duo ſunt quibus fraus & impoſtura Sennertianæ doctrinæ

detegitur

detegitur, primum eſt inſuperabile antiquitatis principium ſuprà allegatum, quod proprietas formalis, qualis tractio magnetica, & vis Rhabarbari purgans, &c. immediatè ſint à forma ſpecificâ eamque ſequantur. Secundum quod ipſi idem ſtatuunt, videlicet occultarum proprietatum, à quibus actiones à tota rei ſubſtantia ipſis fieri dicuntur cauſam univocam eſſe formam rei ſpecificam. Id diſerte docet D. Sennertus in Inſtitut. lib. 2. cap. 4. & Ganymedes ea repetit in tract. de morb. ſubſtant. Theſi. 2. quæſt. 2. At contrarium docet libro 5. Inſtit. p. 1. cap. 2. ubi demonſtrare contendit, non à formâ ſpecificâ ſed ſecundaria generari qualitates occultas, quod exſtincta ſpecifica hæc ſecundaria maneat, & ſit cauſa occultarum facultatum, & per has operationum, quas totius ſubſtantiæ vocant: Sed hic quadrat vetus illud proverbiũ, *oportet mendacem eſſe memorem.* Vides itaque, benevole lector, quod quia veris rationibus non poſſunt, nihilominus calumniis, ſtrophis, abſurdiſſimiſque contradictionibus cauſam ſuam deſperatam, & jam funeratam, novatores ad extremum defendere, & potius divina humanaque moveri & inverti, veritatem omnem in exilium agi & opprimi, quam veritati cedere velint.

LXXI. Reſtant pauca pervidenda & excutienda in quæſtione ſextâ, quâ quæritur an ſanitas, in occultarũ qualitatũ diſpoſitione conſiſtat. Ego in diſpoſitione quâ mediante diſponitur materia ad receptionem vel eductionem formæ, qua rectè habente conſervatur forma, quaque pro inſtrumẽto utitur, quaque pereunte forma immanere non poteſt, ſanitatem ſimilarium collocari: Sanitatem eandem conſi-

ſtere in diſpoſitione ſimilarium accidentali ſcribit D. Sennertus lib. 1. Inſtit. cap. 3. & hanc diſpoſitionem eſſe temperiem calidam & humidam tradit & prolixè explicat ibidem cap. 4. In hac temperie illi eſt vita & ſanitas. Sanitas illi eſt potentia perficiendi operationes vitæ neceſſarias. Quocirca anima hac diſpoſitione ut neceſſario & proximo indiget & utitur inſtrumento ad actiones. Diſpoſitio verò illa eſt temperies in ſubjecto elementaris, in quâ prædominatur caliditas & humiditas, teſte eodem Sennerto, quæ ſi vitietur diſpoſitio commodum inſtrumentũ animæ non eſt, pro actionibus perficiendis; ſi maximopere vitietur, facit quod pro forma diutius ſuſtinenda ſubjectum ſit ineptum; Et uti ſine tali diſpoſitione legitimè habente forma ſervari non poteſt, ita multo minus induci poteſt in materiam, niſi prima hac diſpoſitione ſit ad receptionem formæ præparata; & ſic ſanitas ſimilarium conſiſtit in præcedente formam diſpoſitione, non in ſequente, & conſequenter non in occultis qualitatibus. Diſpoſitio vero illa oritur & reſultat ex miſtione corporum elementarium, in quâ perficiendâ, primarium inſtrumentum & cauſa efficiens inſtrumentaria eſt calor: is vero calor non eſt alius quam elementaris. Quid ad hoc reſpondet Ganymedes Sennertianus? cum reſpondere nõ poſſit ogganit, & ideo dicit me negare in occultis qualitatibus ſanitatem conſiſtere, quod miſtio & generatio perficiatur imprimis, calore & qualitatibus primis; & hanc eſſe petitionem principii: relegat me & provocat ad cap. 12. lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. Quærit an non legerim quid ibi doceat D. Sennertus. Sed ego iterum

quæro

quæro, an non legerit Ganymedes, quæ illius Præceptor ſcripſerit in phyſ. lib. 3. cap. 3. videlicet miſtionem & miſti generationem primò & per ſe fieri à calore elementari, eandemque eſſe generationis & conſervationis miſti cauſam?

LXXII. Sed videamus etiam locum à Ganymede allegatum & accerſitum ex 12. cap, lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. an non ibi primarium ad miſtionem perficiẽdam inſtrumentum & δημιεργὸν ponit calorem rebus inſitum? Sed hic, dic ſodes, quis ille qualiſque calor eſt? nunquid elementaris? quod ſi neges, anima (uti ille inquit) eo uti nequeat ad attractionem, ſeu ut loquuntur veri Philoſophi ad homogeneorum congregationem, ſecretionem & expulſionem, ſeu heterogeneorum ſeparationem (an miſtio quævis fiat per concoctionem à calore, nolo hic diſputare, fieri vero per definitionem humidi cum ſicco omnino verum eſt) quia omnis actio eſt contrariorum unius generis, juxta D. Sennertum, neque calor neque ſpiritus ullus ſi ſit ſuperelementaris naturæ in elementa agere, eaque congregare, miſcere & miſtionem perficere poteſt. Quod verò anima & forma quævis ſit cauſa miſtionis & generationis corporis ſui vel domicilii, ſupra demonſtratum. At quod iterum mentiri non veretur, me ſtatuere ex diſpoſitione, ut potentia oriri formam, id extremæ Ganymedis impudentiæ, & calumniandi libidini adſcribendum eſt.

LXXIII. Ex dictis patet, quod uti ſine diſpoſitione non poteſt fieri, introductio formæ in materiam, ita neque conſervatio ejuſdem; quodque ſine hujus miniſterio, illa nec operetur nec operari poſ-

 ſit,

ſit, quocircà nec abeſſe queat, nec interire debeat veniente formâ, cum ad ejus interitum formam intercidere neceſſum eſt; ut vanum fictumque ſit, quod cornicatur Ganymedes, diſpoſitionem, quâ mediante inducitur & immanet & operatur forma, adveniente formâ ceſſare. Quid verò eſt ceſſare? loquere ut te videã: falſarii tectè loquuntur: vis ceſſare ab operatione, aut aboleri & interire? utrumque falſum eſſe demonſtratum eſt. Quis eſt iſte calor, qui animal ut cauſa efficiens inſtrumentalis generavit? nunquid plaſticus in ſemine? is verò qui generavit perfecto corpore, ſtabulatur in humido primigenio per omnes partes, & abundantiſſimè in corde diffuſo, in quo vita & ſanitas conſiſtit & perdurat, & propriè eſt ad recipiendam formam diſpoſitio, in materia, per quam & immanet & operatur, neque recedit veniente forma, aut per formæ præſentiam?

LXXIV. Porro ille progreditur ad cavillandum verba mea in theſi 23. poſita, quæ ſic habent: occultæ qualitates uti non generant, ita neque conſervant corpus, neque ſanitatis eſſentiam conſtituunt: hujus rei rationem addidi hanc, quod etſi forma has occultas qualitates, ad mirandas ſæpè edendum actiones produxerit, tamen per illas nec vitæ actiones excerceat, nec ſubjectum conſervet. Ad argumentum primò reſpondet per inſtantiam, dicendo, *aër, cibus, potus, nos non generant, Ergo neque conſervant: differre immenſum rerum generationem & conſervationem.* Verum qui ſemel verecundiæ limites tranſivit, eum oportet eſſe gnaviter impudentem, nullum principium tam verum, tam ſanctum, quod novi iſti moro-

ſophi

ſophi, convellere & negare non erubeſcant. Conſervatio eſt eſſendi continuatio & quaſi continua quędam generatio. Subſtantia noſtra eſt in continuo fluxu & perditione, quod continuò perditur, continuò reſtaurari debet: reſtauratio fit repoſitione & regeneratione ſubſtantiæ ſimilis ei, quæ perdita eſt. Quod periit elementare & elementum eſt; reſtauratur itaque ſimili, ſeu aëre & cibo, potuque ejuſdem conditionis & originis, cujus erat ea quæ perdita erat ſubſtantia. Regeneratio itaque & repoſitio ſubſtantiæ ſimilis quæ periit, eſt conſervatio. Perficitur itaque conſervatio generatione, & generatio eſt conſervatio: quæ ſubſtantiam conſervant & regenerant, ea & qualitatem temperiemque, in qua conſiſtit ſanitas, conſervant. Audi Scalig. Exerc. 31. *Eſſe & conſervari acceptum fertur eidem auctori eidemque principio: Nihil enim aliud eſt conſervatio quam eſſendi continuatio. Idcirco iis alimur ex quibus facti ſumus.* Quare niſi me fallo, non penitus obtuſe dicebamus alibi: *Vitam ſive conſervationem eſſe quandam veluti perpetuam generationem.* Sanitatis itaque eſſentia, ab iiſdem conſervatur à quibus generatur; idemque hic eſt conſervatio & generatio, eademque cauſa.

LXXV. Altera mea ratio erat talis; quæcunque qualitas nec actiones vitæ excercet, neque corpus conſervat, in illa neceſt ſanitas, neque illa ad ipſius conſervationem facit. Antecedens probo ſimili, à magnete, leone, braſſica &c. deſumpto, quorum conſervatio & ſanitas, non eſt ab occultis qualitatibus, ſed à temperie & in eâdem.

Hic primò quid reſpondere debeat, neſcit Ganyme-

lam facultatem vitalem lædi, quæ in calido & humido conſiſtit, modo quo ſuprà dictum eſt. Illud in corde potiſſimum radicatur, in ſyncope læditur, propter defectum ſpirituum, quorum jugi reſtauratione conſervatur in corde, & conſequenter in toto.

LXXVII. Verùm ut rem altius diſpiciamus, certum eſt vitam ſanitatemque conſiſtere in calido & humido (uti ſuperius ex ipſo D. Sennerto probatum) quatenus illud debitè ſuperat contrarias qualitates, videlicet frigidum & ſiccum: Id verò temperamentum non eſſe in animante vel ſimilaribus, quatenus corpus ejus eſt miſtum, ſed quatenus eſt vivens & animatum. In hoc temperamento & vita & ſanitas conſiſtit: non in illa temperie ſimilarium; quatenus ex elementis primò compoſita ſunt, quia hæc non patitur in vivis corporibus, ejuſque partibus quam diu vivunt, ſed ſupereſt in cadavere & corpore per putredinem diſſoluto, demum perit, uti idem docet D. Sennertus libro 1. Inſtit. capite 4. Eſt itaque vita & ſanitas ſimilarium in vitali iſta temperie (ſic à D. Sennerto dictâ) in qua calidum & humidum dominatur, ad extremum uſque ſenium & mortem, eodem teſte, & hanc temperiem eſſe qualitatum elementarium ex ipſo patet Sennerto, quod & ſupra probatum eſt. Non igitur alia conſtitutio eſt & temperies partium ſimilarium in quâ conſiſtit ſanitas & vita quam calida & humida, eaque non ineſt uti ſunt miſta, ſed ut animata & viventia.

LXXVIII. Vnde videndum quid velit D. Senn. his

verbis, quæ exſtant lib. 2. p. 1. cap. 2. Cum ſimilares partes componantur ex quatuor elementis, atque elementorum miſtionem proxime inſequatur temperamentum, ad ſimilarium partium ſanitatem requiritur temperies ſeu juſta primarum qualitatum moderatio & ſymmetria; atque in hac qualitatum ſymmetria ſeu temperie, ſanitatem partium vulgò conſtituunt. Verùm cum corpus humanum non ſolum ſit ſimpliciter miſtum, ſed ſit corpus vivens & animatum, atque habeat calorem vitalem, ſpiritus vivificos, humidumque radicale, atque formam ſpecificam, à quâ animatur, à quibus multæ nobiles qualitates, quæ in miſtis ſimpliciter non inveniuntur, emanant, meritò non ſolum in primarum qualitatum συμμετρίᾳ ſanitas partium ſimilarium ponẽda, ſed & occultarum qualitatum quædam peculiaris requiritur conſtitutio, ſine quibus partes ſimilares, etiamſi in primis qualitatibus ſuam naturalem conſtitutionem habeant, ſanæ ac ſalvæ eſſe non poſſunt.

LXXIX. Hæc verba D. Sennerti oculatius ſunt inſpicienda. Primò falſum eſt juxta omnes veræ Philoſophiæ veteres & recentes Profeſſores; quod ſanitas & vita ſimilarium conſiſtat in temperie illa, quæ proximè inſequatur miſtionem, & qua conſtant partes, non ut viventes, non ut animatæ, ſed ut pura miſta corpora, quæ temperies ut in vivis non affligitur, ita in cadavere & corporis mortui partibus ad tempus eſt ſuperſtes: uti teſtatur ipſe D. Sennertus libro 1. Inſt. cap. 4. proinde contra veteres, & contra ipſam veritatem & contra ſe ipſum ſtatuit D. Sennertus, ſanitatem eſſe in temperie partium, quatenus

tenus ſunt corpora ex elementis primis miſta. Secundò verum eſt, quod temperamentum vitale in quo ſimul fundatur ſanitas, conſiſtat in calido & humido, quatenus moderate ſuperant frigiditatem & ſiccitatem. Atque hoc elementaris eſſe conditionis, ut ipſe D. Sennertus cap. 4. lib. 1. Inſtitut. ſatis diſertè ex Ariſtot. & Galeno deſcribit, negari à nemine, nec ab ullo ſano & ſenſato poteſt. Ex quo ſequitur aut nullos in temperie dari morbos, ſimilarium partium, aut cum omnino dentur, eos eſſe in iiſdem, quatenus temperie vitali ſeu calidâ & humidâ conſtent, in quâ vita eſt & ſanitas. Sed cũ D. Senn. hic nec ſe ipſum intelligat, nec quid velit ſatis explicet, ſed ita loquatur, ut videri nec velit nec poſſit, quærendum cum dicat primò corpus humanum non ſimpliciter eſſe miſtum, ſed eſſe corpus vivens & animatum & habere calorem vitalem, & ſpiritus inſitos humidumque radicale; deindè formam ſpecificam à quibus multæ nobiles qualitates emanant, quæ in miſtis non inveniuntur, undè non ſolùm ponenda ſimilarium ſanitas in primarum qualitatum ſymmetria, ſed requiri occultarum etiam qualitatum peculiarem conſtitutionem, ſine quibus partes ſimilares ſanæ eſſe nequeant; quærendum inquam, an ſanitas quædam in calido illo vivente, Sennertiano, quod illi ſuperelementaris eſſe conditionis ſtatuunt, & propriè ſpiritum eſſe aſſerunt, ſolum vel cum humido archigeno junctum. Secundo, an, quando dicit, in qualitatum occultarum conſtitutione conſiſtere ſanitatem, quia detur in corpore calor viventis & animati, ſpiritusque vivificus & humidum radicale, & præthereà forma ſpecifica, à quâ

animatur, à quibus multæ nobiles qualitates, quæ in miſtis non reperiuntur, an velit eas qualitates eſſe in Calido innato, uti ſuperelementare eſt, & ab ipſomet primò & per ſe, an vero à forma ſpecifica, quà corpus eſt animatum.

LXXX. Ad primam quæſtionem dico, niſi ſanitas detur & conſequenter morbus in Calido innato ſeu ejus in qua conſiſtit, temperie legitima (quod ipſis tamen ſuperelementaris eſt natura) nullus erit morbus intemperiei, in partibus ſimilaribus, quia non daretur in illis ut ſunt corpora ex elementis miſta, neque uti vitali temperie conſtant. Si verò datur in illis morbus intemperiei, uti omnino datur, Calidum innatum erit elementaris conditionis. Nec eſt quod quis dicat pro D. Sennerto, quod morbus in Calido innato dari poſſit, quia id ut corpus ſuperelementare, conſtet caliditate elementari tanquam accidente, ſiquidem caliditas elementaris non eſt extra corpus elementare, & ſic adhuc ſequitur, Calidum innatum ut corpus, eſſe elementaris naturæ, & ex elementis, uti ſupra demonſtratum eſt. Deindè ad hanc primam quęſtionem pertinet interrogare, num in Calido innato ut eſt corpus ſuperelementare, in quo dicente Ganymede Sennertiano in tract. de Calido innato vita conſiſtit, & à quo eodem aſſerente in tractatu de morbis ſubſtantiæ quæſtione 6. vivificatio, chylificatio, ſanguificatio, cæteraquæ naturæ opera, fiant, uti vita & ſanitas conſiſtat, & conſequenter morbus: ſi negativam quis ſtatuit, is primò nullum dari morbum ſimilarium adſtruet, ſecundò vitam ſanitatemque & morbum non faciet ejuſdem ſubjecti: à quo enim

tan-

tanquam proximo benè habente animæ inſtrumento actiones ſanitatis perficiuntur, ab eo etiā læſo actiones læduntur: ſeu in quà re eſt ſanitas, in eadem erit morbus, quia ſunt unius generis & unius ſubjecti.

LXXXI. Tertio, ſi negent morbum eſſe in Calido innato, ſibi ipſi contradicunt, quia quæſt. 6. reſponſ. 2. in tractatu de morbis ſubſtantiæ, Ganymedes venena directè ait agere in Calidum innatum ideoque non manere ſalvum Calidum innatum nec incolume: & quæſtione 6. exceptione 7. ait falſo affingi D. Sennerto, quod ſtatuat illud à nullo poſſe pati, nihilque ipſi eſſe contrarium; licet enim, (inquit) elementa huic non contrarientur, tamen venena illud primò adoriri & deſtruere ſæpiſſimè inculcat. Et ibidem exceptione prima R. 111, ait venena facere hominem ægrotare & mori ſalvo calore elementari. Si itaque directè & primò agant venena in Calidum innatum, idque non ſit dicente Ganymede qualitas, non occulta qualitas, ſed σῶμα, & ex hac veneni in illud corpus actione ægrotent & moriantur homines, uti omnino fieri neceſſum eſt, quia in eo uti corpus eſt ponit vitam & cauſam inſtrumentalem omnium actionum naturalium & vitalium quæ in venenatis morbis & peſte maximoperè læ[illegible]tur, primò neceſſum eſt juxtà D. Sennertum, dari morbos materiæ, quia Calidum innatum ut corpus, eſt pars materialis corporis animati dicente D. Sennerto libro primo Inſtit. capite 5. & quæſtione 6. Exceptione 8. Ganymed. inquid Calidum innatum non eſſe partem integrantē corporis, ſed ad materiam tanquam partem eſſentialem referri. Sed morbos materiæ dari ipſe D. Senn. negit,

negat, eoſque refutat qui hoc ſtatuunt. Secundò corruit ipſius regula, in qua fundavit morborum ſubſtantiæ rationem, quæ talis eſt: *actiones ſunt contrariorum unius generis.* Si dantur actiones qualitatum venenorum & occultarum qualitatum in noſtram naturam, quæ ſanitatem labefactent, neceſſum eſtibi dari occultas qualitates in quas agant. In apertas enim vi iſtius regulæ agere non poſſunt. Verum multo minus agent venena per occultas qualitates, primò & directè in Calidum innatum, quod eſt ſubſtantia, cui nihil contrarium; ſubſtantiæ enim non agunt nec patiuntur niſi per qualitates; quin imò, Calidum innatum dicente Ganymede, non eſt qualitas nec occulta qualitas. Vides, amice lector, quanta ſit confuſio, quot contradictiones, in unica illa de morbis doctrina, quibus juventutem diſcendi avidam, in inextricabiles ducit labyrinthos, & lectorem in errores, è quibus nec ſe nec alios explicare poſſit.

LXXXII. Supereſt itaque ut ſtatuamus morbos temperiei ſimilarium partium eſſe non in temperie earum quatenus ſunt miſta corpora, ſed quatenus vitali temperamento prædita. Quæritur nunc vnde & in quâ re ſint occultæ illæ qualitates, & num partium ſimilarium adeòque ani[illegible]tium ſanitas & morbus, poſſit eſſe in occultis illis qualitatibus. Primò occultas qualitates ineſſe corpori ſtatuit lib. 1. Inſt. cap. 5. quia detur in eo Calidum innatum, quod ſit ſubſtantia ſuperelementaris naturæ: ait Sympathias & antipathias & nobiliſſimas actiões fieri à ſpiritu inſito, qui ipſi propriè eſt ſubſtantia Calidi innati: hanc vero vim non eſſe ab anima, quia in demortu-

mortuis & animâ carentibus, vis purgandi, venenis reſiſtendi, veneno inficiendi peculiares partes, maneat ſuperſtes in humido radicali & ſpiritu inſito; idque tam remotâ animâ, quam corpore elementari, ſeu mole inefficaci.

LXXXIII. Sed hoc falſum eſſe, cum vel ipſe ſit veritus, in hoc pedem figere auſus non eſt, ideoque à forma peculiari has qualitates in ſubjecto generari aſſerit. Si ſint formæ effectus iſtæ qualitates occultæ, putat poſſe formam nobilem in materia elementari eas producere, uti dicto cap. 5. paulò ante finem docet. Verum iterum Pirrhonius & anceps lib. 5. Inſtit. p. 1. cap. 2. dupliciter à ſeipſo diſſentit, primò in forma, ſecundò in materia & ſubjecto, in quo vi formæ generantur, cauſam occultarum ponit lib. 2. enim Inſtit. p. 1. cap. 2. occultarum qualitatum unicam cauſam, diſertę eſſe ſtatuit formam rei ſpecificam, & libro 1. Inſtit. cap. 5. hanc ſpecificam formam eas poſſe generare in ſubjecto elementari: libro verò quinto inſtitutionum p. 1. cap. 2. non animam, non formam ſpecificam, eſſe harum occultarum qualitatum cauſam, ſed ſubordinatam aliam à ſpecificâ genitam, quæ eâ abolitâ ad formale veniat officium. Hanc eſſe ibi docet proximam ſpecificæ materiam, quâ mediante inſit toti, quæque eâ recedente incipit formæ officio fungi, & eſt cauſa facultatum & operationum, quæ in pluribus rebus amplius non viventibus deprehenduntur, & tamen à qualitatibus elementaribus non proveniunt, undè actiones totius ſubſtantiæ vocentur. Deinde hoc loco pariter ait, quod ſubjectum ejus formæ occultarum proprie qualitatum auctoris, ſit Calidum innatum

natum radicale, ſpiritusque inſitus in quo generat occultas qualitates. Hanc formam cum ſuâ materiâ adeò arctè cohære ait, ut à cætero inutili corpore elementari, quo circumdatur, retinens omnes ſuas facultates, ſeparari poſſit: hoc balſamum & quinteſſentiam vocat.

LXXXIV. Vide hic contradictionum & confuſionum abyſſum & chaos. Primò itaque qualitates occultas, in quibus conſiſtere vult D. Sennertus ſanitatem ſimilarium libro 2. p. 1. cap. 2. an ſint in Calido innato quatenus eſt corpus ſuperelementare, an verò inſint ei per animam, non docet nec rite demonſtrat. Primum enim ſtatuere non poteſt, quia Calidum innatum nequaquam ut qualitas, ſed ut corpus totum quantum eſt, ſuperelementaris proſapiæ eſt, uti demonſtratum eſt.

Si itaque dantur occultæ qualitates, uti eas dari non nego, illæ erunt in & ex ſubjecto, & materiâ elementari per formam productæ. Qualem earum generationem etiam non negat D. Sennertus lib. 1. Inſtitut. cap. 5. Formam vero illam quæ producat has qualitates, in viventibus non eſſe animam, vel formam ſpecificam, ſed aliam quandam à ſpecifica genitam, quæ ad officium formale veniat, intereunte vel recedente ſpecifica, quæ eſt anima, idem docet. Formam hanc quam diu ineſt anima, rationem habere materiæ, ait D. Sennertus loco cit. eaque intereunte vel recedente ad officium formale venire hanc, quæ materiæ vicem ſuſtinuit; quocirca inſtar materiæ ſe habuit. Quod verò eſt officium formale? ipſam ſcilicet actuare materiam, hoc eſt, informare, eſſentiam tribuere, & proprias facultates,

vel

vel proprietates formales educere. Non itaque inſunt qualitates occultæ, prius quam ſpecifica forma & anima rei pereat: tunc enim ad officium formale progreditur forma ſubdititia & illa ſecundaria quæ hactenus materiæ vicem ſuſtinuit, hoc eſt inſtar materiæ ſe geſſit. Vndè D. Sennertus lib. 5. Inſtit. p. 1. cap. 2. ait, vivens Rhabarbarum non purgare ſed cadaver Rhabarbari, item radicem Pæoniæ exanimē mederi epilepſiæ. Ex quibus omnibus liquet, hanç formam ſubdititiam, tum demum generare occultas qualitates in ſubjecto ſuo, cum recedit ſpecifica, quæ eſt anima. Et ſic ſaltem in animatarum rerum cadaveribuş, eas reperiri, & exindè educi balſamos, & quintas eſſentias iiſdem donatas. quâ ratione in vivo corpore animantium non queat dari occulta qualitas, & nec conſequenter ſanitas vel morbus occultæ qualitatis. Loquitur verò ibi D. Sennertus de occultis qualitatibus omnium animatorum, quotquot Calido innato conſtant, in quo tanquam ſubjecto eas ineſſe & produci ſtatuit. Huc enim relegat nos à cap. 5. lib. 1. Inſtit. ubi de Caldo innato agit, ſeque hic traditurum promittit; quomodo à Calido innato rerum animatarum operationes nobiliores proficiſcantur, quæ elementorum conditionem excedant. Has verò hic docet fieri à Calido innato, quatenus in illo generentur occultæ qualitates, non à forma ſpecifica, ſed ſubdititia.

LXXXV. Verum ut ut hoc ſit, neque hoc magni facimus, ego antea demonſtravi animam, & formam ſpecificam, non generare formam ſubdititiam per quam inſit, & per quam immediatè generentur qualitates occultæ & proprietates formales, quia

vetus

à forma ſubdititiâ & non ſpecificâ, ſed à ſpecificâ in materia elementari.

LXXXVII. Hæ cùm & ſequantur animam, & pendeant ubicunque à forma ſpecifica, ut proprietates & accidentia formalia, qualitas vero & diſpoſitio in qua conſiſtit ſanitas, neceſſariò præcedit animam, quia ſine illa ceu diſpoſitione materiæ neceſſariâ, anima nec educi vel induci, nec ineſſe, nec immanere, nec ſervari, neque operari poſſet; ſanitas in occultis qualitatibus nulla dari poteſt: Deinde in illa diſpoſitione eſt ſanitas, quæ omnium actionum naturalium, vitalium, animaliumque in animali cauſa eſt. Atqui illa eſt temperies calida & humida, quæ dicente D. Sennerto libro primo Inſtitutionum capite 4. folio mihi 23, naturæ humanæ eſt convenientiſſima, & omnibus edendis actionibus aptiſſima. Deinde libro 2. p. 1. capite 3. idem inquit: cum mors ad frigidum & ſiccum perducat, certè vita ut illi contraria, in caliditate & humiditate conſiſtet; illaque temperies erit ſaluberrima in qua conſiſtit vita, videlicet calida & humida. Ergo in illa temperie etiam erit ſanitas, & in cådem poſteà ubi à ſymmetria recedat, morbus; eâque ad interitum eunte, mors.

In illis enim qualitatibus conſiſtit vita & ſanitas, quæ ſubjectum formæ ſic diſponunt, in iſta diſpoſitione & temperie conſervant, ut commodè in illa manere anima & forma debitéque obhæreſcere poſſit, quarumque diſpoſitio ſit proximum animæ ad actiones vitæ conſervandæ neceſſarias instrumentum. Hac diſpoſitione læsâ actiones læduntur & ſanitas perit, adeò verò

corruptâ, ut nec amplius actiones ullas ſeu læſas ſeu illæſas edere poſſit, ſubjectique pro ſuſtinenda forma aptitudo intereat, non ſolum ſanitas perit, ſed vita cum morte commutatur.

LXXXVIII. Tales verò qualitates non ſunt occultæ, ut per earum diſpoſitionem & operam forma ſervetur in ſubjecto, & actiones ad vitæ conſervationem neceſſariæ edantur. Nec enim, uti dictum, formæ ortum vel ingreſſum in materiâ ut diſpoſitio materiæ ad capeſcendum formam præcedunt, neque ſimilarium ſanitas in illo conſiſtit, quod quiſquam occultâ proprietate oderit mures, feles, & talia animalia; vel quod homo alius certum aliquod hominis individuum ſine cauſa odio proſequatur, cujus rei exempla obſervavimus, videlicet viſos eſſe, qui ſe mutuò odio proſequerentur, ſine ulla causâ manifeſtâ, imò inter quos nec unquam ſermo commutatus, nec familiaritas, nec notitia ulla interceſſerit. Vnde Martialis:

Non amo te, Voluſi, non poſſum dicere quarè:
Hoc tantum poſſum dicere, non amo te.

Nec ille morbo detinetur, qui ex occultâ qualitate feles, mureſvè maxime oderit, nec is ſanitate fruetur majore, qui ex occultâ qualitate hæc animalcula impendiò amarit, cujus rei exempla etiam obvia ſunt, quod inveniantur nonnulli qui æquè perditè ejuſmodi animalia amant, quam qui eadem maximè averſentur & oderint. Hæc qualitas ſi inſit in homine, ſimilarium partium ſanitatem nec labefactat, nec auget, neque conſtituit. Etſi in his ac ſimilibus qualitatibus, quorum innumeræ ſunt, ſimilarium

milatium conſiſteret ſanitas, eos qui iis careant, eſſe non ſanos oporteret affirmare. Et ſic præter ſimilarium temperiem, in quâ ſanitas conſiſtit, innumeræ requirerentur occultæ qualitates, in quibus earum ſanitas ponenda foret. Oporteret enim eſſe tot peculiares qualitates, quæ à tot venenis ſpecificè diverſis læderentur, cum omnis actio ſit à contrariis unius generis, juxta D. Sennertum. Oporteret tot eſſe qualitates adverſas & occultas, quæ à felibus, muribus, ſerpentibus læſæ morbos inducerent; quæ niſi ineſſent, nec venena, nec mures, nec feles, vi iſtius regulæ, in nos agere nec ſanitatem, nec vitam, ſubſtantiamque noſtram conſequenter perdere poſſent. Sed cum videant ſalvo Calido innato, vel potius temperie calida & humida, in qua vita & ſanitas conſiſtit, ſanitatem vitamque non perire, venena ſuis occultis qualitatibus in Calidum innatum ultrò fatentur directe & primò agere. Cum vero calidum ſit illis ſubſtantia, nobis vero id in quo vita & ſanitas conſiſtit, temperies calida & humida, in hac ſubſtantia proximè conſiſtens, & utraque elementaris conditionis, ſequitur quod venenorum occultæ qualitates, cæteræque recte & directè agant in temperiem calidam & humidam.

LXXXIX. Sed & ex eorum regulâ, Actiones ſunt contrariorum unius generis, non poteſt probari, quod neceſſariò ideò dentur occultæ qualitates in corpore, quod hæ in noſtrum corpus agentes, vitam ſanitatemque depeculentur. Qua enim vi agunt in Calidum innatum ut eſt ſubſtantia toto genere differens ab occultis veneni qualitatibus, eâ-

nena & res occultâ qualitate nos corrumpentes, ad morborum cauſas à Medicis hactenus relata ſunt, ſuntque veræ morborum cauſæ, nec in illis, ſive in corpore ſint, ſive extrà; ſive ibidem generentur, ſive extus advolent, ulla datur ſanitas vel morbus.

XCI. Proinde venena & occultæ qualitates, ſeu intus nata, ſeu extrinſecus advenientia, tunc inducunt morbos, cum iſtam diſpoſitionem & temperiem ſimilarium manifeſtam labefactant, in quâ vita & ſanitas conſiſtit. Vnde ex viſo ſerpente, aut mure, aut præſentia felis, non oritur ſyncope, niſi fiat diſgregatio ſpirituum, eorumque ad cor ſubitaneus ex defectu concurſus, ex quo præceps virium lapſus.

Non autem oritur iſta ſyncope, quod ex viſo mure & præſentiâ felis offendatur occulta aliqua qualitas, in qua conſiſtat iſta virium potentia, quæ per præcipitem defectum ſpirituum influentium læditur, ſed quod occulta qualitas iſtum defectum ſpirituum cauſetur, vnde præceps virium lapſus oritur. Quæcunque cauſæ hunc defectum ſpirituum celeriter efficere poſſunt, illæ & ſyncopen vel lipothymiam cauſari queunt, ſeu ſint occultæ, ſeu manifeſtæ.

Ita pavor ex viſo ſerpente, conſternatio ex re adverſa inopinatò accidente, gaudium immodicum & inſolitum, ſingulares cum ſingularibus naturis antipathiæ, ſpiritus hos aut confertim & ἀθρόως, intrò confugere cauſantes, aut

quod ſe nimium diffundant, facientes, ſyncopen inducunt, &c.

XCII. Venena & occultas qualitates poſſe generare morbos, certum eſt: ſed inde non ſequitur morbum eſſe in occultis qualitatibus aut venenis; quarè morbus ille dicitur venenatus & occultæ qualitatis, quæ à veneno & occultis qualitatibus impreſſus, & generatus eſt in corpore noſtro, non quod ibi ſint omni veneno directè contraria innumerabilia qualitatum occultarum genera, vel occultæ qualitates innumeræ, in quibus peculiares conſiſtant & innumeræ ſanitates; ſed quod iſtam temperiem ſimilarium, quæ in calido & humido, uti ſunt partes viventes, eis competente, fundatur, afficiant omneſque pro ſuæ naturæ efficaciâ lædant.

XCIII. Etſi re adeò evidenter demonſtratâ, ſupervacaneum eſſet ad latratus Ganymedis reliquos aliquid reponere, tamen ut ejus impoſtura mentiendique livor, magis ob oculos ponatur lectori; ad cætera quæ ibidem ſuperſunt, pro re nata reſpondebo. Verba ejus ſunt talia: Adverſarius ſeipſum non intelligit, quia ait occultas qualitates veneni, Rhabarbari &c. facere ad ſanitatem hominis. Vide lector impudentiam; quis hoc ex theſibus meis exſculpet, quod ille Ganymedes per calumniam affingere non erubeſcit. Argumentum meum eſt à ſimili. Vti enim vis tractionis magneticæ, & vis purgans in Rhabarbaro, trepidatio leonis ad cantum Galli, odium muris in Elephante ut qualitates occultæ, in inanimatis ſubſtantiam non conſervant; in animatis verò, nec ad vitam

vel

vel incolumitatem eorum conſervandam faciunt; ita quoque occultæ qualitates in homine, nec ſanitatem conſervant, nec conſtituunt &c.

XCIII. Deinde ait me velle probare, quod conſervationes & operationes veneni & Rhabarbari, non ſint à qualitatibus occultis, quia ab integritate temperiei dependeant. Sed iterum mentitur Cain: Non enim nego qualitates occultas eſſe cauſas operationum veneni & Rhabarbari, ſed quod eorum ſubſtantia ab occultis qualitatibus conſervetur, illud negavi. Meæ aſſertionis probatio talis eſt: Illarum qualitatum, quæ vitam & integritatem ſubſtantiæ in animali conſervare nata ſunt, actiones debent eſſe continuæ & indeſinentes, ſine ulla interruptione; ita actio vitalis ſi ceſſet, ceſſat vita, & nutritio ſemper eſt in actu ſecundo: proinde ſi vita & integritas rei penderet ab occulta qualitate, neceſſum eſſet earum actiones, quibus id perficiant, non ſuſpendi; atqui ſuſpendi poſſunt, ſine rei in quâ inſunt corruptione, Ergo vita & integritas & ſanitas, non eſt in illis qualitatibus occultis. Addidi rationem in theſibus, videlicet in theſi 23. quod actio vitalis & conſervatio miſti, à caloris inceſſabili miniſterio dependens, re ſalva nequaquam ſuſpendi poſſunt: ſiquidem non operante calore vitali, vita protenus ceſſaret, deſinente calore miſti unionem humidi cum ſicco conſervare, continuò periret miſtum. Quid hic reſpondet Ganymedes? ait non omnes qualitatum occultarum actiones eſſe vitales, id ſe cum D. Sennerto ultrò concedere. Sed hoc non eſt ad rem reſpondere; e-

XCIV. Tandem, tandem, coactus, compulſus poſt tot calumnias & mendacia, ſarcaſmos & cavillationes fruſtrà effuſas, veritati locum permittit, & ad argumentum meum quo infero neceſſariò occultas venenorum qualitates agere in calorem nativum, ſi vitam & ſanitatem affligere debeant, non in alias qualitates occultas, quia ſalvo calore nativo res incolumis ſalva & vitalis exſiſtit, reſpondet, utique calidum nativum ſalvum non manere, *quia directè venenum ad Calidum innatum tendit*. Quod explicatius affirmat quæſtione ſeptima, exceptione ſeptima, reſponſione quinta: ubi inquit, quod D. Sennertus ſæpiſſimè inculcet, *venena primò adoriri & deſtruere Calidum innatum; quod ſi ita eſt uti omnino eſt, venenumque rectè & directè agit in Calidum innatum, & hoc ipſo vitam & ſanitatem corrumpit, non agit in alias qualitates occultas ſibi directè contrarias, in qua vita & ſanitas conſiſtat; & ſic collabitur totum fundamentum, corruit vitrea columna Sennertianæ probationis, qua demonſtrare volebat, dari morbos in occultis qualitatibus, qui in novâ iſtâ ſectâ debeant nominari morbi ſubſtantiæ, etſi ſint in qualitatibus. Corruit inquam tota iſta columna, hoc fundamento nixa, quod omnes actiones ſint inter contraria ejuſdem generis: ſiquidem hæc actio occultæ qualitatis in veneno non agit in occultam corporis qualitatem, ſed in calidum nativum, quod ipſis eſt ſubſtantia & pars ſubſtantialis materiæ corporis non qualitas, non occulta qualitas; ipſorum etiam teſtimonio ſuprà allegato. Qua de re ſuperius uberius.*

XCV. Secunda ratio quam addit & inutilis & falſa & ipſi contraria eſt; quæ eſt, quod mutatis

cæteris qualitatibus, utpote calore in particulis igneis conſiſtente, ſalvum permanere nequit Calidum innatum, quia particulis igneis ſit miſtum; unde ſequitur venenum ejuſque occultas qualitates agere in manifeſtas, quibus everſis ſimul corruit Calidum innatum. Atque ſic illi contraria eſt hæc opinio, & quid garriat neſcit. Secundò monſtroſæ falſitatis eſt illa ratio; non enim quæ toto genere diſſident, uti illis Calidum innatum, à calore elementari differt, quæque in ſe nec agere nec pati poſſunt, aut quarum eſſentia ſic comparata eſt, ut ejus integritas ab alterius integritate, vel ſecundũ eſſe ab eo non dependent, vel ſic compoſita ſunt ut vinculo inſtitutionis ſe multuò conſervent, illa ad alterius occaſum nõ pereunt. Calidũ enim innatum, quod dicente Ganymede, nihil plus cognationis habet cum calore elementari, quam anima cum eodem habeat, in quo eſt calor elementaris, quia per ipſius ſubſtantiam diſperſi ſunt atomi & particulæ igneæ, his ſublatis perire neceſſe non habet. Neque enim à calore elementari, nec ab igneis particulis per ſubſtantiã ejus, uti inquit, diſperſis, Calidi innati ſubſtantia conſervatur, vel conſervari poteſt; quocircà his vel ablatis vel exſtinctis ipſa non interit. Eſt itaque ratio ſæpe iterata à Ganymede barbarum impudenſque novæ Medicinę & Philoſophiæ commentum.

XCVI. Demum, quod poſtremò adjicit, calorem non generare neque eſſe viventium entelechiam, mera eſt ſubſannatio. Quis enim calorem aliter generare dicit, quam quatenus animæ eſt inſtrumentum, quo anima vivificat, generat, & coquit?

coquit? & hoc ſenſu omnibus Philoſophis & Medicis antiquæ veritatis Profeſſoribus dicitur calor generare. Quod negat calorem eſſe entelechiam viventium, me non tangit, neque enim dixi quod ſit entelechia, ſed ſcurriliter & turpiter, novoque mendacio id mihi affingit; verba mea in theſi vigeſimatertia ſic habent: *ſalvo calore nativo qui eſt quaſi viventium entelechia, rem eſſe ſalvam & vitalem.* An ex hoc quiſquam, bonæ mentis compos concludere poſſit me dicere calorem eſſe entelechiam viventium? Nunquid & clariſſimi Medici & Philoſophi, quibus iſte veterator indignus ſit corrigiam ſolvere, ſic locuti ſunt? Vide in Epiſtolis à Scholtzio collectis 115. verba Cratonis. vide in iiſdem aliorum. Turpiſſima verò contumelia eſt, quod ex hoc falsò allegato loco & mendacio, per diſcurſum totius libri, non erubeſcat multoties, ubi Calidi innati mentionem facit, effutire & audacter mentiri me dicere & ſtatuere, Calidum innatum eſſe formam. Ejuſmodi mendacia, quæ & diſciplinis melioribus cum intentant, & bonorum honori detrahant, ſcutica ſunt digna.

Tibi Deo uni trinuni ſit gloria & honor, quod complures adhuc ſervas & conſervas, qui diſciplinarum liberalium, quæ tua ſunt ingentia dona, veritatem, vindicare, & ſacrarum literarum (in quas ad ſubſidium ſuæ novæ ſectæ condendæ novatores moliuntur cuniculos, dum beſtialium animarum incorruptibilitatem introducunt, atomos reducunt, palingeneſiam naturæ poſſibilem eſſe, & formas rerum fieri ex nihilo, docent) puritatem tueri

tueri non deſinunt, & ſancto tuo Spiritu acti defendere non intermittent.

Tibi gloria & benedictio; in omnia ſecula ſeculorum.

CORO-

COROLLARIA

Quibus ad incudem revocantur fabulæ de Gallinis auro, hominibus veneno nutritis, & de quintis eſſentiis agitur.

CVm fabulam de Gallinis auro & argento nutritis & ex hoc inauratis & in aurum intus pene converſis à D. Senn. pro ſuæ ſectę principiis ſtabiliendis productam in præfatione ad lectorem lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſen. anno. 1619. editi, refutarem, duo æternæ veritatis immobilia principia oppoſui: Primum eſt, *quod nihil nutriat*: hoc eſt nil verè ultimum nutrimentum fiat, *niſi quod fuerit animatum vel ab animato genitum aut profectum, quodque demum tres in animali perfectiore concoctiones non pertranſeat.* Quo ipſo demonſtrare volui, nec pura elementa neque corpora miſta & elementis nata, niſi vel animata fuiſſent, vel ab animalis corporibus profecta, ſic affecta & diſpoſita ſint, ut alibilem vim & rationem acquiſiverint, nunquam nutrimenta noſtri corporis fieri poſſe. Proinde miſta ſunt in duplici differentia: alia quæ nec animata fuerunt nec ut talia animari poſſunt, qualia ſunt lapides, metalla & quæ ſunt ejus generis: alia quæ vel animata fuerunt; ut carnes animalium, vel in animatis genita vel ab iiſdem profecta, qualia ſunt lac, ſanguis, fructus horarii, fruges, & ſimilia.

2. Hoc axioma læto pectore accipit Ganymedes Sennert. tract. de Calido innato adverſus me edito, fol. 112. cujus veritatem cum agnoſcit, merito deteſtari

teſtari debet falſitatem commenti & fabulæ ibidem aſſertę de Gallinisauro vel argento nutritis: & quod animalia lapides & metalla digerere, concoquere & in nutrimentum vertere poſſint. Ad actionem debite perficiendam requiritur facultas & objectum: ut calor non eſt objectum auditus, ita concoctricis facultatis objectum non ſunt lapides, & metalla, & mineralia; ſed quæ ex vegetabilium familiâ ſunt profecta: neque ſufficit è vegetabilibus eſſe orta, niſi ſint accommodata & proportionata, quoad quantitatem & qualitatem: quæ enim natura univerſali non maturuerunt ad coctionem recipiendam, vel arte præparata ſunt ut carnes piſceſque crudi, frumenta in cibaria arte reducta, ea ne quidem à naturâ recte ſuperari, & in alibilem ſuccum verti poſſunt: Quæcunque nullam per præparationem externæ coctionis igne factæ & arte recipiunt alterationem & diſpoſitionem ut à naturali calore vincantur, impoſſibile eſt, imò ne per medios ignes liquata, fuſa, & decies refuſa ad alimentarem rationem ullam acquirunt aliam, quam habent, diſpoſitionem, quæ ſane nunquam fient alimentaria: nullum proinde metallicum & lapideum, quod externam omnem reſpuit concoctionem vel præparationem (elixes, torreas, friges & coquas metalla & recoquas, ferrum, aurum, argentum, manent qualia erant) à naturâ noſtrâ ſubigi poteſt, aut à Calido innato ſuperari, quia ſunt objecta non tantum improportionata, ſed toto genere aliena. Neque etiam vinci ab occultis qualitatibus poſſunt, ut videtur velle Ganymedes tractatu de Cal. innatô fol. 112. vbi, cum ſic ſtatuat, ſibi iterum ſuo more contradicit,

tradicit,

tradicit, quia coctionem non ab occultis qualitatibus fieri ipſemet aſſerit in tractat. De morb. ſubſt. Quæſt. 6. Except. 1. Reſp. 5.

3. *Deinde nihil niſi quod vegetabile eſt vel vegetabile vi naturæ noſtra fieri queat nutrimenti rationem unquam capeſſere poteſt.* Stat igitur æternumque vera manet hæc regula, *Quod nihil nutriat, hoc eſt actu nutrimentum aut nutrimentum ultimum fieri poſſit, quin fuerit animatum vel ab animato profectum.* Hanc regulam probat D. Sennertus cum Ganymede ſuo: falſum itaque eſt aurum & metalla nutrire vel in nutrimentum converti, & fabulamentum eſt quod de Gallinis auro argentoque nutritis credidit & perſuaderi ſibi paſſus eſt, & literis prodidit D. Sennertus.

4. Sed hoc Canone à me prolato dum impudenter, turpiter ſcurriliterque &(non dicam vel credam) ruditer abutitur, neſcio quid monſtroſæ texat conſequentiæ: ſic enim barde & barbare argumentatur in tract. de Calid. inn. fol. 112. Nihil nutrit niſi quod animatum vel ab animato genitum. Terra nutrit. Ergo terra eſt animata vel ab animato genita. Propoſitionem ambabus manibus amplectitur: aſſumptionem ex Moſe probatam ſcurriliter irridet, verba mea ex Moſe prolata recitat, qualia extant Gen. 2. & 3. capite: Formavit Deus hominem pulverem è terra: Et reverteris in terram, de qua ſumptus es, quia pulvis es & in pulverem reverteris. Ex quo ait me ſic colligere: E quo homines fiunt, ex eo etiam nutriuntur. Hic ſubjicit Ganymedes Sperlinger. Syllogiſmum hunc ſi puer formaſſet, terra aut ſemine cibandus foret. Et concludit

Freita-

Freitagium terram facere animatam vel ab animato ſatam. Et porrò idem Ganymedes pergit ſic garriendo calumniari: Nihil nutrit niſi quod animatum aut ab animato genitum. Elementa nutriunt. Ergo elementa animata aut ab animato genita ſunt. Minorem probat, quod dicam, quemadmodum animalia ex elementis à Deo ſint, ita elementa fiant eorum alimenta. Verum ut impudentiam malitioſiſſimi ſcurræ cuilibet ob oculos ponamus, pro re nata reſpondebimus, etſi reſponſione viri boni indignus ſit.

5. Me terram & elementa immediate dixiſſe eſſe alimenta, & terram ut eſt terra cæteraque elementa, ſeu ſincera ſeu ſimpliciter mixta, eſſe alimenta proxima, & uti talia ſunt ſincera, nutrire, ſcurriliter & impudenter calumniatur & mentitur Ganymedes Sperlingerus; poſtquam enim ex textu citato protuleram *verba Moſis: Formaverat hominem pulverem ex terra & pulvis es & in pulverem reverteris*; ſubjunxi diſertè clara hæc verba: *Quocirca infallibili ratione concludimus, tale oportere ſecundum ſubſtantiæ originem eſſe nutriens quale ſit nutritum: eſt enim nutriens id potentia ſeu proxima ſeu remotiore quod actu eſt nutritum*: hæc ſunt verba theſis meæ 45. ex quâ iſtas texuit improbus ſubſannator calumnias. Dixi primò, nutriens ſeu alimenti ſecundum ſubſtantiæ originem, ex elementis debere conſtare: non ipſa immediate elementa terram pulveremque nutrire. Secundo, diſtinxi inter alimenta quæ talia ſunt potentia proxima, vel remota: Potentia remota elemẽta rectè vocantur nutrimẽta: qua ratione etiã Moſes hominem

hominem dixit eſſe pulverem: quia hæc ex iiſdem fluunt & generantur: ſunt enim elementa cauſa materialis tam animantium ſecundum corpus & animam (excepto homine) quàm nutrimenta: Sunt verò materia non proxima, ſed remotior: ut enim ex iis fiunt animalia, primò oportet fieri ex iis miſta, ex his cibos, ſanguinem, ſemina, unde generantur animalia: Pari ratione non fiunt immediate ex elementis animalia, niſi eaſdem mutationes ſubeant: verè tamen dici poſſunt alimẽta in potentia remota, & tam vere de terra hoc pacto prædicari poteſt quod ſit alimentum, quam quod de pulvere dicit Moſes quod ſit homo. Et qua ratione homo dicitur pulvis, eâ ratione terra rectè & verè dicitur nutrimentum, quia nutriens & nutritum ſecundum ſubſtantiæ originem eandem participant materiam, & ejuſdem ſunt naturæ: debet enim id potentia eſſe nutriens quod eſt actu nutritũ. Huc quadrat Hippocratis Canon, qui dicit *aliud eſſe futurum alimentum, aliud quaſi alimentum, & aliud re ipſa & vere alimentum.* Futurum alimentum eſt materia quaſi alimenti: Quaſi alimentum eſt materia proximi & veri alimẽnti: illud potentia remotiore, hoc propiore & proxima eſt nutrimentum. Elementa uti ſunt remotior materia corporis humani, ita etiam remotior materia alimenti: Et quemadmodum homo dicitur pulvis, quia primordia materiæ corporis ſunt pulvis & elementa, licet corpus humanum conſtet immediate ex partibus ſimilaribus & diſſimilaribus, carne, venis, nervis, membranis, oſſibus, &c. Et hæc ex ſemine, ſemen ex ſanguine, ſanguis ex cibis, cibi ex elementis, ita & terra & elementa dicuntur &

ſunt alimenta, licet non fiant actu & vere alimenta niſi ex iis generentur miſta, & animata, aut in animatis ſic diſpoſita vel affecta ut poſſint dextre comparata à natura & calore noſtro nativo in chylum, chymum, ſanguinem & alimentarios proxime humores verti. Vnde ſequitur, nihil vere & proximè fieri nutrimentum niſi quod fuerit animatum vel ab animato profectum, quodque tres coctiones non pertranſeat, in quibus omnibus ſubſtantialiter oportet fuiſſe mutatum: habet enim ſuam ſanguis cæterique humores formam, teſte Sennerto, ſubſtantialem. Hinc patet Elementa & terram verè dici poſſe alimenta, juxta diſtinctionem Hippocratis, qua alimentum illud dicitur, quod eſt futurum alimentum ſeu materia remotior alimenti. Cibos verò eſſe & hinc natum Chylum Chymumque quaſi alimentum, &c.

6. Ex quibus omnibus liquet ſcurrilis rabies & calumniandi libido quæ eſt in Ganymede Sennertiano. Qui enim hominem vocat pulverem cum Moſe, & terram ait eſſe alimentum ejuſdem, ille non ſtatim dicit hominem actu ipſo eſſe pulverem, & pulvere limoque nihil mutatis hominem adhuc eſſe pulverem; & qui inquit terram & elementa eſſe alimentum, non dicit eſſe actu ſed potentia remotiore tale. Vnde non ſequitur quod is qui aſſeverat terram eſſe nutrimentum, eam qualis eſt nutrire; ſed ideo dicere nutrimentum, quia ſit materia nutrimenti; Et rectè hic materia pro materiato nominatur. Scurrilis itaque calumnia eſt aſſuere Freitagio, quod ſcribat terram ut terra eſt nutrire: Et quia nihil verè & ultimum nutri-

nutrimentum fuerit, niſi quod animatum ſit vel ab animato profectum, ex hoc concludere, terram & mixta quatenus miſta ab animato genita eſſe, quia vocentur nutrimenta. Hic æſtima, lector benigne, rabiem cavillandi, quodque ſe talem in omnibus iſtis quę adverſus me, duce & inſtigatore D. Sennerto, abortivis ſcriptis præbuerit diſputatorem, qualis hic eſt, videlicet rabioſa & fraudulenta calumniandi libidine turgidum: miror D. Sennertum eo deveniſſe impietatis ut tales pro ſe ſcriptores recipiat. Sed hæ ſunt deſperatæ malitiæ & cauſſæ peſſumeuntis extremi conatus.

7. Vidimus itaque metalla non nutrire, nec materiam nutrimenti ſuggerere poſſe, quod probavimus canone ab adverſariis novatoribus recepto & approbato. *Quod nihil nutriat actu, vel actu fieri nutrimentum, niſi quod fuerit animatum vel ab animato genitum, quodque tres concoctiones ordine non pertranſierit.* Alterum argumentum quo probavi gallinas auro non nutriri, ut fiant aureæ, ex natura nutritionis eſt deſumptum: *nutritio eſt nutrimenti in ſubſtantiam nutriti converſio. Nutrimentum itaque, ut fiat nutritio, debet converti in ſubſtantiam nutriti: nutriens non debet convertere nutritum in ſuam ſubſtantiam, ſed nutritum debet vertere nutrimentum, ſi vera debeat eſſe nutritio, prorſus in ſuam naturam.* Vt ex ſanguine fiant oſſa, venę, carnes, ſanguis non debet manere ſanguis ſed plane in ſubſtantiam rerum nutriendarum verti: ſi itaque auro nutritæ ſunt gallinæ, intus aureæ apparere non poſſunt, debet enim aurum deſinere eſſe aurum, & fieri caro, os & ſubſtantia gallinæ, ſi vero aurum non eſt converſum in ſubſtantiam ſed manſit aurum, &

intus inauravit gallinam, ſane nec in nutrimentum gallinæ, nec in ſubſtantiam ejus verſum eſt. Quo ipſo gallinæ auro paſta aſſeritur intus inaurata, eo convincitur, nec aurum à gallina ſubactũ, nec gallinam auro nutritam eſſe. Et ſi verũ eſſet, auri foliis paſtas gallinas intus aureo tinctas ſplendore, neceſſum foret idem iis accidere quod ſchyphis, aliiſque rebus quæ auro bracteato obducuntur. Nutritio verò non eſt nutrimenti non mutati appoſitio, ſed mutati in ſubſtantiam nutriti converſio.

8. Sed prodit novus Ganymedes (ganeonem penè dixiſſem) vel PhormioDavuſvę Sennertianus qui ſe Wincklerum nominat, novamquē ſed rubiginoſam argumentorum aciem ſibi à ſuo præceptore Sennerto ſubminiſtratam (nihil enim iſte homo, ut intelligo, niſi quod fruſtulatim ipſi à D. Sennerto ſubmiſſum ſit, vel ſcribit vel ſcribere audet, vel poteſt) producit Tractat. de opio, fol. 73. & 74. primum hoc eſt: Quod, licet Freitagius dicat auri, ſi nutriat, nec auream ſubſtantiam, nec aureum colorem manere poſſe, non ſtatim dicenti ſit habenda fides, quod nutrimentum etiam evictum communicet ſuas qualitates & interdum etiam colores; rem probat exemplo Suum glandibus paſtarum, quibus nigricent inteſtina ob glandes comeſtas. Et vaccarum Sileſiacarum rubia nutritarum, quorum butyrum, oſſa & carnes exindè rubicent. His ſubdit, cur non argento viridem tincturam elicere poſſit gallinarum ventriculus?

9. Verum rudis iſte Dom. & quiſquis iſtius argumenti auctor eſt, primo conſiderare debebat argumenti, quo concluditur à rebus vegetabilibus ad metallica

metallica nullam eſſe conſequentiam; non enim ut vegetabilia aliqua nutriunt, (ſiquidem omne nutrimentum eſt ex vegetabilium claſſe) ita etiam metalla nutriunt: prius enim probandum erat, metalla nutrire, quam, per nutritionem, quod in animato per naturam fieri nequit, ſuam corpori animalium imprimere qualitatem. *Ipſe verò Sennertus per Ganymedem ſuum jam recepit id quod nihil nutrit, niſi quod animatum vel ab animato genitum ſit, adeoque vegetabile ſit.* Exemplum Suum quod producit ipſi novo Phormioni valde contrarium eſt: Glandium enim apud nos in Weſtphalia, ſubſtantia recentior intus candet & vetuſtiorum flavet, unde vel albicare vel flaveſcere oporteret inteſtina porcorum, non nigreſcere. Tertio, quod ait Wincklerus juxta Wendelerum ventriculum gallinarum ſalva nutritionis lege extrahere viridem tincturam ex argento, id Wendlerus ſic deſcribit, quod ventriculus Gallinæ aſſuetus per ſextiduum argenti eſui, id arripiat & in quintam ſuam eſſentiam convertat, melius quam Chymicus aliquis; ſenſus verborũ alius eſſe nequit, quam quod in ſubſtantiam ventriculi, argento nutriti, vertatur argentum, quod ex colore & viriditate argentea ei inducta vult demonſtrare Wincklerus. Atque non ſolum eduxit colorem ventriculus, & ſibi induxit, verum etiam in quintam ſuam eſſentiam ſeu ſubſtantiam convertit; atqui aurum poſſe verti in chylum, chymum, ſanguinem, carnem adeoque in ſubſtantiam noſtram, & ſervare lucentem ſuum colorem aureum, ſub forma chyli, chymi, ſanguinis, carnis, oſſium, nervorum, adeoq; aurei coloris prodire chylum, chymum, ſanguinem, oſſa & carnes,

vetularum fide, non Philoſophorum aſſertione dignum eſt fabulamentum: aureus color à forma auri immediate dependens cum auro ejuſque ſubſtantia naſcitur & perit. Propria pereunt cum ſubjecto, nec transferuntur niſi cum ſubjecto uti eſt D. Sen. Sententia lib. 5. inſtitut. c. 2.

10. Verum hæc Winckleri explicatio, ſalva nutritione, auri vel argenti colorem manere in ventriculo iqui auri tincturam extraxerit, & applicarit, hiſtoriæ mentique Wenckleri plane adverſatur, & cum regulis Phyſices apertè pugnat. Ait enim gallinam auro paſtam has lineas purè aureas habuiſſe in pectore, nihil purè aureum eſt cujus ſubſtantia non ſit aurea; nihil ſine auri ſubſtantia inaurari aut auratum, multo minus pure aureum dari poteſt. Deinde peccat hæc explicatio contra canones & principia. Ventriculus ejuſque ſubſtantia non nutritur nutrimento in ventriculo genito, nec in ſuam ſubſtantiam convertit id quod concoxit, & ſubegit concoctione illa quæ prima dicitur, ſed alitur nutrimento, idque in ſuam eſſentiam convertit., quod tres concoctiones pertranſiit. Nutritur enim ſanguine ſibi per concoctionem tertiam aſſimilato, quæ concoctio à nutritione nihil differt. In animantibus enim ſanguine præditis triplex eſt naturalium facultatum ſeries, & concoctionum ſibi mutuo ſuccedentium tres gradus: prima dicitur χύλωσις & in ventriculo perficitur, altera αἱμάτωσις in epate, & tertia in ſingulis partibus, à nutritione nihil differens. *Et ut vitia prioris concoctionis non emendantur per ſequentes, ita nihil rectè nutrit quod has tres non pertranſierit.*

rit. Proinde vel barbariem, vel ruditatem ſubolet, dicere ventriculum in ſuam eſſentiam convertere aurum vel argentum, ideoque aureo vel argenteo colore in gallinis tingi, idque per nutritionem, cum nihil nutriat niſi quod tres concoctiones pertranſeat.

10. Quod porrò objicit manere in corpore qualitates ab alimentis, id ab iis non quatenus alimenta ſunt, ſed quatenus aliquid medicamentoſi habent, perficitur. Neque illud quod à corpore noſtro alteratur & ex hoc qualitatis ſuæ characterem imprimit, nutrimentum eſt vel ſignum nutritionis. Tantum enim abeſt ut nutritionē & in ſubſtantiam mutationem qualitas ſuperſtes ſignificet, ut potius mancam vel nullam nutritionem factam eſſe indicio ſit. *Siquidem nutrimentum ut verè nutriat ſecundum ſubſtantiam & qualitates corpori nutrito aſſimilari debet.* Talis enim aſſimilatio eſt vera nutritio. Nullum vero nutrimentum quod colorem ſuum ſervat in nutrito verè & rectè in ſubſtantiam nutriti converſum eſt, quod apparet in cachecticis, ictericis, leucophlegmaticis, ſcabioſis, elephantiacis: ut enim quippiam vere nutriat tres pertranſire concoctiones debet. in prima aſſumere formam chyli, in ſecunda ſanguinis, ſub illa albicare, ſub hac rubicare (aurei & argēti coloris chylus & ſanguis nō datur) in tertia concoctione ut aſſumat formam partis nutriendæ, debet apponi, agglutinari & demum perfectè aſſimilari. Vbicunque ſervatur color nutrimenti in re nutrita ibi vel nullam, vel pravam nutritionē factam eſſe manifeſtū eſt; in anaſarca & ictero humoris appoſitio fit, ſed nulla agglutinatio, in leucophlegmatia, elephan-

tiaſi, ſcabie aliiſque ex cacotrophia dependentibus affectibus fit agglutinatio, ſed prava & imperfecta aſſimilatio: hinc pravus ille color his affectibus detentorum: unde cum qualitas & ſubſtantia nutrimenti ita vincit nutritum, ut inducat ſuas qualitates, ſuamque naturam, indicio eſt nutrimentum non verti in ſubſtantiam nutriti, ſed nutritum verti & corrumpi in naturam nutrimenti, quod eſt contra naturam animantis nutriti.

11. Illud itaque vere nutrimentum eſt Galeno libro tertio de temperamentis, quod ſecundum qualitates & ſubſtantiam aſſimilatur nutrito corpori. Quatenus autem interea dum ſubigitur alimentum, qualitate aliqua evidenti in naturam noſtram agit eamque alterat, eatenus non alimenti ſed medicamenti rationem habet, diciturque alimentum medicamentoſum. Si enim quippiam ita naturam alterat ut qualitatem ſuam corpori imprimat, eatenus non alimenti ſed medicamenti naturam habet. Non itaque ex eo ſequitur quod id quod aliquam qualitatem impreſſerit naturę id in ſubſtantiam ejus verſum eſſe; ſed potius deducitur, id quod qualitates ſuas maximè imprimat corpori aut ſervet, vel minus vel parum vel pravè nutriat: neque alterationis vel qualitatis impreſſio, tam nutrimenti mutati ſignum, quam medicamentoſi effectus nota eſt. Vnde ab alteratione ex qualitate inducta concludere de converſione aſſumpti in ſubſtantiam aſſumentis vanum eſt. Quia alterare & corrumpere ſubſtantiam eſt medicamentorum & venenorum.

12. Altera Winckleri ratio qua adverſum me inſurgit, non refutationem ſed ferulam meretur. Reſpondet

ſpondet enim ad hoc quod dicam nihil nutrire niſi quod animatum aut ab animato, ſe concedere de nutrimento abſolute ita dicto: alioquin ſe ſcire cum nutrimento ſæpiſſime res diverſas eſſe commiſtas, uti apparet in vinis Moraviis plurimum calcis habentibus, & ſub forma chyli & ſanguinis diverſa frequenter latere, quæ procul dubio quadantenus corpori apponuntur. Ita mulieres quaſdam cretam, lutum, arenam cum voluptate devorare, quæ tota proculdubio vix excernũtur. Hactenus lepidiſſimus iſte Wincklerus, qui niſi superveniſſet, de Sennerto jam actum foret. Ait enim ſe hæc ſcribere ne D. Sennertus plane oppreſſus videatur: Verum ut rem penitius examinemus, diſtinctio ejus qua aſſerit de nutrimento abſolute dicto verum eſſe quod ſit animatum, vel ab animato profectum, non item de nutrimento diverſiſſimas ſæpe res commiſtas habente, plus quam vana eſt & ab ignaro artis medicæ & phyſices profecta, primò quia in converſione auri per nutritionem non agatur de manca & falſa nutritione ſed de vera, & de tali qua aurum vel argentum in ſubſtantiam nutriti vertitur & fit verum alimentum. Sic enim refert D. Sennertus ex Wendlero: ventriculum gallinarum arripere argentum & mutare in quintam ſuam eſſentiam: adeo ut in maſſa illa quæ ova contineat, inveniantur ova quaſi ab artifice aliquo ex argento parata; Et quod in pectore auro paſtæ gallinæ ſint inventæ tres lineæ purè aureæ. Secundò, manca concoctio non oritur ex hoc quod nutrimento res diverſæ ſint miſtæ, ſiquidem nullum adeo ſincerum nutrimentum eſt quod totū & integre ſine ullarum heterogenearum partium

 ſepa-

ſeparatione, vertatur in noſtram ſubſtantiam. Nullum inquam adeò ſincerum nutrimentum cui res diverſæ ad nutritionem inutiles, quæque niſi à natura recte ſeparentur, ſed partibus nutriendis apponantur, vel inferantur, morbos procreent, mancamque nutritionem perpetrent, non ſint miſtæ. Si ita apponitur, aurum certe non immutatur: id enim conceptis verbis & ego urſi, & ipſe defenſor Sennerti hoc concedit. Quærebam enim, an aurum vertatur à natura in ſubſtantiam: appoſitio non eſt immutatio, nec agglutinatio, nec aſſimilatio; ibi contra ſe ipſum ipſe diſputator diſputat.

13. Diſcat itaque veterem Galeni regulam ex opere meth. med. quod in omni concoctione duo reſultent excrementa, craſſum & tenue. Chylo eſt commiſta fecum naturalium materia, quibus concipiendis & emittendis natura fecit inteſtina, & potiſſimum craſſa: in ſecunda reſultat bilis utraque & ſerum, ad ſua conceptacula & emiſſoria releganda. Tertiæ concoctionis excrementa per habitum inſenſilem & in aliis per ſudores ex habitu corporis pelluntur, & quorum craſſiora cuticulæ inhærent. Non itaque quia chylo, ſanguini & cuicunque nutrimento res commiſtę, ſint alienæ à nutritione, quanquam nec nutrire nec aſſimilari perfectè poſſunt, idcircò manca eſt nutritio, ſi natura faciat officium in rectè ſegregandis ſubigendiſque inutilibus & commutandis veris alimentis. Naturâ autem omni nutrimento, priuſquam perfecte aſſimilatur, inſunt diverſa, quæ vim alteratricis fugiunt nec in ſubſtantiam noſtram verti poſſunt. Sed recipiamus exercitii gratia inutilem illam diſtinctionem de abſolute dicto nutrimento, &

illo

illo quod abſolute novatori tale non eſt, ideo quòd habeat partes heterogeneas permiſtas, quodque ſaltem quadantenus, uti ſcribit, apponatur. Hic ſane ſe ſuis verbis facetus ille ſcriptor jugulat: ubi enim fit ſola nutrimenti appoſitio, & nulla agglutinatio, nulla quoque fit nutritio, ſed oritur atrophia. Hoc meam confirmat rationē, quam aurum cur non nutriret attuli: dicebam enim aurum ſi maneat aurum, ſi faciat gallinam auream & aurea reddat ova, per nudā appoſitionem inaurare, haut ſecus atque vaſa argentea aliaque auro obducuntur, non fieri nutritionem ſeu converſionem nutrimenti in ſubſtantiam nutriti, quod ſic aurum non poſſit manere aurum, nec vertere poſſit gallinam in aurum; oporteret enim ut aurū à gallina vertatur in carnem & oſſa; ſiquidem ut fiat nutritio, nutritum debet vertere nutrimentum in ſuam ſubſtantiam, non vero nutrimentum vertere nutritum in ſuam eſſentiam: nutritio eſt perditi reſtauratio, quod periit caro erat & oſſa parteſq; corporis, non aurū: ideoq; ut fiat nutritio, carnea maſſa erat reſarcienda non aurea. Si itaq; in manca nutritione fit nuda auri appoſitio, aurum non nutrit, non convertitur in ſubſtantiam nutriti, nullaque fit nutritio, & ſic Phormio Sennertianus defendendo ſuū Præceptorem, eundem maſcule refutat, & mea argumenta ultrò confirmat & rata habet.

14. Vltima quam pro D. Sennerto adducit ratio pariter ex canonum medicorum inſcitia prodit. Non omne quod avide & cum voluptate appetitur in nutrimentum vertitur. Appetitus eſt duplex, ſanus & morboſus: ille rerum veſcarum & naturalium alimentorum: hic morboſus & rerum abſurdarum: vocatur

catur idcirco pica, citta, & malacia frequenterque accidit puellis cachecticis, appetitus verò morboſus nunquam faciet ut ex abſurdis, veluti calce, creta, axungia carri, arena, luto, ulla ſanguinis boni gutta generetur, tantum abeſt ut ex his nutriendo corpori vel atomus veri nutrimenti in ſubſtantiam nutriti convertendi accedat. Sanus appetitus naturæ ſimilia, corruptus & morboſus cōtraria deſiderat: qui cauſas inordinati appetitus novit, abſurdarum ingeſtione non tam nutriri quam frequenter corrumpi corpus intelligit: Videmus in gravidis ſine noxâ noxia ſæpè comedi, ſed in nutrimentum & ſubſtantiam corporis verti, ea quæ pro ſubſtantiæ ſuæ inhabilitate in nutrimentum nulla naturæ vi converti poſſunt, nemò ſanus affirmet, nemo unquam obſervavit. Puellas creta, carbonibus, frumento crudo veſcentes, obſervamus atrophia & cacophia cachexiaque corripi, & niſi inſolentiæ deſinant morbos extremæ deſperationis incurrere: de cauſis appetitus morboſi & inordinati, & quare hoc ipſo correpti ſæpe abſurda expetant, nolo hic prolixius diſquirere: nemo qui vel primis labris præcepta medicinæ deguſtavit non intelligit, morboſi appetitus deſiderio ingeſta abſurda, non tam facere ad corporis nutritionem & reſtaurationem quam depeculationem, neque omne quod avide ingeritur, niſi natura ſua ſit nutrimentale, idcirco nutrimentalem naturam induere poſſe.

15. Sed videamus quo ſe ungue ſcabant Sennertiani Ganymedes & Phormiones: id verò apparet ex Winckleri tract. de opio l. 2. ſ. 1. c. 2. coral. 2. fol. 72. ubi inquit: Veritas hiſtoriæ (videlicet de inaurata per

nutri-

nutritionem gallina) patebit experientia. Si illa ſubſcribat, Freitagianas rationes eſſe nihili illa ipſa docebit: Et tum demum an vera dicenda ſit nutritio patebit, & an nutritio modo eo communi fiat, erit diſceptatio. Vides amice lector, quid monſtri alant novatores, videlicet quod omnium ſinceræ & invictæ veritatis doctrinæ & regularum deletionem & everſionem intendant, quodque ad hanc intentionem exſequendam, ea arripiant, de quarum veritate ipſis nondum conſtat: quin imò quæ omni rationali Philoſopho & Medico primo intuitu pro fabulis veniunt, quæque primum ratio meras eſſe fabulas, impoſturas, & fraudes, & poſtea ipſiſmet fatentibus ipſa experientia tales eſſe comprobavit. Iudica lector benigne de innovandi ſtudiis, & perverſa dogmata proferendi pruritu, veritatemque antiquitatis ſupplantandi conatu, qui tam arduus eſt, ut ex fabulamentis ſubſidia quærant, pro ſtabiliendis ſuis novæ ſectæ fundamentis, de principio ſeminario & vi multiplicatrice metallorum, de viribus caloris & facultatis naturalis animalium in metalla, de præparatione medicamentorum in certo cæli gradu: Quæ omnia nihil aliud ſunt, quam myſteria ſummi magię pręconis & verę medecinę corruptoris Paracelſi.

16. Priuſquam experientia edocuerat novatores, hanc rem eſſe fabulam, uti ipſe poſtea teſtatur D. Sennertus, & ejus Ganymedes, in tract. de Cal. innat. fol. 111. non contenti ſanæ & veteris Philoſophiæ rationibus inevertibilibus, ab experientia quandam confirmationem expectabant, ideoq; interea temporis veræ Philoſophiæ decretis, quantum in ſe fuit, pro viribus oblatrarunt. Poſtea experien-

tia

tia rem fabuloſam eſſe docente, meriſque Sennertum credidiſſe commentis, quæ pro veris eò facilius avidiuſque arripiebat quo novorum dogmatum introducendi majore pruritu ducebatur, nihilominus invictæ veritatis ſolida & æternùm vera principia contra has fabulas allata, ſardonice rident, rodunt, criminantur, cavillantur, & in primis hoc agunt ut Sennertus hic ne vel leviter impegiſſe & ſolæciſmum commiſiſſe videri poſſet: ne fama ſui ſummi Pontificis & væjovis aliquid detrimenti capiat, quaſi errorem ſatis notum defendere ſit viri candidi, & non potius ambitioſi & tumultuarii ingenii. Neque alienum eſt à D. Sennerto, neque illi novum fabulas, quibus paracelſicam ſuam ſectam novo ſchemate perſonatam ſtabilire nititur, avide arripere, omni conatu & ad aras defendere: idem, ut de pluribus taceam, facit dum fabulam de eſſentia roſæ ſpirituali ex cinere in vitro admoto ſubtus calore exſurgente & propullulante ex Quercetano inducit, & contra me non ſine ſtomacho aſſerit, meque fabulæ non credentem chymiæ oſorem, & ignarum (forte in chymia vidi majora & ſublimiora quam D. Sennert.) appellat. Quid autem de hoc fabulamento ſentiendum, vide in corollariis meis & epiſtola clariſſ. D. Luchtenii diſputationi meæ VI. de principiis rerum naturalibus in ſpecie, ad calcem appoſitis. Hæc autem ſpiritualis roſæ eſſentia & fabula aurem mihi vellicat ut de quintis eſſentiis Sennertianis id quod in lectione librorum ejus obſervavi, proferam.

17. Quintæ eſſentiæ apud D. Sennertum ſunt plurium generum, primum genus incorporearum eſt,

eſt, quo pertinent ſpiritus illi & manes herbarum delitеſcentes in cineribus & pulviſculis ex herbis præparatis, quæ admoto lucernæ calore ad fundum vaſculi vitrei ex iiſdem emergunt & plantam omnibus partibus abſolutam exhibent, ut plane quis corpoream putet, cum tamen ſaltem ſpiritualis ſit. *vide D. Sennert. lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. x. fol. 262. Illorum ſpiritus incorporei quomodò poſſint viſum incurrere & ſpecies ſuas ſenſui repræſentare & imprimere non video, cum quidem ne corporei, ſi ſubtiliores ſint, & ad æthercam magis naturam accedant, viſum incurrant. Ad hanc claſſem ſecunda quintarum eſſentiarum Sennerti referenda eſt ſeries, quam illi conſtituunt formæ cujuſque miſti perfecti. Has enim libro de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. xi. fol. 272. naturas quintas, & eodem lib. cap. 18. fol. 575. juxta Scaligerum quintas eſſentias vocat. Tertio ſpiritus etiam corporei ſunt illi quinta eſſentia, quales ſunt ſpiritus vini, frumenti, mellis, auri, argenti, margaritarum, coralliorum; quos ait ſi corporeis vinculis & ab heterogeneis corporibus liberentur ac nativæ ſpiritualitati reſtituantur, ſummam ſpiritus noſtros reficiendi & vires roborandi vim habere. D. Senn. lib. de Gal. cum Chym. conſenſ. & diſſ. c. 18. fol. 572.

18. Quarto ad quintam eſſentiam referuntur ſpiritus illi architectonici corporibus metallorum, auri, argenti, lapidum, metallorumque opifices; hos cum Paracelſo ſemina, ſeminarias rationes, & formas rerum

*De quintis eſſentiis Sennertianis.

rerum nuncupat:tales ſunt ſpiritus argentifici & aurifici in mineris delitеſcentes, qui ex his egreſſi materiam diſpoſitam in aurum vel argentum mutant. D. Sennertus lib. de Gal.cum chym.conſenſ.& diſſ. c.9.fol. 235. formas verò & animas rerum cũ Chymicis ſeu Paracelſo potius nominat aſtra, ſemina,radices, aitque hæc per ſe nec molis magnitudinem habere, nec partium diſtantias, nec dimenſionum vinculis alligatas eſſe:at quomodo ſpiritus illi & formæ argentificę & aurificæ & lapidificæ è corporibus metallorum egrediuntur & invadunt alia diſpoſita corpora eaque informando convertunt in aurum, argentum & lapides? an formæ materiales ſine ſubjecto per ſe exſiſtere,emigrare & remigrare poſſunt? Hæ ſunt nugæ & blaſphemiæ Paracelſicæ tertia diſputatione abunde refutatæ, ab ecclеſia exploſæ, & à ſana Philoſophia nunquam receptæ, & ab omni antiquitatis veritate prorſus abhorrentes.

19. His accedit quod ſpiritus, quos formas,& aſtra & ſemina nominat cum Paracelſo corporeſcere vel corpora fieri, ex incorporeis evadere corporea, per condenſationem & attenuationem concedat: cum tamen iſti ſpiritus de quibus Paracelſus & ipſe ex Paracelſo loquitur, nec molis habeant magnitudinem, nec partium diſtantias, nec dimenſionum vinculis alligentur, qua ratione nec extendi, nec cogi, nec rareſcere, nec denſari poſſint. Et magna ſane abſurditas ſit, ſtatuere ſpiritus incorporeos & corporeæ molis expertes, fieri per ſe corpora & corpora fieri ſpiritus & formas. Atque hæ ſunt ſeculi ultimi impoſturæ & deliria Paracelſica.

20. Quinto

20. Quintò quintam nominat eſſentiam lib. de Gal.cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 18. fol. 573. Spiritum inſitum & Calidum innatum quatenus animæ eſt inſtrumentum. Verum in inſtitutionibus de ejus natura & conſtitutione ſibi ipſi non conſtat. Lib. 1. c. 5. Spiritum illum inſitum ſeu Calidum innatum, propter operationes quas elementorum naturis edit ſuperiores, vult eſſe ſuperelementaris adeoque quintæſſentialis naturæ, quoad materiam, quòd ſeparata forma & anima in demortuis corporibus etiam vires ſuperelementares per hoc innatum calidum remaneant: atque hæc prima eſt ejus de hoc ſpiritu innato & Calido nativo opinio: ſecunda eſt, quod ſtatuat eodem capite illud calidum & ſpiritum inſitum poſſe eſſe, quoad materiam, originis elementaris, dummodo concedatur ipſi forma peculiaris à qua nobiles hæ actiones elementorum facultatem excedentes proficiſcantur. Tertia extat libro 5. Inſtitut. parte 1. c. 2. ubi etſi ſpiritum & Calidum innatum non tantum quoad materiam prædicat eſſe ſuperelementaris originis, cujus vi in prima opinione ei ineſſe facultates elementorum conditionem excedentes aſſerebat, ſed & peculiarem habere formam, ab anima ei ingeneratam, qua defuncta hæc ad officium formale veniat, & ſit cauſa operationum quæ elementorum conditionem longe exſuperent, & cum primis earum, quæ actiones à tota ſubſtantia nominantur, & ſit facultatum occultarum auctor. Humidum hoc radicale & ſymphytum ſpiritumque inſitum cum ſuâ formâ, cum quâ adeò arctè cohæret ut à reliquo corpore craſſiore elementarium fecum & quiſquiliarum materiaque inutili, ſine ſui

 diſpen-

diſpendio ſalviſque ſuis facultatibus liberari poſſit, verè conſtituere balſamum naturale & quintam eſſentiam. Vnde poſtea concludit, ſpiritum hunc inſitum humidumque radicale quintā illam, ſi qua eſt, eſſentiam ſeu balſamum naturæ conſtituere, quod ſalva ſua eſſentia & viribus ſeparari poſſit ab impuris quiſquiliis & (relollaceis) elementorum corporibus & ab iis ſeparatam vim balſamicæ virtutis contineat, & ſit fere incorruptibile. Quid in hac ultima opinione quod non verè & merè Paraſelſicum & blaſphemis in ſacras Literas refertum ſit ſputis? Hominem ejuſmodi conſtare eſſentia quinta non negat D. Sennertus, & ſimilibus eſſentiis quintis ab elementorum natura diverſis ali & nutriri idem aſſerit lib. 1. Inſtit. c. 5. Vtraque tam nutriens quam nutrienda animalis eſſentia quinta, habitat & circumdata eſt corpore elementari, ex elementorum miſtione conflato, quod in nutritione tanquam miſtum & inutile excernitur, ſola quinta eſſentia nutritionem perficiente. In animali verò, ſi quinta ejus eſſentia juxta Paracelſum ſeparetur, ab elementorum induviis, quiſquiliis & inutili mole, prodit homo quinteſſentialis, aſtralis, & Paracelſicus homullo, quo pacto ſenes rejuveneſcunt, vetulæ repuelleſcunt & menſes recuperant & floridam immortalemque juventutem conſequuntur. Plaudite mortales qui in hæc ultima ſectæ Paracelſicæ tempora reſervati eſtis, quibus demum manifeſtatum illud rejuveneſcendi & æternam juventutem comparandi myſterium:

Plaudite mortales queis contigit optio talis.

21. Habes benigne lector quid per quintam eſſentiam

ſentiam intelligat D. Sennertus, quam varius & lubricus & inconſtans ſit in definienda ejus natura, ut tantum abſit quod à ſtudioſis diſcendi cupidis aliiſque intelligi poſſit, ut ſe ipſum non intelligat, unde nemo ſanæ doctrinæ & veri quippiam, quo animum confirmet, haurire poſſit. Et hi ſunt flores & fructus novæ ſectæ, veritatem antiquam labefactare conantis, ſacrarum Literarum ſynceritatem corrumpere molientis, & monſtroſis blaſphemiſque opinionibus doctrinarum ſtudia adulterare & conſpurcare non verentis.

22. Quæſtionem quâ diſceptatur, an corpus humanum veneno ſic adſuefieri poſſit ut eo nutriatur, reſumere & ulterius diſcutere animum induxeram, ſed quia D. Sennerti Phormio Wincklerus, nec argumenta mea integre & omnia, ſed fruſtillatim recitat & quædam falſo mihi aſſuit, & nec vel hilum quod ad rem ſit reſpondet, in nugis ejus cribrandis tempus terere ſupervacaneum eſſe duxi. Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam &c. remitto lectorem ad libri mei de opio caput quartum, continens firmiſſimas rationes quibus demonſtratur, humanam naturam venenó ita aſſuefieri non poſſe ut eo nutriantur homines vel in nutrimentum ipſis cedat.

23. Simile ſimili nutritur reſtaurativo & refectivo, non contrario deſtructivo. Corpus noſtrum dum nutriri debeat veneno, oportet eſſe venenatum, non per conſuetudinẽ veneni identidẽ ſumpti tale demũ fieri: ut vero tale unquã fiat impoſſibile eſt: nullo ſiquidẽ modo, nullaq; ratione naturam noſtram veneno unquam adſueſcere poſſe, ex eo patet quod ſine ſui totali deſtructione & internecione nec ſummas

elementorum qualitates activas,tantum abeſt,quod occultarum extremas vires,quales ſunt venenorum, toleret. Quæ primo ſtatim uſu enecant, quomodo iis quiſpiam adſueſcere poſſit? Quis ulli veneno quod in minima & inſenſibili portione, exquiſitiſſimam rapidiſſime & celerrimè noſtram naturam deſtruendi & interimendi vim habet, ita adſueſcet ut innoxiè eo demum utatur? quis adſueſcet veneno ſcorpii, canis rabidi, arſenici & ſimilium, ut demum in nutrimentum vertat hæc quæ prima ſumptione etiam inſenſibili quantitate accepta, continuò jugulent?

24. Quod reponit nugigerulus Phormio venena imperfectè nutrire, vanum eſt reſponſum. Qui enim ſolis paſcuntur venenis & ex hoc vivunt valentque, & ex hoc adeo venenatam (uti aſſerunt novatores) naturam acquiſiverunt, ut vel ſolo halitu aut effuſiore oſculo & ſputo intoxicent, eos nec imperfectè nec impropriè venenis nutritos eſſe dicendum. Pari laborat & quidem majori abſurditate quod ait venena nutrire quatenus partes alimentoſas habeat adjunctas & permiſtas. Quandoquidem ſi propter has partes commiſtas nutriant, non ipſum venenum, ſed alimentum veneno miſtum nutriet. Et ſic confirmatur veritas meæ ſententiæ, videlicet nullum venenum quod revera ſit venenum, ut tale eſt, nutrire. Simul autem eundem alimentis & ſimul venenis, rebus extremè contrariis, nutriri abſurdiſſimum eſt. cui adhuc cibus eſt nutrimentum, hunc neceſſario venenum enecat. Sed & illa reſponſio veræ & orthodoxæ medicorum regulæ repugnat, tolliturque differentia inter alimenta, medicamenta & venena. alimenta

menta naturæ tota ſubſtantia ſunt ſimilia, & in eandem vertuntur eamque conſervant, & alunt. Venena tota ſubſtantia ſunt contraria, eamque interimunt & deſtruunt, in medio ſunt medicamenta, nec deſtruentia nec nutrientia, aut in ſubſtantiam naturalem abeuntia, ſed ſolum alterandi vi prædita.

25. Medicamenta in medio venenorum & alimentorum poſita ex una parte ſic convenire poſſunt cum alimentis, ut fiant alimenta medicamentoſa, de quibus Gal. lib. 3. de temperament. Et medicamenta alimentoſa, ex altera parte ita convenire poſſe cum venenis ut fiant medicamenta venenoſa, ratum eſt: adeoque dari alimenta medicamentoſa Medicorum & Philoſophorum verorum vera eſt ſententia; dari verò venena alimentoſa nemo dixerit, præter moroſophos principiorum veræ Philoſophiæ inutiles allatratores & vitilitigatores. Et cedo quid quantumve in veneno canis rapidi, ſcorpii, arſenici alimenti? Si ne medicamenta ſincera & perfecte medicamenta, quicquam utilis ſucci, licet in medio venenorum & alimentorum poſita ſint, continere poſſunt, aut ulla ratione in naturam noſtram converti, qomodo venena id habebunt, continebunt aut præſtabunt?

26. Ex his patet nullius conſequentiæ eſſe argumenta, quæ oggannit Phormio Sennertianus, garriendo aliqua alimenta qualitates excedentes habentia quæ Galeno dicuntur alimentoſa, non planè perdere qualitates dum in ſubſtantiam vertuntur, & ſic naturam ſenſim iis aſſueſcere, Ergo etiam id faciunt venena. Verè hic audimus moroſophum. ali-

menta medicamentoſa quoad ſubſtantiam corpus nutriunt, & alimentalem habent rationem, quo ad qualitates interim dum ſubiguntur naturam alterant, docente Gal. lib. 3. de temp. c. ult. qualitates verò illæ manifeſtæ ſunt, & in manifeſtis non ſunt ſummæ, nec ſtatim deſtructrices, licet cum tempore cachecticum & cacochymicum corporis habitum neceſſariò concilient, uti probavi lib. de opio. c. 4. ut enim quidpiam verè fiat nutrimentum, ſecundum qualitatem & ſubſtantiam nobis aſſimilari debet. Venenum contra totâ ſuâ ſubſtantiâ ita eſt comparatum, ut quantum ſimilitudinis ſit in alimento ad noſtram ſubſtantiam ejuſque conſervationem, tantum in eo ſit contrarietatis ad deſtruendum illam; quantumque alimentum nutriat & in ſubſtantiam noſtram vertatur, tantum venenum hoc naturam noſtram corrumpat & deſtruat, quodque alimenti medicamentoſi quibus ait adſuefieri poſſe naturam qualitates ſint manifeſtæ, mediocriter tantum alterantes, in venenis autem qualitates non mediocres, non ſaltem alterantes ſed plane corruptrices, deleteriæ & naturæ celeriter & continuò pernicioſæ; ut revera barbarum & obeſæ ruditatis ſit argumentum velle conſequentiam ducere à nutrimento medicamentoſo ad venenum, & concludere ſi aliquis qualitates naturæ proportionem ſuperantes aliquandiu toleret, aut etiam iis adſueſcat, Ergo & venena eorumque qualitates tolerabit & iis demum adſueſcet. Sed an qui modice ſapit cum iſtis tenebrionibus ſe abſque dedecore & diſpendio temporis volutabit diutius?

27. Similis & ejuſdem farinæ eſt ratio quam profert de cibis à quibus quidam ſingulari antipathia abhorruerunt, tandemque uſu & diligentia eas uſurpare didicerunt & aſſueverunt. cibi ut lac, carnes porcinæ, quos nominat, formaliter venena nec humanæ naturæ per ſe deleteria fuerunt, idcirco progreſſu temporis videmus cum ejuſmodi alimentis quaſdam naturas quæ ab iis acriter abhorruerunt in gratiam redire. Cum veneno ſcorpii, canis rabidi, natura humana nunquam in gratiam redibit, ſed prima uſurpatione enecabitur. Quod ait me concludere ex hoc, ſi homo nutriatur veneno ſequi demum hominem verti in bufonem vel in ſerpentem, id rabioſè pro more Sennertianorum defenſorum, adverſus me ſubornatorum inſurgentium mentitur. Vide & excute lector caput 4. lib. de opio; nuſquam quod cavillator mihi aſſuit, invenies. Dixi hominem ſi veneno nutriatur demum in venenatam naturam & beſtialem converſum iri, quod de iſta hominis parte intelligendum, uti clarè ibidem poſui, quæ alimento & nutritione ſuſtentatur, non de forma ejus: Hominem verò non nutriri veneno probavi. Et, ſi totus corporis habitus mutari poſſet in venenum, aut ſtatum venenatum quod tamen eſt impoſſibile, nihilominus forma totius non mutaretur. Verùm quia cum tali ſubjecto venenato quod alioquin perire neceſſe eſt per ſummam diſcraſiam qualitatum manifeſtarum, tantum abeſt quod non intereat per deleterias qualitates, forma propter ejus ineptitudinem conſiſtere nequit, homo etiam in venenatam naturam,

quo ad maſſam corporis prorſus faceſſere nequit.

28. Quod etiam animalia quædam venenis omnino & purè nutriri objicit, ſi verum eſſet, ſententiæ à me defenſæ nihil obeſſet vel detraheret, ſed potius eam confirmaret, quia ſtatuam ſimile ſimili nutriri. ex quo ſequitur hominem alimento ſibi ſimili & animalia prorſus venenata veneno ſolo paſci. An verò animalia dentur prorſus venenatæ ſubſtantiæ, alia eſt quæſtio, & non immeritò de ejus affirmativa dubitatur. Exempla quæ Phormio Sennertianus adfert, ea dari, rem non probant, ſerpentes ali bufonibus, viperas ſtellionibus, & plantis venenatis. ille quidem aſſerit, ſed parum proficit. In confeſſo eſt tantum abeſſe quod viperarum, ſerpentum & bufonum carnes, ac ſubſtantia ſint venenum, ut etiam præſentiſſimam vim contra venena contineant, & exquiſita antidotus, & alexipharmacum ex iis contra venena & morbos venenatos comparetur. Venena itaque continent ejuſmodi animalcula, non quod eorum ſubſtantia ſit venenata, ſed quod excrementa in certis partibus congerant venenatam naturam & ſæpè exquiſitè deleteriam vim habentia. Viperæ venenum iracundiſſimum intra ordines dentium certis veſiculis quę ubi morſum furioſe imprimunt, rumpuntur, contentum. Et ſerpentes in caudis id repoſitum habent. Dicuntur itaque hæc animalcula venenata, non quod eorum ſubſtantia ſit venenoſa, quippe quod venenis ſummoperè reſiſtat, & vim alexipharmacam habeant, ſed quod contineant excrementa venenoſa certis locis in ſuo corpore collecta & aſſervata. Ex carne viperum fiunt

tro-

trochiſci, ex ſerpentibus pulveres antidotales, quorum deſcriptiones apud Crollium alioſque videre eſt; quibus non modo venenis aliis ſed & proprio reſiſtant, ſiquidem idcirco venena non nocent ſubſtantiis iſtorum animalculorum quia hac vi antidotali & alexipharmacâ animal eſt armatum, tam contra propria venena quàm remedium ſit adverſus alia. Natura ubicunque dedit venenum, ibi etiam in multis ferè proximè oppoſuit alexipharmacum, & remedium proprium. ita ſcorpius medetur proprio veneno; bufonum carnes non oſſa venenatas docet hiſtoria fœminæ apud D. Solenandrum, quæ merito deſperatæ ſalutis, ut mortem accelerarer, eas in pulverem redactas exhibuit, & præter ſpem, expulſis aquis à morbo & morte vindicavit. Animalcula illa & beſtiolæ venenatæ quorum ſubſtantia non eſt antidotalis à proprio etiam veneno interire poſſe, exemplo & argumento eſt baſiliſcus, reflexione radiorum è ſpeculo in ſe reſilientium oppetens. aliquas itaque beſtiolas, non omnes ſuo proprio veneno interfici, credendum eſt.

29. Quod tandem ad idioſyncraſiam certarum naturarum devolvatur ſubornatus Wincklerus, quod aſylum & refugium eſſe ſolet veris ſolidiſque rationibus deſtitutorum & ignarorum; id ſuo loco relinquimus; qui etiam in natura fieri miracula obſervamus; verum ſingularia iſta, & præter naturæ ordinem contingentes caſus, univerſales non evertunt regulas & diſciplinarum canones, manetque id ratum & veriſſimum, hominem uti homo & naturæ humanæ humanitus verè compos, verè nutriri alimento quod potentia proxima ſit tale qualis

 ipſius

ipſius ſubſtantia actu, hominemque iis ali & conſervari quibus conſtat; hominis autem ſubſtantia nec venenum, nec venenata eſt, nec ex venenis conſtat, nec venenis alitur.

Ex his omnibus evidenter patet mera cavillandi non veritatis inquirendæ, ejuſque regulas & canones ſtatuminandæ ſtudio ferri ſubornatos D. Sennerti propugnatores, qui ſe in maledicentiæ & calumniæ, quam diſputationem vocant, palæſtram, duabus de cauſis perlatos eſſe clamitant. Prima eſt auctoritas ſummi viri Sennerti ſui Væjovis & Pontificis maximi; quam etiamſi erret, & falſa doceat, nihilominus ſibi defendendam eſſe arbitrantur: altera eſt cultus & veneratio Præceptori debita. His compulſi pro D. Sennerto adeo mordicus certant, ut veritatem auctoritati Sennertianæ, & novæ ſectæ Paracelſicæ poſtliminio reſtauratori, ejuſque ac ſi ab illo erecta & introducta ſit propugnatori poſthabeant, & veteres veræque Philoſophiæ canones & diſciplinas peſſum ire, imò ſacrarum Literarum ſinceritatem & decreta periclitari malint, quam ferre ut D. Sennerto errorum abundè convicto, error ullus, & diſciplinas veteres veraſque turbandi, antiquandi & abolendi ſtudium imputetur. Vnde eſt, quod nulli parcant maledicentiæ, ſarcaſmis, cavillis, mendaciis & criminationibus; quod divinis pariter & humanis inſultent ſcientiis, tot opinionum monſtra in aream eruditorum depudicata fronte evomant; qualia ſubornatus Sperlingerus tract. de formarum origine, formarum pluſquam abſurdas differentias inducens, atomos reducens, aliaque hibrida & horrida parturiens, & ibi & alibi producit. Quæ tamē omnia à D.

Senn.ſibi ſuggeſta, ſubminiſtrata,& infuſa eo audacius vibrant, quo hic ſuæ famę conſulens, fidentius ſecuriuſque eos,in defenſione paradoxologiæ & falſimoniæ novæ ſectæ fluctuare permittit, & fortunæ temeritati liberius committit; ut ſi veris nihil poſſint obtinere rationibus, ſaltem maledicentia & calumniis livorem ſuum adverſus antiquitatis veritatẽ,& veteres incorruptaſque diſciplinas, abundè demonſtrent & comprobent. Atque hoc eſt venerari Præceptorem & authoritatem ejus defendere, & ut ait ſubornatus Wincklerus lib. ſecundo de opio ſect.1. cap. 2. Coroll. 2.fol.75.operam dare ne Cl. D.Sennertus videatur oppreſſus.

Con-

Contra errores & Paradoxa Novæ Sectæ Sennerto-Paracelſicæ

DISPVTATIO VLTIMA,

Tradens & propugnans veram veteris Philoſophiæ Peripaticæ & Galenicæ Medicinæ doctrinã de qualitatum tam manifeſtarum quam occultarum origine & cauſis, & de generatione venenorum in corpore animalium & venenatorum morborum impreſſione, ſimulque compendioſe repetens in exordio, quæ ſupra fuſiùs de formarum origine & differentiis, aliiſque nobilioribus quæſtionibus tractata ſunt,

PRÆSIDE

IOHANNE FREITAGIO M. D. & Profeſſore.

Reſpondente

IACOBO HOMODÆO *Med. ſtudioſo.*

THESIS I.

NOn poſſum ſatis mirari, amice lector, audacem criminandi libidinem & fraudulentum diſputandi modum, quem in me, uti præſumit, refutando (ſi diis placet) uſurpent, dum juxta

juxta nova ſuæ moroſophiæ & ſectæ Paracelſicæ ab ipſo D Sennert. recenti & alio ſchemate perſonatæ, placita, canones, principia & fundamenta, quæ nondum probata, nullibi recepta vel approbata, falſimoniæ à me in ſuperioribus abundè convicta ſunt, mea argumenta examinare & ſolvere, atque adeo lectori offucias & fucum facere tam ſtolidè quam impudenter moliuntur.

II. Primò enim de formarum origine ex potentia materiæ educendarum, antiquæ veritatis & venerandæ antiquitatis & Ariſtotelicæ Peripateticæque Philoſophiæ ſententiam D. Sennert. mordicus, lividè & veteratoriè, ſed nequicquam & fruſtra impugnat. Fundamenta ſuæ aſſertionis ſunt, primò formam generare & producere formam ex ſua eſſentia per diviſionem ſui ipſius; ita canis filius generatur per diviſionem formę canis patris in filium. Ex forma enim patris diviſa, cum ſemine fit filius. Ejus opinionis barbariem & abſurditatem & monſtroſitatem ſuperius in diſputatione tertia ad oculum demonſtravimus.

III. Secundum fundamentum eſt, formas rerum corruptibilium pereunte materia etiam exſiſtere poſſe ubi non informet, adeoque ex ſe & ſua natura habere actum exiſtentiæ, quem novi Paracelſicæ ſectæ moroſophi nominant actum entitativum, quo ubivis poteſt exſiſtere forma corruptibilis; hoc actu anima ſcarabæi in ſterquilinio obequitat, & reſidet, & eſt in corpore & cadavere equi, &c. Cujus effati abſurditatem ſecunda & tertia diſputatione indicavimus.

IV. Tertium eſt, has formas facere ſibi corpus, hoc

hoc eſt, exercere actiones organicas, ſine organis; exercere actum ſecundum antequam ſint actus primus & entelechia: Actiones verò ſunt ſuppoſitorum & compoſitorum, non componentium. Nulla anima, excepta humana, ullas exercet actiones aliter quam per organa diſpoſita & rectè habentia: omnium verò actionum initium fit per organa quatenus ſunt animata, animamque pro forma habent: anima ibi operatur, ubi eſt entelechia & actus primus, neque exercet actum ſecundum ante primum; ideoque neque ſeipſam generat, neque ſuum corpus: immobile enim principium eſt *omne quod ſit, fit ab eo quod eſt actu ex eo quod potentia eſt, & omne imperfectum poſterius reducitur ad perfectionem per id quod perfectum eſt prius.* Illud, inquam, immobile veritatis principium eſt, ſtabitque per Ariſtotelem & peripateticos in omnem æternitatem, rumpantur ut ilia Codro. Vnde corruit novæ ſectæ infame axioma & regula, Omnia eſſe actu, & non dari ens in potentia, ut docet D. Senner. in tractatu Sperlingeri de origine formarum, omnia autem actu ſunt dum omnia generantur per formarum generantium diviſionem. Canis enim filius & omnes ex hoc in ſecula naſcituri canes, actu exiſtunt in avis, atavis & proavis, imo in primis à Deo creatis canibus, ut ſupra diſputatione ſecunda demonſtratum eſt.

V. Quartum eſt, omnem generationem eſſe univocam, nullam æquivocam; quod neceſſariò ſequitur ex novæ ſectæ Sennerto-Paracelſicæ placitis, ubi ſtatuitur omnem formā propagari & multiplicari ex ſui ipſius diviſione & inde omnem generationem fieri per diviſionem formæ generantis, in

generatum,

generatum, cujus effati abſurditas & falſitas vel ex hoc ſolo elucet, quod Doctor Sennertus ipſemet doceat lib.5. inſtitutionum p.1.c.1. Animam in corpore generare ſanguinem, aliaque habentia formam ſubſtantialem, quæ ſanè ſpecifica eſt quâ ab aliis rebus diſtinguitur, quæque eſſentiam propriam rei, cujus eſt forma conſtituit, eique ſua accidentia propria tribuit.

VI. Hic primò notandum D. Sennert. nullum novæ ſuæ ſectæ dogma ſtabilire poſſe, niſi contra recepta antiquæ & invictæ veritatis principia diſputet, quibus ſalvis & veris, uti vera, frendente etiam D. Sennerto, in æternum manebunt, ipſius corruptelæ & nova trifætidaque dogmata conſtare & ſalvari nequeunt. Vetus igitur manebit Philoſophia, & perivit nova ſecta, & moroſophia Sennerto Paracelſica, vel hac inducta, illa corruet. Secundò, quod ipſius doctrina innumeris contradictionibus ſit undiquaque referta ideoque falſiſſima, quia duo contradictoria ſimul vera eſſe nequeunt. rem tibi hic ad oculum probabo, candide lector.

VII. Cum itaque loco citato D. Sennertus inquit animam generare lac, ſanguinem, & ibidem & lib. de Galen. cum Chym. conſenſ. & diſſ. eandem generare partes corporis, quo ipſo ſibi domicilium conſtruit, neceſſariò aſſerit & introducit generationem æquivocam, quam lib. citato & undiquaque mordicus negat; ſi enim eam admitteret, ut neceſſario cogitur, formarum ex potentia materiæ eductionem concedere adigeretur.

Deindè deſtruit univerſale ſuum axioma, quo dicit omnem generationem fieri per diviſionem for-

mæ

mæ generantis in generatum, quoque aſſerere nititur omnem formam eſſe ſui multiplicativam per diviſionem ſui, & nihil generari niſi à ſuo ſimili. Tertiò hoc ipſo, cum dicit animam generare ſanguinem, lac, parteſque corporis quæ habeant formas ſuas ſubſtantiales, adſtruit formam vi generantis educi ex potentia materiæ. Siquidem hæ formæ aut creantur & immittuntur divinitus, vel fiunt à generante ex nihilo, vel per diviſionem & propagationem formæ generantis in generatum, vel educuntur ex potentia materiæ. Primum hic non habet locum, quia non agimus de formarum ortu per creationem omnipotentiæ divinæ, ſed naturali formarum generatione, qui fit vi naturæ conceſſa & indita. Neque ſecundum hic procedit, *quia ex nihilo naturaliter nihil fit*, & formas ex nihilo fieri ipſe D. Sennert. lib. de Galen. & Chym. conſenſ. & diſſ. negat, quamvis per Sperlingerum in tractatu ſuo de origine formarum idem affirmet & ſibi contradicat. Tertium procedere etiam nequit, quia ſi per diviſionem formæ ſeu animæ hæc forma ſanguini, lactique eſſet introducta, lac ſanguiſque eſſent animata, imò animalia.

VIII. Ex hoc probatur ſufficientiſſimè Sennertum & contra ſe ſtatuere & ſibi contradicere. Si verò Sennerti regula & novum de generatione & propagatione formarum per diviſionem commentum debeat adſtrui & introduci, neganda eſt æquivoca generatio & omnis materię potentia ad eductionẽ formarum, & ſtatuendum nullum dari ens in potentia, & omnia eſſe actu, & omnia generari ex illo quod actu eſt, & veriſſima atque invictiſſima antiquitatis regula,

regula, qua docetur, Omne quod fit, fit ex eo quod eſt potentia ab illo quod eſt actu, & illud Ariſtotelicum, Omnem generationem cujuſcunque tranſmutabilis eſſe tranſmutationem totius in totum, erit ſtirpitus eruderanda. Et demum juxta D. Sennert. ſibimet ipſi contradicentem; rejicienda ſententia, quâ ex nihilo nihil fieri naturaliter, docet.

IX. Nunc tempeſtivum eſt, ut diſpiciamus occaſionem quâ D. Sennert. in inſtitutionum lib. 5. c. 1. dixerit animam generare lac, ſanguinem, partes corporis extrahentes formam ſubſtantialem Ipſe eo loco vult demonſtrare occultas qualitates rerum demortuarum non pendere à forma ſpecifica, quia Rhabarbaro mortuo & jam cadaveroſo ſeu in cadaver per corruptionem animæ redacto, nihilominus vis purgandi, quæ neceſſario cum ſua forma à qua dependet, pereat, adhuc ſuperſit; ex quo concludit omnem qualitatem præſupponere formam à qua fluat, pendeat.

Quocirca duas in Rhabarbaro & ſimilibus ſtatuit formas ſubſtantiales: quarum una ſit ſpecifica, quæ eſt anima; altera huic ſubordinata. Huic & iis, quæ ſunt ejuſdem generis triplex adſignat munus. Primum eſt, quod ſit immediatum & proximum ſubjectum animæ ſeu ſpecificæ formæ, & vicem materiæ propriæ, per quam inſit anima Rhabarbaro, præſtent: Adeoque ſint diſpoſitio, ut loquitur, materiæ per quam inſit anima. Secundum, ut ſint autores occultarum qualitatum, & mirabilium facultatum potentiarumque in hiſce rebus.

Tertio, ut moriente & defuncta anima ſeu forma ſpecifica ipſæ ſint ſuperſtites & ad formale officium

progrediantur, eoque fungantur, rem in eſſe conſervando, & occultarum qualitatum à ſe generatarum actiones exercendo. Forma enim ſpecifica eas non exercebat, quia hæ qualitates ab illa non dependebant; neque hæc exercere poterat, quamdiu erat ſubjectum ejus & ei ſubordinata.

X. De hujus formæ origine, generatione & propagatione & officio ut paucis diſpiciamus, neceſſum eſt.

Originem quod attinet, in hac explicanda Pirrhonium agit & inconſtantiſſimum, & uti ſemper, ſe ſibi contrarium probat. Duplicem verò facit originem harum; quarum ſi unam nolis agnoſcere, aliam arripere tibi liberum relinquit. Verùm Sennerte, quid ſi utrumque utpote figmenta & mendacia tua recipere graventur eruditi? Prima illi eſt ex creatione: ait enim Creatorem rerum ſapientiſſimum, ut omnibus rebus in prima creatione formas ſpecificas dedit, ita & iiſdem, & quidem diverſis diverſam & cuique propriam materiam, & in materia cuique ſpeciei proprias ſimul formas (& duplici quidem fine,) nimirum primò ut formæ ſpecificæ habeant ſubjecta, in quibus eſſe, ſubſiſtere & actiones ſuas perficere poſſint; ſecundò, ut anima ſeu forma ſpecifica decedente, homini certos uſus præſtarent, & vel in alimentum vel in medicamentum cederent, & voluiſſe ut ſicut formæ iſtæ ſpecificæ multiplicantur & propagantur, ita etiam hæ formæ ſubordinatæ propagarentur.

XI. Secunda de harum formarum origine opinio & phantaſia D. Sennerti eſt, has formas ſubordinatas à ſpecifica rei cujuſque eſſe genitas; quia cum

cum eadem ſit proprii ſui domicilii architecta, & partes corporis conſtantes formis ſubſtantialibus generet, & pariter ſanguinem, lac, alioſque humores habentes ſubſtantialem formam, producat, hanc etjam in materia ut pro commodo ſuo in quo degat ſubjecto, & per quam illud ſit οἰκεία ὕλη & materia propria, efficiat.

XII. Hic primò attendendum & obſervandum quod D. Sennertus omnes formas ſeu rerum animatarum ſeu inanimatarum, exceptis miſtorum qua miſta ſunt, quas ex elementorum formis & craſi conſarcinari vult; ſtatuat ex elementari materia non eſſe productas, nec conſequenter propagatas. Eas enim formas & animas quas ex prima creatione originem habere ait, & quæ inde propagantur, non ex elementis, ſed cum Scaligero naturam eſſe quintam prædicat. Quare, quæcunque forma ex elementaris materiæ potentia non eſt orta, ea eſt quinta eſſentia.

XIII. Verum novus Moſes novam nobis procudit Geneſin, contra orthodoxam veteris & modernæ Eccleſiæ ſententiam, omniumque rectè ſentientium Theologorum & piorum indubitatam fidem, & aſſertionem. Secundum enim Moſen antiquum & verum, Deus formas & animas rerum vel ex præexſiſtente materia vel ex nihilo creavit. animam humanam, angelicis naturis ſimilem & incorruptibilem, non ex elementis corruptibilibus & materialibus, ſed inſpirando creavit ex nihilo, tanto nobiliorem quanto præſtantior eſt eſſentia ſpiritualis & incorruptibilis rebus materiatis corruptibilibus & ex materiali

ſubſtantia productis:unde piæ mentes de animæ immortalitate certiſſimam fidem & confirmationem habent.

Et ut Deus optimus maximus,humanum corpus, corruptioni obnoxium, primum ex elementis, deinde animam inſpirando creavit ſpiritualem; ita ſimul & ſemel beſtias cæteraſque res omnes ſecundum animam & corpus, ſecundum formas & ſubjecta ex elementis ſimul creavit: idcirco enim ſignificanter & notabiliter loquitur Scriptura de creatione beſtiarum & cæterarum rerum. *Producat*, inquit, *terra animam viventem.* quo ipſo prodiit & factum eſt animal conſtans anima & corpore: ut certò conſtaret, animam cum corpore totumque animans, ſimul una productione ex elementis productum & factum,neque quiſpiam ſuſpicari vel putare poſſet ſolum corpus non verò animam ex elementis ortam: quocirca nominatur anima & intelligitur, proditque ex elementis anima cum corpore.Quod verò Deus creavit corpora animantium ex elementis certum eſt, deinde verò animam & formam quæ ſit incorruptibilis & non ex elementis, quæque poſt obitum vel corruptionem rei, poſſit extra ſubjectum vel corrupto ſubjecto exſiſtere & inſtar animæ immortalis ſupereſſe, quæque nova ſibi queat fabricare corpora &c. uti novi novæ ſectæ Sennerto-Paracelſicæ moroſophi & hæretici ſtatuunt,ex Moſe & ſacra Scriptura,unde omnis hujus rei certitudo æſtimanda, probari non poteſt, neque ullus id hactenus Theologorum, vel Patrum, vel modernorum docuit. Omnes ad unum ex verbis Scripturæ, *producat terra animam, producant aquæ &c.* conſtan-

conſtanter & unanimi ſuffragio docent, animas & formas rerum corruptibilium, excepta humana ex elementis productas eſſe. Conſule Auguſtinum, Ambroſium, Chryſoſtomum cæteroſque, & ex modernis (ut aliquos recenſeam) Chemnitium, Zanchium, Pererium, Iohannem Gerhardi, Thomam Frantcium, Geſnerum alioſque innumeros: audiamus ex his Alphonſum Toſtatum, ſuper primum cap. Geneſ. fol. m. 76. *Producat terra animam viventem*, id eſt, producantur vel fiant de terra animalia viventia, ſic quod voluntas Dei erat ibi pro cauſa efficiente, terra erat materialis cauſa, in potentia obeditiva & non naturali: quia potentia naturalis materiæ præſupponit rationem ſeminalem, nulla autem talis eſt in terra ad formandum hominem. Et vocantur animalia ab anima, ſcilicet quod denominetur totum à parte, ſicut homo aliquando vocatur anima, ut infra 46. cap. ubi dicitur: iſtæ animæ egreſſæ ſunt de femore Iacob, id eſt, homines.

XIV. In omnibus aliis animalibus & plantis dicebatur; producat terra, vel aqua: de homine autem non ſic dicitur; quia materia reliquorum animalium & plantarum eſt terra, & de potentia materiæ diſpoſitæ educitur forma , cum non ſit aliquid, quod eſt: Non ſic autem de anima hominis, quæ inter formas altiſſimum gradum tenet. Non enim poteſt educi de potentia materiæ, ſed à Deo creante inducitur. Etiam ſecundum quod anima rationalis à Philoſophis ponitur, dicitur eſſe ab extrà & divina, ſed non dicunt ipſi eſſe per creationem, & ſic in hac parte neceſſe eſt deficere eorum erroneam Philoſo-

phiam, quia animarum cauſas, vel modos aſſignare non valent, cum non aſſentiantur creationi. Et quia ſecundum regulam Philoſophi, ille dicitur generare compoſitum qui formam conjungit materiæ, cum Deus ſolus animam creare poſſit, & ſolus creatam corpori formaliter unire, ipſe dicetur hominem producere propriè. Etſi dicamus quod unus homo gignit alium, hoc accipitur largè prout miniſtrat materiam, & virtutem diſpoſitivam, ſcilicet vim formativam & organizativam: ſed generatio nunquam fieret, niſi Deus ſupernaturaliter animam crearet & conjungeret formaliter. Duo enim ſupra potentiam naturalium cauſarum in hominis generatione concurrunt, ſcilicet animæ creatio, quia nihil niſi Deus creat: & formalis unio, ſcilicet ut anima uniatur corpori, ita ut ſit forma ſua, & illud vegetet; Quia ſi aliqua anima ſeparatur à corpore per mortem, licet poſtea permiſſione Dei ipſa poſſet applicari corpori relicto ut motor, & illud corpus moveret; tamen non poſſet etiam Deo permittente ipſa uniri formaliter corpori, vel vivificare, niſi Deus eam ex ſua potentia uniret; nec etiam Angelus poſſet. Quare reſuſcitare mortuum, cum ſit unire animam corpori formaliter, potentiæ infinitæ eſt. Ex quo infertur, quod magis propriè aſinus generet aſinum, quam homo hominem, quia aſinus generans præbet materialem partem, ſcilicet ſemen & vim formativam, quæ diſponit agendo, ut educatur forma aſini de potentia materiæ, nec requiritur hic actio Dei, in quantum eſt cauſa ſupernaturalis, ſed in quantum eſt cauſa ultima in connexione natura-

tura-

turali um cauſarum. Et iſto modo concurrit effectivè ad omnem actum quantumcunque leviſſimum, ſcilicet ad comedere & bibere. Hactenus Toſtatus.

XV. Et ut ex Scriptura nec doceri, nec exſculpi poteſt animas & formas rerum ex alia quam elementari materia primitus creatas eſſe, ita multò minus ex iis probari queat, præter formas rerum ſpecificas, eſſe conditas etiam alias, quæ ipſis ſint vice materiæ & pro ſubjecto, & ut pereuntibus ſpecificis remaneant, & veræ demum ſint facultatum & actionum auctores, hominique uſum neceſſarium præſtent, quæ commenta & ſacræ Scripturæ contraria, & à vera Philoſophia abhorrentia, in cerebellis Novatorum nuper nata ſunt. Tantum de origine iſtarum formarum & commento Sennertiano quo ſacrarum Literarum ſinceritatem & veritatem conſpuere non erubuit. Videamus nunc de propagatione earundem. De hac D. Sennertus inquit, quod formæ ſubordinatæ cum ſpecificis, & ut ſpecificæ multiplicantur & propagantur. Sed ſpecificæ per diviſionem ſui multiplicantur, ergo & ſubordinatæ. Verùm hujus opinionis falſitas & abſurditas ex diſputatione tertia, ad oculum & evidenter demonſtrata eſt. Neque enim anima mediante ſemine dividi poteſt, quod anima generantis non informatum fuit, nec pars corporis, unde nec apoſpaſma corporis & animæ (uti id cum & ex Epicuro Magiſtro ſuo Sennertus definit, lib. de Galen. cum Chym. conſenſ. & diſſen.)

dici & determinari poteſt ; neque forma ulla in ſe ipſam agere, ut ſe dividat laceretque, poteſt. De his ſuperius uberius.

XVI. Tranſimus ad examen ſecundæ opinionis de origine, formæ ſubordinatæ. Cum enim dubitet D. Sennert. an figmentum de origine formæ illius nitatur veritate & placere poſſet, alteram comminiſcitur & offert, de ejus proſapia, ortu & generatione opinionem, videlicet haud malè ſentire illum, qui ſtatuat formam ſpecificam, quæ fabricatur ſibi corpus & domicilium, & materiam diſponit, aliam formam inferiorem (ſubordinatam) producere, quæ ſibi in corpore diſpoſito ſit inſtar ſubjectæ materiæ: Quia videamus quod multa in corpore animato generentur quæ *ſuas habeant ſubſtantiales formas, per quas ſunt quod ſunt*, quales ſubſtantiæ ſunt lac, ſanguis, &c. quæ ſuas naturales formas proculdubio obtinent, eaſque ab anima accipiunt, non à craſi elementari, hæc ſunt verba D. Sennert. lib. 5. Inſtitut. p. 1. cap. 2.

XVII. Verùm in hac opinione nec regula, nec baſis valet, nec exemplum eſt accommodatum. Nititur enim falſa hypotheſi & falſo fundamento, videlicet quod anima etiam animantium corruptibilis actum habeat entitativum quo extra materiam & ſubjectũ cujus eſt entelechia exſiſtere poſſit, quodque actu illo exiſtens ſaltem inhæſivè non informativè operari queat, & conſtruere domicilium & generare partes corporis habentes formam ſubſtantialem, & exercere actus ſecundos antequam ipſamet ſit actus primus; quodque nulla forma ſubſtantialis ſola, tales priuſquam ſit actu forma corporis

exercere

exercere poſſit; neque enim generat fabricatque aliquid, niſi per organa corporea ; & hæ actiones ſunt ſuppoſitorum & compoſitorum, non componentium, ſubſtantiæque completæ non incompletæ, ut loquuntur. Exemplum non quadrat, quia lac, ſanguis, ſemen, non generantur à forma vel anima ſola extra organa corporis actu entitativo ut loquuntur novatores exiſtente, ſed à corpore animato.

XVIII. Tertio hac eorum opinione deſtruunt ſuum effatum, quo aſſerunt, nullam dari generationem æquivocam: & omne quod generatur generari à ſuo ſimili.

Quarto impugnant propriam opinionem, qua ſtatuunt omnem generationem fieri per diviſionem formæ generantis ; quia cum animal generat lac, ſanguinem, alioſque humores habentes (uti aſſerunt ipſi) ſuam formam ſubſtantialem ultimatam exiſtentialem & conſequēter ſpecificam, non fit generatio per diviſionem animæ generantis, nec univoca, nec ſimilis à ſimili.

Et quinto ex hoc, inevitabili neceſſitate coguntur concedere formas educi ex potentia materię, aut has ex nihilo naturaliter generari & fieri.

XIX. Demonſtrato hoc quod commentitia ſit omnis fictarum iſtarum formarum ſubordinata generatio , devolvimur ad examen officii quod eas præſtare comminiſcitur D. Sennertus.

XX. Triplex ille his adſignat munus: Primum eſt quod ſint commoda diſpoſitio materiæ, qua mediante forma ſpecifica inſit & inhæreat ſubjecto, atque ita vicem materiæ generant. Secundum ut ſint ſuperſtites pereunte forma ſpecifica , & re demor-

tuâ ad officium formale tranſeant, & rem poſt obitum rei & abitum animæ ad tempus conſervent. Tertiò ut ſint cauſæ occultarum qualitatum & per has exerceant actiones totius ſubſtantiæ Novatoribus dictas; & mirabilium facultatum auctores, mirabiles & magnas edant operationes.

XXI. Primum munus quod attinet, ex eodem abſurditatum novæ ſectæ & moroſophiæ Sennerto-Paracelſicæ pelago effluxit, quo cæteræ emanarunt. Materiæ enim diſpoſitio ad recipiendum, conſervandum, & miniſterium inſtrumentale formæ ſpecificæ & ultimatæ præſtandum, non eſt alia forma ſubſtantialis, quæ & ultimata eſſe & exſiſtentiam ſubjecto præſtare poſſit, ſed temperatura qualitatum: *Diſpoſitio enim non in forma quæ eſt ſubſtantia, ſed in qualitatibus conſiſtit, & ultima materiæ per idoneas qualitates diſpoſitio eſt quaſi formæ introductio.* Hac mediante educitur vel inducitur forma in materiam: hâc diſpoſitione qualitatum in materia periclitante, laborante aut pereunte, omnino excedit aut perit forma, quod ſufficienti apparatu materia deſtituta, ſubjectum fiat inidoneum pro ſuſtinenda forma, unde res ſi animata ſit moritur, inanimatum perit; Exemplo eſt ſanitas & morbus, quorum utrumque in accidentali & qualitativa diſpoſitione, non in forma conſiſtit. Hac diſpoſitione utitur omnis anima & forma pro inſtrumento proximo ad vitæ conſervationem, & ſubjecti actiones expediendas. Nulla ſiquidem forma ſubſtantialis

ſtantialis operatur ſine inſtrumento qualitatum, & nulla forma utitur alia forma pro inſtrumento, ſed qualitatibus. Harum opera vitam tuetur, actioneſque ad totius ſubjecti conſervationem perficit. His male conſtitutis res perit, & bene conſtitutis vivit & integra eſt. In his vita, ſanitas & morbus rerum viventium & animalium inſtrumentaliter, ſita.

Atque hæc antiquæ veritatis & veteris veræque Philoſophiæ inexpugnabilis & æternùm vera eſt ſententia.

XXII. Sennertianæ verò Philoſophiæ opinio, innumeris intricata, & pluribus referta eſt falſimoniis quàm comprehenſa verbis. Quemadmodum omnis forma ſpecifica immediatè informat materiam & non ineſt per ullam aliam formam ſubſtantialem mediatam, quę primò totam informat, & qua mediante forma ſpecifica demum inſit ſubjecto. *Res enim omnis conſtat ex actu & potentia, & ultima forma ſpecifica ultimam ſeu proximam potentiam explet & perficit, eamque actuat. Nullum enim inter actum & potentiam medium, quo mediante forma inſit: reſpiciunt enim ſeſe mutuo actus ultimatus & potentia ultima cuivis formæ propria; forma non habet formam, formæ non eſt forma, forma non informat formam, forma non actuat formam, una res duabus formis ſubſtantialibus, totum ſubjectum ſimul occupantibus, ſubſtare nequit.* Vide lector candide, hic iterum, uti ſemper, verum eſt, quod nullum paradoxum & dogma novę Sennerto-Paracelſicæ Philo-

Philoſophiæ poſſit poni vel adſtrui, niſi veteris Philoſophiæ principia convellantur & ſubvertantur.

XXIII. Verùm D. Sennertus lib. 6. prax. cap. 3. reponit quod una res poſſit duabus ſubſtare formis ſubſtantialibus, ſed non ſpecificis; rem omnem unam tantum habere formam ſpecificam, ſed plures habere ſubſtantiales. Reſponſio eſt facilis; nulla forma ſubſtantialis poteſt eſſe in toto ita ut toti inſit totumque occupet ſubjectum, & ſit ultimata vel ultima, fieri poſſit, quod ſimul totum informet forma ſpecifica: Rēs enim nulla duabus formis ſubſtantialibus ultimatis & exiſtentiam eidem ſubjecto toti, ſive uno ſive diverſo tempore tribuentibus, ſive utraque, ſive altera ſpecifica ſit, ſubeſſe nequit.

XXIV. Deinde falſa deſtinctio eſt D. Sennerti inter formam ſubſtantialem & ſpecificam; cum omnis forma, quæ rei cui ineſt exiſtentiam tribuere & ultimata ejus cui ineſt toti ſubjecto eſſe queat, ſit ſpecifica. *Omnis forma quæ dat exiſtentiam, etiam eſt ſpecifica. Quia plus pertinet ad dare exiſtentiam quam eſſentiam, quia forma generica dare poteſt eſſentiam ſed non exiſtentiam; & quæ dat exiſtentiam, neceſſario dat eſſentiam & differentiam & quidditatem & propria formæ.* Et ſane magna impoſtura & cavillatio D. Sennerti eſt, velle, ex eo quod Zabarella dicit rem continere formas univerſales & ſpecificas, concludere, ſpecificas formas ineſſe per alias formas ſubordinatas, quæ à ſpecifica genitæ ſint in ſubjecto, ut ſint diſpoſitio materiæ pro inhabitatione & incolatu ſpecificæ, & ſpecifica abolita maneant

in

in re & formale officium incipiant, & operationes mirabiliores, quas totius ſubſtantiæ actiones novatores vocant, perficiant. Non enim manet forma animalis pereunte homine vel leone, nec mirabiliores in ſubjecto operationes perficit, nec eſt à ſpecifica genita, nec ei ſubordinata, præcedit enim ſpecificam ut ſine ea non producatur ſpecies, nec ſpecifica eam tanquam materiæ diſpoſitionem gignit, neque ſic per illam ineſt, ut ſpecifica pereunte, illa univerſalis maneat & ſubjectum ſervet, fiatque ejus forma ultimata, actiones totius ſubſtantiæ edens. Vide lector nugas & impoſturas novæ ſectæ. Eadem ſubeſt fraus, cùm eo quod ſub forma ſpecifica in toto ſint formæ partium & elementorum idem concludere tentant, uti porrò videbimus. Quod verò dicit & reponit D. Sennertus cum ſuis conſecialibus, in una re plures poſſe formas ſubſtantiales ſub forma ſpecifica ultimata, quæ rei inſint & ea pereunte ſupereſſe poſſint, id nec ego nec ſanus quiſpiam negatum ibit. Sub forma enim animalis ſpecifica ſunt formæ partium corporis ſubſtantiales, quales ſunt oſſium, carnis, venarum & ſub his formæ elementorum; Verum nihil ad rem hæc reſponſio, & mera eſt impoſtura & captura ſimplicium. Quæſtio erat de forma ſubſtantiali non ſpecifica, quæ inſit toti & quæ mediante ſpecifica totum informet, totique inhæreat, quæque ſit apta diſpoſitio pro forma ſpecifica in toto, quæque pereunte forma ſpecifica, officium formæ in toto, cui undiquaque & penitus formaliter ineſt, recipiat & rem aliquamdiu, poſt corruptionem ſpecificæ formæ, (qua excedente jam erit cadaver factũ, uti de Rhabarbaro

barbaro ſuo inquit D. Sennertus) conſervet ; jam verò forma oſſis, carnis & partis cujuſcunque corporis, aut forma elementi. Primò non fuit forma ſubordinata , & diſpoſitio pro anima, forma oſſis, carnis, elementi, in toto corpore; neque pereunte anima & forma ſpecifica remanet in toto , neque formæ munus in toto quod jam cadaver factum eſt recipit. Supereſt itaque vel ſupereſſe poteſt ad tempus forma oſſis, carnis, venarum, ſed non ut totum, ſed ut partem cujus ſunt formæ, ſervent. Sic formæ elementorum ſemper ſuperſtites manent. Deinde Sennertus formam ſubordinatam ſpecificæ ait eſſe ſubſtantialem, ſed non ſpecificam. At hæ formæ partium non tantum ſunt ſubſtantiales, ſed & ſpecificæ ejus partis cujus ſunt formæ, ut D. Sennert. lib. de Galen. cum Chym. conſenſ. & diſſen. cap. 12. clarè docet. Et quis formas elementorum neget eſſe ſpecificas elementis. Proinde verùm eſt, formam ſpecificam poſſe eſſe in corpore in ſe habente plures formas ſubſtantiales, ſed per has vel unam vel plures toti ineſſe tanquam per diſpoſitionem & apparatum materiæ falſum eſt: neque ulli Ariſtotelicorum unquam in mentem venit, neque illa eſt mens Zabarellæ quam fraudulenter hic & alibi contra ejus mentem & verba diſerte allegat D. Sennertus lib. 6. prax. cap. 3.

XXV. Deinde cum Sennertus nullam ferè tradat de re aliqua doctrinam novam , in quâ ſibi non multoties contradicat, ut falſitas ejus melius appareat, idem quoque hic negligere non debuit. Nam primò, proximum & immediatum, proprium, adæquatum animæ ſeu formæ ſpecificæ ſubjectum lib. 1.

Inſtitut.

Inſtitut. cap. 5. dicit eſſe Calidum innatum: hoc eſſe οἰκείαν ὕλην; ait enim ibi fol. m. 30. *Calidum & humidũ innatum conſtituere proximum & immediatum ſubjectum, quod οἰκείως anima ſubjicitur, ut ſi corrumpatur ſubjectum hoc, animam ipſam è corpore migrare & vitam cum morte permutari neceſſum ſit.*

XXVI. Verum in Phyſica ſua ſeu epitome ſcientiæ naturalis lib. 3. cap. 3. fol m. 228. longe diverſum ſtatuit animæ ſubjectum, inquit enim *quod anima loco ſubjecti erat, erat forma miſtionis.* Et paulo poſt: *forma miſtionis in animato, reſpectu totius animati fere non erat loco forma, ſed ſubjecti potius & materiæ.* Et paulo poſt: *Ablata anima, forma miſtionis ſubit locum formæ ſpecificæ, &c.*

Horum omnium fœde immemor, & ſibi maxime & turpiter contrarius ſcribit & ſtatuit lib. 5. Inſtitut. part. 1. cap. 2. proximum animæ ſubjectum non eſſe calidum & humidum innatum, ſed immediatum formæ ſpecificæ ſubjectum eſſe illam formam quæ à ſpecifica ſit in ſubjecto genita, ut ſit commoda diſpoſitio & immediatum ſpecificæ ſubjectum, per quam inſit, & quæ abolita ſpecifica officium formæ arripiat, & operationes totius ſubſtantiæ quas forma non edidit, neque ab eadem dependent, exerceat. Calidi verò innati proximum ſubjectum eſſe formam illam ſubordinatam. Vide & ride amice lector D. Sennerti varias & contrarias de una re opiniones, ſiquidem modo ſubjectum animæ proximum eſt calidum & humidum innatum, modo forma miſtionis, modo non hæc ſed alia à forma ſpecifica genita, cujus immediatum ſit ſubjectum humidum & calidum innatum

natum quod antea proximum animæ ſtatuebat. Et ſic *Doctor Sennertus*

Eſt tantum conſtans in levitate ſua.

XXVII. Verum enimverò non ſaltem hæ contradictiones uberrimè arguunt falſitatis novitiam veteratoriæ ſectæ doctrinam, ſed & ipſa ſolida, æternum vera, veteris Philoſophiæ principia, eandem inſuper clarè demonſtrant. Ex illis hoc deſumitur. *Nulla forma ſpecifica perit vel ſubjectum deſerit, ſalva illa diſpoſitione per quam eidem ineſt.* Forma enim tum perit vel recedit cum diſpoſitio pro eâ retinenda interit, ſive eâ fuerit juxta D. Sennert. (quod tamen falſum eſt) alia ſubordinata forma, vel ex qualitatibus orta, neque enim aliter forma cui nihil contrarium, recedere aut interire poteſt.

XXVIII. Verum D. Sennert. pro novitia malè concepta opinionis falſitate lib. 6. Medic. prax. part. 1. cap. 3. repetitis fœdis ſuis coccyſmis aliter coloratis obſtrepere non deſinit, reclamando formam nobiliorem requirere materiam nobiliorem: Et ut formæ nobilitate inter ſe differunt ita & materiam à materia, quæ differentia neceſſe eſt ut inſit materię per formam, cum alioquin materia à materia non differat. Verum cæcutiens præ livore & deſperatione malæ cauſæ D. Sennert. multis modis hallucinatur & fallitur. Siquidem ratione originis omnes res ſublunares ex eadem ſunt materia elementari. Falſum proinde eſt formam nobiliorem requirere nobiliorem materiam: quod demonſtratur primum ex ſacro codice, deinde ipſius D. Sennerti teſtimonio, ex ſolida Philoſophia; Quandoquidem ex Elementari materia Deus Opt. Max. æquè humanum

corpus

corpus atque cæterarum beſtiarum condidiſſe teſtatur Scriptura. Corporali materia plane conveniunt, eaque omnibus una eſt ratione originis: Differt autem homo à beſtiis parte potiore, quæ forma & anima eſt. Illarum anima vi divina ex elementari materia producta & creata eſt, ut ſecundum corpus & animam ex elementis conſtent bruta & res cæteræ. Humana verò forma & anima rationalis, eſſentia ſpiritualis inſpirando creata & corpori infuſa junctaque eſt. Cujus verò originis eſt corpus in quod infudit creator animam; & ex quo illud fabrefecit? Scriptura diſertè dicit, quod illud formarit ex limo terræ; quo nomine homo pulvis dicitur, & in pulverem revertetur. Quæ autem in ſublunaribus dignior nobiliorque forma ſit vel eſſe poteſt quā anima humana? pro ſubjecto tamen habet eandem cum cæteris beſtiis & rebus viventibus & non viventibus materiam, ratione originis.

XXIX. Id ipſum ex ſolida Philoſophia confirmat D. Sennert. lib. 1. Inſtitut. cap. 5. ſub finem, quando cælum eandem cum ſublunaribus participare materiam contra Averrhoem cum Scaligero ſtatuit. Atqui nobiliſſima certe eſt cæli forma, adeò arctè hanc ſuam ſublunarem materiam ſibi devinciens; ut corruptionis naturalis ſit expers.

Sed & ipſe ſibi D. Sennertus in hac doctrina iterum, uti ubique, contrarius eſt & à ſe diſſentiens & inconſtans. Siquidem allegato cap. 5. lib. 1. Inſtit. Calidum innatum, quia ſit quinteſſentiale & non ex elementis ratione materiæ, facit ſubjectum proximum animarum. Paulò poſt dubitat, an ratione originis materialis ſit ex elementis, & aſſignat illi peculia-

rem formam per quam exerceat operationes elementorum natura nobiliores. Lib. verò 5. Inſtit. part. 1. cap. 2. tribuit huic Calido innato naturam ſimul quinteſſentialem & ſuperelementarem, nec tamen proximum eſſe formæ ſpecificæ ſubjectum concedit, ſed habere adhuc formam peculiarem ab anima ſeu forma ſpecificâ in ſe genitam, quæ materiæ vicem gerens ſit proximum & immediatum animæ ſubjectum, & diſpoſitio per quam inſit. Vide vanitatem, inconſtantiam, nugas, & vanas ſed inextricabiles juvenum ingeniis labyrinthos, rancidas contradictiones & horridas bonarum diſciplinarum corruptiones.

XXX. Sed & hic advertendum id eſt; quod ſi forma ſpecifica nobilior requirat nobiliorem materiam pro ſubjecto, & ſubjecti loco ſit forma alia materiæ vicem gerens, quæ materiam nobiliorem facit, ut ipſe teſtatur, cum per formam res ſit id quod eſt, atque eadem ipſomet docēte, poteſt, cum perit ſpecifica, cujus fuit immediatum ſubjectum, manere, imò maneat, ipſumque formale officium arripiat, remque ſpecifica decedente vel pereunte ſuſtineat & conſervet, uti de Rhabarbaro cujus ſpecifica forma periit, nugatur, neceſſum eſt nobiliſſimam formam ſpecificam, etiam præſtantiſſimam in materiâ pro ſubjecto immediato habere formam per quam inſit; quæ forma quo præſtantior eo & poſt abitum & obitum ſpecificè rem ipſam quam diutiſſimè faciet ſuperſtitem, & juxta Sennertum nobiliſſimas perficiet operationes.

Diſcedente itaque formâ humanâ, quæ omnium in inferioribus eſt nobiliſſimâ, & aliorum animantium

mantium formis manebit ſubordinata,corpus quod animatum fuit ſuſtentans & nobiliores ipſa anima actiones perficiens, uti fit in Rhabarbaro, ratione animæ mortuo & per formam ſubordinatam ſuperſtiti & mirabiles operationes exercenti:quid itaque homo, quid cætera animalia erunt poſt obitum? quid facient,quid muneris gerent D. Sennerte? Pudeat nugarum & vanitatum.

XXXI. Tandẽ,quod ait omnem formam nobiliorem requirere nobiliorem materiam, qua nobilior ſit & differat ab aliâ materiâ per formam peculiarem, ex qua forma materiæ ſit nobilitas,& per quam differat ab aliis materiis & ſit appropriata formæ ſpecificæ & nobiliori & οἰκεία ὕλη, quæque ſit ei ſubordinata& immediatũ ejuſdem ſubjectum,id omnino commentitium & nova novę ſectę abſurditas eſt.

XXXII. Si enim materia nobilis differt ab ignobili per formam,utraque formam habebit per quam differat: & ſi per eam formam materia eſt diſpoſita ad recipiendam formam aliam, neceſſum eſt nullam formam venire in materiam niſi quæ per formam aliam ſit diſpoſita, ut ſit capax & propria formæ. Requirit enim, dicente D. Sennerto, quælibet forma οἰκείαν ὕλην, & propriam ſibique peculiariter diſpoſitam materiam,quæ ſibi eſt ultimata cum quâ ſimul eſt & ſimul perit,l.5.Inſt.p.1.c.2. Hæc autem diſpoſitio & proprietas conſiſtit in forma materiæ, quâ ab alia materia differt.Quocircà forma requirit materiã appropriatã per formam materiæ, hæc forma ineſſe non poteſt niſi per aliam,neque hæc niſi per aliam,& ſic in infinitum currunt abſurditates&nugę Sennertianæ, ſi nulla forma recipitur niſi in materiam pro-

priam & ab alia differentem, quod veriſſimum eſt, & omnis proprietas & differentia materiæ ſit à peculiari forma materiæ, neceſſum eſt memoratam abſurditatem ſequi. Neque eſt quod excipiat ſe intelligere id de formis ſpecificis quod per alias inſint formis & talem requirant materiam informatam, cum omnis forma ſubſtantialis & ultimata ſit ſpecifica, & omnis forma quæ materiæ ultimæ tribuit differentiam eidem quoque tribuat ſpeciem, & eſſentiam, & exſiſtentiam & propria accidentia. Non enim materia rei ultimata à materia alia differt per peculiarem & diverſam à ſpecifica, quæ ei ineſt forma, & materia à materia non differt per formam, ſed corpus materiatum differt à corpore per ſuam propriam formam.

XXXIII. Tertio tollit hoc novæ falſitatis commẽtum omnem inter formam & materiam reſpectum; materiæ reſpectus ad formam eſt in potentia ejus eſſentiali & proxima ad hanc & non aliam formam: Et formæ reſpectus ad hanc materiam eſt propter eandem potentiam & ſuam ipſius naturam, qua hanc & non aliam explere, actuare & cum ea unum conſtituere poſſit. Actuat enim potentiam forma non actum materiæ, & ex actu & potentia fit unum, non ex duobus actubus & una materia.

XXXIV. Demum cum veriſſima ſit regula, quod nulla res ſubſtet & informetur duabus ſubſtantialibus formis ſimul, ita ut una (ſecundum Novatores) proximè informet materiam, & altera mediatè inſit per hanc materiæ, quarum illa ſit ſpecifica hæc ſubordinata (quia proxima & immediata ſemper ſit ſpecifica, nullaque alia per hanc ineſſe poſſit,) & quod

quod unius generatio ſit alterius corruptio, eamque formam quæ diſponat materiam ad nobiliorem capeſſendam, neceſſariò perit, cum ſuccedit nobilior, quod videre eſt in generatione ſanguinis: neque enim ſanguis generari poteſt niſi ex cibo fiat Chylus Chylique forma diſponat in qualitatibus materiam ut formam ſanguinis recipiat: neque tamen poſſet recipi forma ſanguinis, niſi aboleatur forma chyli, & non poſſet ex chylo fieri caro niſi per formam ſanguinis materia chyli diſponatur ad receptionem formæ carnis, & forma carnis educi non poſſet niſi pereunte forma ſanguinis; ita quacunque in materiâ, cui induci vel ex qua educi debet forma ultimata, formam ſubſtantialem toti inhærentem aboleri neceſſe eſt, *quia intus habens juxta Ariſtotelem prohibet alienum, & unius generatio eſt alterius corruptio*, & nulla materia ſimul ſemelque ſubſtat duabus formis ſubſtantialibus ultimatis totam ſimul materiam informantibus, tantum abeſt quod forma totius ſit diſpoſitio materiæ pro alia forma.

XXXV. Vnde igitur diſpoſitio illa, per quã quælibet materia fit ultimata & propria propriæ & peculiari ſuæ formæ? Non ſanè à forma ſubſtantiali, ſed à diſpoſitione qualitatum, quæ eo laboratior & perfectior eſt quo forma acquirenda nobilior eſt. Hæc autẽ diſpoſitio ad prꝯſtantiorem formam acquiritur multis antecedẽtibus formis, materiã elaborantibus & qualitates varias ex ea educentibus. *Siquidem ab extremo in extremum non fit tranſitus niſi per media.* Ex elementis non ſtatim generatur animal: ex iis enim generantur cibi, ex cibis chylus, ex chylo ſanguis, ex

ſanguine ſemen, ex ſemine & ſanguine corpus & anima brutorum.

XXXVI. Forma itaq; proximè ultimatam præcedens, non manet ut ſubjectum novæ formæ in materiâ, ſed relinquit ultimatam diſpoſitionem in materia pro recipienda forma nova. Sic in ovo eſt privatio formæ pulli cum potentia ad eandem, & forma ovi proximam ad formam pulli recipiendam relinquit diſpoſitionem, & *ultimata diſpoſitio eſt quaſi formæ (ex indubitata regula Philoſophorum) introductio.* Non poteſt introduci forma pulli, niſi removeatur forma ovi, & non poteſt fieri pullus niſi præcedat forma ovi, materiam pro forma pulli debitè inſtruens. In omni itaque generatione præcedit & ſequitur privatio. Formam præcedentem ſequitur privatio ſui, eademque præcedit ſequentem novam introducendam. Atque ita verum eſt contra Sennerto-Paracelſiſtas *quod generatio, uti definitur à Severino, non ſit progreſſus ab eſſe ad eſſe, ſed à non eſſe ad eſſe, quia unius generatio eſt alterius corruptio, & quod omne quod fit, fit ab illo quod eſt actu ex illo quod eſt potentia, & quod res aliæ ſunt actu, aliæ in potẽtia.* Quæ omnia vera & immobilia antiquitatis & veteris veritatis principia corruere neceſſum eſt, ſi Senn. ex Paracelſo derivata opinio ſit vera, quod omnia ſint actu, & quod generatur generetur per diviſionem formæ generantis; Sic e. omnis res generata, actu fuit in generante, ſola diviſione ab illo avulſa: nunquam fuit in potentia. Vide & ride lector quibus abſurditatibus collutulare & ſupprimere veterem Philoſophiam tentent novi novatores, & Sennerto-Paracelſici; *ex Paracelſo profluxit hæc novatorum opinio, ex eo enim & tota ſex fratrum Roſeæ crucis*

& Her-

& Hermeticorum proprie ſic dictorum & vagorum cinifloнum & VVeigelianorum, unde propediem, quia omnis error fæcundus, plures phantaſtæ prodibunt. Quod omnis forma novam inducat diſpoſitionem, pro forma ſequenti, donec ad ultimatam per varias mutationes deventum ſit, quodque per has elaboratur materia, ut nobiliſſimæ demum formæ οἰκεία & accommodata propriaque &, ultimum ſubjectum fieri poſſit, demonſtratum eſt. Omnis verò diſpoſitio eſt qualitas: at hæc qualitas in materia eſt, non quod fluxit ex eſſentia formæ, ſed quod operatione formæ ex materiæ potentia ſit educta & producta. Manet enim illa qualitas in materiâ, quod fieri non poſſet, ſi inſtar potentiarum animæ ex forma immediatè fluĕret, ſic enim abolita & recedente forma, qualitates in materia permanere non poſſent: Falſum itaque & ineptum eſt quod D. Sennert. cum nihil inveniat quod adverſus theſin meam 17. in diſputat. de morb. ſubſtantiæ poſitam, de origine qualitatum ex potentia materiæ oriundarum loquentem cornicatur, omnem qualitatem occultam vel manifeſtam vel cujuſcunque generis profluere ab ipſa formarum eſſentia, inſtar (ut poſtea pro exemplo ſubjicit) virtutis videndi, & memoriæ & imaginationis ab anima derivatæ.

Hujus effati Sennertiani ſeſquipedalem & abſurdiſſimam falſitatem ut demonſtremus, de qualitatum Origine paucis agemus;

DE ORIGINE ET CAVSIS *qualitatum tam occultarum quam manifeſtarum.*

XXXVII. VT de qualitatibus earumque natura & origine paucis juxta veteris Philoſophię decreta, contra Novatores &diſciplinarum rectarum corruptores diſſeramus, pro fundamento primum ponemus ſequentia indubitatę veritatis inevertibilia axiomata:

Subſtantia prior eſt accidentibus ſuis natura, cognitione & tempore juxta Ariſtotelem lib.7.Metaphyſ. *Omne accidens fluit à certa ſubſtantia, & nihil accidentaliter ineſſe poteſt, quod ſecundum eſſentiam non inſit alicui primo & per ſe, quod ἴδιον Græci vocant.* Scaliger. Exercitat. 10.

Omnis itaque accidentis cauſa eſt ſubſtantia, quæ eſt materia vel forma. Cauſam omnium qualitatum eſſe formam, qua de re noſtra hoc loco eſt quæſtio, in confeſſo eſt. *Formam verò non eſſe cauſam formalem, ſed effectricem accidentium pariter canon eſt. Nullum verò accidens poteſt eſſe de eſſentia alicujus ſubſtantiæ.*

Accidens eſt eſſentialiter ſubordinatum ſubſtantiæ in eſſe & conſequenter in actione. Tale verò eſt agere, quale eſt eſſe. At accidens eſt ens entis. Ergo *agere accidentis principaliter eſt ſubſtantiæ. Accidentis verò inſtrumentaliter. Accidens autem vim ſuam habet materialiter à ſubſtantiâ & propter ſubſtantiam, & ab illa per dimanationem naturalem.* Vnde regula, *quod accidens agit in virtute ſubſtantiæ,*

Prin-

XXXVIII. *Principium quod operatur eſt forma: Principium quo eſt accidens ſeu inſtrumentum. Cum itaque accidens ſuperiores ſua virtute actiones perficit, virtute principalis operatur. Cum ſibi ſimile vel ignobilius accidens producat, per ſe & propria virtute agit, quod perfectio effectus non excedit perfectionem accidentis quod principium agendi eſt.*

Notandum etiam ex Cardano de Subtil. lib. 1. de princip. rerum, *quod accidentia quædam pendeant à ſubſtantiis, ut lux, lumen, calor: quædam per quæ ſubſtantiæ ipſæ fiant, ut mixtio, actio, generatio; quædam quæ utriuſque ſunt generis, velut qualitates, quas vocant primas, calidum frigidum. Sunt & accidentium cauſa accidentia: &c.* hactenus Cardanus. Sunt itaque accidentium cauſæ; & ſunt cauſæ ſubſtantiarum videlicet inſtrumentales.

XXXIX. His præmiſſis examen Sennertianę opinionis aggrediemur: Ego qualitatũ materialium, de iis enim noſtra eſt quæſtio, cauſam efficientem dixeram eſſe formam, quatenus ex ſubjectæ materię potẽtia educat & generet qualitates ſibi convenientes. Hoc clamando & abſurditatis accuſando refutare conatur D. Sennert. opponens nullam qualitatem ſeu occultam ſeu manifeſtam oriri ex potentia materiæ primæ: Quia omnes fluant ab ipſarum formarum eſſentia. Hæc reſponſio conſtat nuda negatione & falſatione meę ſententiæ, nec affert ſolutionem meorum quæ produxeram pro defenſione meæ ſententiæ argumentorum, & demum nititur falſæ opinionis novitiâ regulâ, nec receptæ nec in ſcholis approbatæ oppoſitione.

XL. Quod enim inquit, me ſtatuere occultas &

manifeſtas qualitates omnes oriri ex potentia materiæ primę, id apertè mihi affingit: ſaltem enim de primarum elementarium qualitatum origine id affirmavi. Veram autem meam ſententiā de qualitatum cæterarum & potiſſimum occultarum ortu, & argumentum pro ea adductum, nec ille recitat nec refutat, ſed diſſimulat. Extat autem illa in diſputatione de morbis ſubſtantiæ ab ipſo allegata theſ. 18.

Quandoquidem verò meæ aſſertionis fundamentum nulla ratione evertere poſſet, quod priuſquam ſuam ſententiam proponeret, eum facere decuiſſet: novitiam quandam novę ſectę & manifeſtæ falſitatis regulam, pro ſolutione mei argumenti profert. Et hoc eſt D. Sennerto refutare veras opiniones, ſi eas criminetur, & falſas eſſe objiciat.

XLI. Eſt autem Sennerti regula talis: Qualitates manifeſtæ & occultæ fluunt ab ipſarum formarum eſſentia. Ratio hujus regulæ eſt prima; quod Deus non creavit formas, & animas, otioſas, ſed qualitatibus inſtructas, quas ſuo adæquato ſubjecto communicant, non materiæ primæ. Secunda eſt, quod vis videndi, & imaginatio & memoria & reliquæ qualitates animæ in animalibus non educuntur è potentia materiæ primæ.

Ad primam reſpondemus, quod Deus opt. max. uti formas animalium cæterarumque rerum ex ipſa materia elementari eduxit, quod ſuperius cū in hac ipſa tum uberius in ſecunda diſputatione hujus operis demonſtravimus, ita & qualitates formas conſequentes, ex eadē extraxit. Alia illa ratio à D. Senn. nō nudè ſaltē poni, ſed exponi & nobis reliquis, faſtigia & novitiæ ſectæ acumina & cacumina aſſequi non potētibus explicari debuit. Quin imò verior ejus intellectus

tellectus aperiri, cum multis ipſa obſcuritatibus & tenebris involuta & multis implicata ſit cõtroverſiis. Principiũ itaque adfert nõ ſaltẽ obſcurum, ſed maximè controverſum, quo ipſo hic nihil probare poſſit.

XLII. Verùm ut D.Senn. de origine & cauſa qualitatum omnium falſam produxiſſe opinionem demonſtrem, regulam hanc, Quod omnis qualitas fluat ex eſſentia formarum, quam ille tradit l.6.pract.Medi.p.1.cap.3. examinabimus, & videbimus an aliquæ & ſpecialiter quas ille allegat qualitates, oriantur fluendo ex eſſentiâ formarum: ſecundò an omnes promiſcuè qualitates oriantur & fluant ex eſſentia formarum: Tertiò, quomodo in hac ſententia ſibi conſtet, quoties ſibi pro more ſuo cõtradicat, cęteroſque in illa ejus errores, Deo benè dante, demõſtrabimus.

XLIII. Primo itaq; oportet ut nobis explicet, quomodo forma quæ indubiè & citra controverſiam eſt cauſa qualitatum omnium tam occultarũ quã manifeſtarũ, generet qualitates, ſiquidẽ non ſufficit dicere qualitates fluere ex eſſentia formarum; fient autem qualitates à formis, quod eſſentia qualitatũ materialiter fluat ex eſſentia formarum; & ſic formæ materiam ad generationem qualitatum conferunt, & hoc pacto quaſi univoce ab illis generentur: vel quod ab illis tanquã cauſis efficientibus æquivoce generẽtur.

XLIV. Verum qualitates profluere materialiter ex ipſis formis, earumque eſſentia, falſum eſt: quia nullum accidens eſt de eſſentiâ alicujus ſubſtantiæ. Deinde eſſentia formæ nunquam vertitur in accidens. Tertiò nullum formale agit in ſeipſum ut ex ſeipſo aliquid aliud & diverſæ eſſentiæ generet: accidens autem & ſubſtantia toto genere differunt. Dein ſequeretur formam eſſe dividuam & per

ſuæ eſſentię diviſionem generare accidentia. Quartò omnes qualitates proximè à formis genitę, vel quarum proximę & immediatę cauſæ ſunt formæ, fiunt ab illis actione per emanationẽ,uti calor à forma ignis. Omne verò agens per emanationem eſt æquivocum agẽs, teſte Zabarella lib. de motu graviũ & leviũ c.13, Ergo nõ veniunt nec generãtur qualitates ex eſſentia formarũ, ſed ab iis ex alia re generantur.

XLV. Omne quod fit, fit ab illo quod actu eſt ex eo quod potentia eſt. Si forma generat qualitates ex ſuâ eſſentia, neceſſum eſt, ut in actu ultimato formali ſit potentia paſſiva materialis ad accidens, imò ut forma ſit materia & actus ſit potentia, & actus ſubſtantialis habeat potentiam ad recipiendum actum accidentalem, vel ut vertatur in accidens, quod eſt abſurdum.

XLVI. Verùm D. Sennertus allegat potentias animę, & ait omnes cęteras qualitates fluere ex eſſentia formę, quemadmodum potentiæ animę dicuntur promanare ex ipſa anima.

Sed hic D. Senn. obſcurũ per obſcurum, & incertũ per incertũ & id de quo diſputamus eo ipſo de quo maximè diſputatur, & intricatiſſimis controverſiis eſt involutum, demonſtrare nititur. Nondum enim demonſtravit D. Sennertus potentias animę, quas ipſe eſſentitales vocat, eſſe qualitates re ipſa ab anima & inter ſe differentes. Etſi verò ſufficiat hic reſpondere, D. Sennert. per illud, quod per ſe crinomenon eſt, nihil demonſtrari poſſe contra me, & illi incumbat probare, potentias animę non eſſe de eſſentia animę ſeu ipſam animæ eſſentiam conſtituere: ſed eſſe accidentia ab anima re ipſa & toto genere diverſa,

diverſa,tamen aliquot proferam argumenta (proteſtando quod illam litem hac vice meam facere, atque huc perducere nolim: quęrat ſibi alia principia & alias D. Sennert. probationes dubii & controverſiæ expertes) quibus ſufficienter Scoti ſententia, contra Thomam & Zabarellam, Mercatum, alioſque in hac parte Thomiſtas defendi poſſit. Ante omnia hic præfari volumus propter calumniatores, nos hic agere de potentiis congenitis non introductis, ſeu qualitate potentiali introducta.

XLVII. Prima eſt ex Ariſtot. lib.1. de anima, ubi *potentias vocat animæ partes* (intellige poteſtativas) At partes ſunt de ſubſtantia totius. Idem l. 9. Metaphyſ. *Actū & potentiam ait eſſe ejuſdem generis.* Et Zabarella lib. de mente humana. cap. 9. teſtatur quod Philoſophus, cum nominat facultates quæ idem ſunt quod potentiæ, putet & deſignet & intelligat ipſam animā. Huc facit quod celeberrimus & acutiſſimus D. Arniſæus in diſputatione ſua de potentia & clariſſ. D. Iacobus Martini in Metaphyſ. Exercit. 3. theſ. 6. aſſerant, non omnem potentiam à ſubjecto & fundamento ſuo diſtingui, *quia definitiones potentiarum 9. Metaphyſ. cap. 2. ipſi etiam ſubſtantiæ & fundamento competant: Et in emanatione accidentium manifeſto conſpicitur ſubſtantiam agere immediatè*, niſi in cauſis eſſentialiter ſubordinatis velis procedere in infinitum, contra Ariſtot. 2. Metaphyſ. text. 6. Quodſi jam ſubſtantia producit accidens immediatè, producit autem per potentiam, oportet potentiam eſſe ipſam ſubſtantiam. Sic accidens πρώτως & propriè ſic dictum per emanationem, poſita ſubſtantia, & per reſultantiam ſequitur.

XLVIII. De-

XLVIII. Demum Iavellus 8. Metaphyſ.q. 7. ex octavo Metaph. T. 13. indemonſtrabile vocat hoc axioma, *quod ex actu & potentia fiat unum per ſe, ex accidenti verò & actu ſubſtantiali non fieri unum per ſe: unde neceſſario ſequitur potentias animæ ab ipſa per emanationem & reſultantiam productas revera eſſe idem cum ipſa anima, nec ſubjecto & re diſtingui, nec eſſe accidentia.* Quocirca Scotus has potentias cum ſubſtantiis ſuis ita conditas vult, ut non niſi ſecundum rationem ratiocinatam (barbarè loquendo ſed rem explicando) & non ex natura rei differant.

XLIX. Et fortiſſimè hoc probat: ſi anima non operatur niſi per potentias tanquam qualitates à ſe per emanationem productas, potentia intelligendi cæteræque in ſubjecto ſeu anima, erunt diſtinctæ ab ipſa anima. Atqui in anima humana, quatenus eſt à materia ſeparata, & quando non eſt actu forma corporis ſeu forma informans, actio idem eſt quod ſubſtantia. Quocirca ſi operatur anima per potentiam, potentia eſt ipſa anima nihilque differt ab anima: aut eadẽ operabitur non mediante & ſine potentia.

Et cum qualitates inſint ut ſint inſtrumenta ſubſtantiarũ ad actiones, certe ipſis ſubſtantiis in quibus actio eſt ipſa ſubſtãtia, & idem cum ſubſtantia, tales ineſſe nequeunt: ſubſtantiæ verò ejuſmodi ſunt ſpirituales eſſentiæ, in quarum numero eſt anima rationalis; in qua id, quãdo à corpore ſeparata fuit, eſt ſubſtantia, non erit accidens, cum ſit corpori immerſa.

Præterea cum in eſſentiis ſpiritualibus non detur compoſitio vel totius ex partibus, aut ſubſtantiæ cum accidentibus, ſed mera ibi ſit ſubſtantialis ener-

gia

gia quod ipſa actio ſit idem cum ſubſtantia, ſanè in iis non dantur potentiæ quæ ſint accidentia, & differant cùm ab ipſa, tum inter ſe.

In anima rationali potentia vegetativa & ſenſitiva illis dicitur eſſe accidens. Atqui in brutis & viventibus anima vegetativa & ſenſitiva ſunt diverſæ animæ & diverſæ ſubſtantiæ. Quod itaque in his eſt ſubſtantia, in anima rationali non erit accidens.

L. *Actio omnis in genere eſt ab anima: ſpecies actionis eſt ab organo: bonitas vel imbecillitas & depravatio ejus ab organi diſpoſitione.* Si itaque actiones animæ variant & determinantur in organis, & per eorum diſpoſitionem ritè perficiuntur, potentiæ iſtæ ſpeciales, quales videndi, audiendi, ſentiendi, ſpecialiter pendent ab organo, neque ab anima ſpecialiter deſcendunt, nec ab ea, nec inter ſe diſtinctæ ſunt ratione originis ex anima.

Quandoquidem eadem anima eſt in pede quæ in oculo, habens generalem talem potentiam qua quocunque loco corporis quod informat, ubi invenerit organum, itidem actionem iſtius organi edat. Si oculus eſſet in pede anima videret in pede, ſi cerebrum in calcaneo ſaperet in calcaneo. Animæ enim vis qua videt, audit, ſentit, movet, non eſt potentia ſpecialis in vel ab anima ſeparata vel diſtincta, ſed ſpecificatur in organo quolibet ab unâ anima totum æqualiter informante & generalem ad omnes actionum ſpecies virtutem habente, quæ determinatur in qualibet parte.

LI. Anima eſt entelechia totius & omnium

partium

partium&actus primus,& una eademque ſubſtantia præſtat actum primũ totumque informat, &omnes partes& mediante informatione in toto & omnibus partibus, omnis actus primus præſtat omnes actus ſecundos generali ſua virtute, quâ reſpicit omnes partes, in quibus illa ſpecialiter determinatur. Potentia vitalis,viſiva, auditoria, aliaque,ſunt in generali animę poteſtate & determinantur per actum primum corporis in ſuis organis: non eſt in anima peculiaris potentia ab ipſa anima diſtincta, neque ab alia eadem differens.

LII. Summa: Actio per emanationem immediatè procedit à forma. Qualitates verò immediatè à forma procedentes generantur actione per emanationem. Actio illis præſupponit potentiam activam & facultatem in re. Ergo potentia activa eſt ipſa forma & ſubſtantia. Animæ itaque potentia ab animæ ſubſtantia & eſſentia nihil differt.

Plura ad manus eſſent argumenta quibus ſolidè probari poſſet potentias animæ ab ipſa anima nihil differre, & idem eſſe cum anima, licet contra hanc ſententiam quam etiam Scotus amplectitur, ſit Thomas; & Zabarella hic potius Thomiſtam quàm Scotiſtam agat. Vbi advertendum Zabarellam in refutatione argumentorum Scoti, ſi ab eruditis res æqua lance examinetur, non ſatisfacere Scoto, nec convenienter reſpondere, quod haud dubie, ſi huc pertineret, commodè & ſine magna difficultate demonſtari poſſet. Sed hæc παρεργῶς.

LIII. Revertimur ad rem ipſam; ſi verum eſſet quod potentiæ quædam quales Philoſophis dicuntur primæ, ab ipſarum formarum eſſentiâ fluerent & fierent

fierent & eſſent hoc.pacto accidentia & qualitates, tamen falſo ex hoc concludit, & inane conſectarium ducit, ſtatuitque omnes cujuſcunque generis tam occultas quam manifeſtas qualitates ex eſſentia formarum profluere. Indubitatò verum eſt, omnis qualitatis non formalem ſed effectricem cauſam eſſe formam: idque vel mediatè vel immediatè. Forma dum immediatè generat qualitates, id præſtat actione per emanationē: quali modo ignis forma generat calorē in ſubjecta ſua materia, qui calor eſt accidens non pendens ſive fluens ex eſſentia formæ ignis, alioquin forma ignis eſſet calidum quid, & haberet frigus contrarium. Atqui talis generatio eſt æquivoca, uti ex Zabarella ſuperius definitum eſt. Æquivocè agens non generat ex ſua eſſentia, uti de univoçè agente (ſed falſo) prædicant novatores. Mediate forma generat qualitates, per inſtrumenta qualitatum aliarum, & etiam à ſe immediatè genitarum. Et hic valet regula, *quod nulla forma ſubſtantialis operetur niſi per qualitates.* Hic qualitas (inſtrumentaliter) generat qualitatem, eamque vel ſibi ſimilem & ſuæ ſpeciei, vel diverſam: ſic calor generat calorem ut ſibi ſpecie ſimilem, & qualitates ſecundas, & qualitates chyli in chylo & ſanguinis in ſanguine. Primæ itaque qualitates generant univocè ſibi ſimiles, & æquivocè alias in rebus. Sunt enim primæ cæterarum omnium fere fundamenta ratione cauſalitatis inſtrumentalis.

LIV. Qualitas qualitatem generat vel ſeipſam in aliud ſubjectum diffundendo & propagando, vel ex ſubjectæ materiæ potentia educendo. Non generat ſeipſam eandemque numero propagando & diffun-

dendo quia teſte D. Sennert. lib. 5. Inſtitut. part. 1. cap. 2. *nulla qualitas tranſit (eadem numero) niſi cum ſuo ſubjecto.* Ergo generatur ab alia per eductionem ex ſubjectæ materiæ potentia.

Hinc Zabarella ex Alberto ait, omnem formam (accidentalem intelligit, non ſubſtantialem uti veteratoriè & falſo hunc locum allegavit D. Sennert. lib. de Galen. cum Chym. conſenſ. & diſſenſ. cap. 9.) eſſe multiplicativam ſui ipſius, vel realiter, vel ſpiritaliter. quatuor primas qualitates utroque modo agere. Quod calor calorem realem in alia materia producat, & etiam ſpeciem ſpiritalem in medio & organa ſenſus tactus. Et paulo poſt. Duplicem hanc actionem diſtinguens Albertus dicit, aliud eſſe producere formam in materia, aliud eſſe producere formam tantum. Etenim producere formam in materia eſſe materialiter agere & producere alteram formam ſimilem materialem. Forma enim materialis à materiâ in qua recipitur, pendet in eſſe & in conſervari, non ab agente niſi ſolum in fieri. Et tali actione activa non ſunt alia accidentia, quæ ob id activa vocantur. Producere autem formam tantum, non formam in materia eſt ſpiritalem ſpeciem producere.

LV. Ex his luce meridiana clarius apparet, nullamqualitatem materialem ex eſſentia formæ profluendo gigni, ſiquidem nec ipſæ quæ immediatè à formis actione per emanationem dicta generantur, ex eſſentia formę profluunt, & æquivocè producuntur. Et quæ mediate à formis per alias qualitates generantur, ex eſſentia formæ produci nequeunt. Calor ignis cum in alio ſubjecto generet calorem, nec ſubje-

ſubjectum ſuum in quo hæret, multo minus formam ſuam à quâ dependet, eò transfert. Nec magnes per affrictum communicans chalybi vel ferro vim trahendi aliud ferrum, communicat formam ſuam, ſed qualitatem ferri tractricem in eo producit.

LVI. Vnde igitur & ex quo forma generat qualitatem, cum vel immediatè actione per emanationem utens, in proprio ſubjecto, vel per qualitatem ſuam generat aliam qualitatem in alio ſubjecto. Vnde inquam? Non ex ſuâ eſſentiâ, ut demonſtratum eſt; non ex nihilo. Ergo ex materiæ potentia. Atque illud erat argumentum meum de ortu qualitatum cujuſcunque generis, in diſputatione de morbis ſubſtantiæ theſ. 18. ad quod cum reſpondere debebat D. Sennert. tacitè præterit.

LVII. Tempeſtivum nunc eſt, ut procedamus ad argumentum D. Sennerti quo probare nititur, potentias fluere ab eſſentia formarum. Potentiæ ſunt primæ vel ſecundę: de primis vidimus, reſtat ut ſecundarum naturam, & an ex formarum eſſentia immediate fluant, pervideamus. Vbi primò notanda novatio termini à Sennerto facti, errorem ſecum ducens. Ipſe enim diſtinguit potentiam in eſſentialem & naturalem lib. 6. prax. Med. cap. 3. fol. 21. eſſentialem immediatè fluere à forma ſpecifica ait, & ſicut forma ipſa nec mutatur, nec gradus recipit, eſſe immutabilem: ſine naturali verò nec in actum deduci, nec vim ad agendum habere. *Potentiam naturalem, ait eſſe accidens quoddam ſubjecti quod permutari poſſit cum impotentia naturali.* Verùm hęc diſtinctio vana & receptę Philoſophorum diſciplinę contraria eſt; potentia enim quam ille eſſentialem vocat, tam

eſt naturalis atque illa quam ille naturalem appellat. Quocirca clariſſimus D. Iacobus Martini lib. 2. Metaphyſ. fol. 1025. cum cæteris Philoſophis Ariſtotelicis dividit potentiam naturalem in primam & ſecundam. Primam dicit immediatè profluere ex forma ſubjecti, qualis eſt potentia in homine ad intelligendum, dependens ab anima rationali, & ſentiendi ab anima vegetativa.

LVIII. Potentia naturalis ſecunda ipſi definitur, quod ſit certa diſpoſitio temperamenti & organorum, per quam prima illa producitur in actum; hoc pacto ad viſionem perficiendam non ſufficit potentia prima videndi animæ, ſed requiritur primùm ipſum organum in quo generalis potentia animæ determinetur, quod eſt oculus. ſecundò diſpoſitio oculi per quam bene vel malè videt animal, ut ad hanc qualitatis ſpeciem naturalis potentia & impotentia, ſanitas & morbus referatur.

LIX. Hic primò notandum, quomodo novatores in novis conſtituendis ſuis regulis delirent; Deindè ex hac ipſiuſmet D. Sennerti diſtinctione manifeſta apparet falſitas opinionis novatorum, qua omnem qualitatem tam manifeſtam quam occultam, & tam mediatè quam immediatè ex actione per emanationem à forma genitam, ex eſſentia formæ profluere ſcribit.

Potentia ſanè naturalis & impotentia ex diſpoſitione & temperie organi dependens non profluit ex eſſentia formæ vel animæ animantis. Examinemus rem juxta ipſum D. Sennert. in conſideratione naturæ ſanitatis & morbi. D. Sennert. lib. 1. Inſtitut. cap. 3. partium conſtitutionem diſtinguit in eſſentialem

tialem & accidentalem; eſſentialem, ait, pendere ex materia & forma ſubſtantiali, à quibus compoſitum ſuam naturam & eſſentiam habet: Accidentalem verò ait eſſe qualitatum accidentiumque aliarum in ſingulis partibus diſpoſitionem, proximum organum per quod forma eſſentialis ſit efficax, omneſq; actiones exerceat & diverſimodè agat. Vnde ipſi ſanitas definitur quod ſit potentia, actiones quæ ſecundum naturam ſunt, exercendi, à partium naturalium conſtitutione proveniens: In eodem genere & ſubjecto ait lib. 2. Inſtitut. part. 1. cap. 1. collocandum eſſe morbum, qui ſit accidens in genere qualitatis quemadmodum ſanitas, quod contraria ſunt ejuſdem generis & ſubjecti: Vnde ait morbum rectè definiri, quod ſit impotentia actiones partium naturales exercendi, ab earum conſtitutione præter naturam proveniens.

LX. Alia itaque eſt Philoſophis potentia prima, quæ provenit à forma, alia quæ à diſpoſitione ſubjecti, in quâ morbus & ſanitas conſiſtit. Ad hanc refertur uti proximam cauſam potentia ſecunda naturalis, & impotentia naturalis. Potentiam hanc ſecundam, & ipſam ex qua illa dependet diſpoſitionem, eſſe qualitatem ipſo etiam auctore certum eſt. De hac potentia Galen. l. 3. de ſympt. cauſ. c. 1. *quod eſſentia facultatum conſiſtat in temperie.* Et lib. de præſag. ex pulſ. inquit: *Facultatis eſſentia in ſingularum partium commodo temperamento poſita eſt: nam tum demum quæque ſtrenuè ſuum munus obit, ubi eſt temperatiſſima; contrà male fungitur, ſi intemperata.*

Atque hæc potentia ſecunda & diſpoſitio organi nec ab anima dependet, nec ab ipſius eſſentia fluit,

eſtque variabilis & mutabilis: animæ verò eſſentia & potentiæ,ipſo aſſerente, nulli mutationi ſunt obnoxiæ. Trifœtida itaque falſimonia eſt,quod D.Sennert. livore & calumniandi libidine cæcutiens, aſſerere non erubeſcit lib.6.prax.p.1.c.3.fol.17.tam occultas quam manifeſtas,& cujuſcunque generis qualitates ex eſſentia formarum fluere.

LXI. Sed conſideremus qualitates corporales in univerſum. Illæ ſunt manifeſtæ vel occultæ: de manifeſtis vidimus: excutiamus originem occultarum. In occultis qualitatibus ait etiam conſiſtere morbū: morbū verò omnem eſſe impotentiam agendi. impotentiæ cauſam refert ad diſpoſitionem accidentalem. Ita certos cibos averſari & ab iis ſumptis gravius affici, ait eſſe ab impotentia naturali, quę proveniat à certo & peculiari ventriculi diſpoſitione, ut docet lib. 6. prax part. 1. capit. 3. folio.22.

Ex his luce meridiana clarius apparet, occultas hujus generis qualitates in animalibus (de iis enim agimus impræſentiarum) non pendere ab anima, neque ab illius eſſentia defluere. Vnde & loco proximè citato fol. 19. ait occultas qualitates quibuſdam individuis propriis & hinc ortas ſympathias, quæ toti ſpeciei non ſunt communes ad potentiam & impotentiam naturalem, ab individui corporis peculiari conſtitutione dependentem, eſſe referendam.

Cum itaque potentia & impotentia naturalis referatur ad potentiam ſecundam, & hæc oriatur ex certa temperie & diſpoſitione partis: nulla verò talis diſpoſitio ex anima vel formæ eſſentia profluat, clariſſimè patet & convincitur, hujus generis occul-

tas

tas qualitates etiam non profluere ex eſſentia formæ. Quod enim ex eſſentia formæ defluit, illud immediatè à forma dependet, atqui talis naturæ non ſunt hæ qualitates: Sed tales eſſe prædicantur Sennerto (ſed falſo) qualitates eſſentiales, quas à naturalibus diſtinguit. Vnde igitur qualitates occultæ hujus generis? Non ex eſſentia formæ, non ex nihilo: Ergo ex potentia materiæ productæ.

LXII. Sed ut veriorem ſententiam de occultarum qualitatum origine eruamus, excutiendum fuerit Chaos illud abſurditatum & contradictionum pelagus quod Sennertus lib. 6. prax. p. 1. c. 3. invehit, ut lectori & rudioribus oculos perſtringat. Quinque ibi diverſas ratione ſubjecti & originis occultarum qualitatum claſſes facit.

LXIII. Prima eſt earum quæ inſunt viventibus, & ſunt omnibus ejuſdem ſpeciei individuis propriæ: ſaltēque in viventibus iis reperiuntur, & in demortuis eorum corporibus non amplius reperiuntur. Talis eſt qualitas occulta in Remora piſce & Torpedine & Baſiliſco: quæ in demortuis cum vita extinguitur. Neque enim Torpedo mortua torporem amplius inducit, ſed veſca eſt; neque Baſiliſcus extinctus, nocendi vires ulteriores poſſidet. Has à ſpecificis viventium formis provenire aſſerit. Secundum genus illi etiam eſt in viventibus, ſed non omnibus ejuſdem ſpeciei individuis: ita alii averſantur caſeum, aut certa ciborum genera, aut feles, mures & ſimilia. Harum cauſam non eſſe formam ſpecificam; ſic enim omnibus ejus ſpeciei individuis communes forent, ſed peculiarem corporis proprietatem & diſpoſitionem eſſe aſſerit.

Tertiæ claſſis ſunt occultæ rerum inanimatarum qualitates, quarum cauſæ ſunt formæ illarum ſpecificæ. Talis vis eſt in magnete, quâ trahit ferrum, & in cæteris gemmis, metallis & mineralibus.

Quartæ claſſis ſunt occultæ proprietates rerum naturalium quæ antea vixerunt, ſed non amplius vivunt: hæ ſunt in demortuis corporibus ſeu rerum cadaveribus: non enim animalia & plantæ vivæ veniunt in ûſum. Ita cadaver Rhabarbari purgare ait, l. 5. Inſtitut. par. 1. cap. 2. Huc trahit pæoniam, ſcordium, mechoacanam, cornu cervi, cranium humanum, quod ait adverſus epilepſiam valere, & cineres cancrorum, pulverem bufonis exſiccati, &c.

Quintæ claſſis qualitates occultæ ſunt rerum quæ ſecundum naturam in viventibus tam animalibus quam plantis generantur. Tales ſunt venenum ſerpentis, aſpidis, tarrantulæ, & item lapis Bezoar, zibettum, caſtoreum, & ſucci, lacrimæ & gummi, qualia aloë, ſcammoneum, euphorbium, gummi guttæ, opium, ſuccus cicutæ.

Sextæ claſſis occultas qualitates facit, eas quæ in viventibus præter naturam generantur. Talis eſt in veneno rabidi canis, & aliorum rabidorum animalium.

LXIV. His ordine & candidè ex D. Sennerto recitatis, primo quid in genere de cauſa occultarum qualitatum ſenſerit & ſcripſerit D. Sennert: deinde quid de cujuſcunque in ſpecie cauſa dixerit, videbimus.

Primo dicit lib. 6. prax. part. 1. cap. 3. fol. 17. omnem qualitatem ſeu occultam ſeu manifeſtam fluere

ab

ab eſſentia ipſarum formarum. Ergo omnem qualitatis cauſam ſtatuit formam; quod eodem capite fol. 23. confirmat, cum inquit: Omnis qualitas præſupponit formam; unde concludit, qualitates rerum demortuarum pendere ex forma quadam demortua. & ibidem fol. 18. ait: *Omnes rerum naturalium proprietates ſuis ſubjectis per formas à quibus fluunt, inſunt.*

LXV. Hic in genere duo ſunt notanda, primò falſitas, ſecundò aliquot contradictiones. Falſitas in hoc conſiſtit, quod nulla qualitatum materialium præciſe de his tantum loquendo fluat ab eſſentia formæ; generantur enim qualitates à forma non univocè, alioquin eſſent quoque formæ; nec ex eſſentia formarum, quia cauſa efficiens non generat per communicationem ſuę eſſentiæ individualis, ut falſo garriunt novatores, ſed æquivoce: quocirca fiunt ex formis vel ex nihilo vel ex ſubjectæ materiæ potentia, idque uti ſupra dictum vel mediatè, quales quæ actione per emanationem, vel mediantibus aliis qualitatibus producuntur.

LXVI. Contradictiones in tradenda ſua, de qualitatibus occultis, doctrina, non unas, admodum ineptè & ſui immemor producit.

Prima eſt, quod cum hic tum alibi occultam qualitatem dicat eſſe & oriri à forma, tamen in inſtitutionibus lib. 1. cap. 5. fol. m. 34. ſympathias & antipathias aliaſque nobiliſſimas actiones ſpiritui inſito, quin imo vim purgandi, veneno reſiſtendi, corpus veneno inficiendi, eidem ſeu calido innato adſcribat, non formæ, quia hæc in demortuis & anima carentibus reperiantur. Clarius idem inculcat lib. 6.

prax.part. 1.cap.3.fol. 18.& 19. ubi diſtinguit materiam in remotam quæ ſunt elementa,& ultimam, & mediatam. Proxima non niſi uni formæ ſubſtantiali ſubjicitur & ſpecificæ, & cum hac ſupereſt & perit: hac ſalvâ manet anima: illâ abolitâ anima aboletur vel abſcedit. Talis in animalibus eſt corpus Calido innato perfuſum (in Inſtitutionum lib. 1. c. 8. dicit ipſum Calidum innatum eſſe proximum & immediatum animæ ſubjectum) quo mutato emoritur animal: in plantis eſſe quod ei calori reſpondeat, licet calor influens actu non percipiatur ; deficiente tamen hoc humido alimentali plantam emori. Tertiò eſt illi materia quædam media, quæ forma ſpecifica non amplius præſente manere poteſt , quam Calidum innatum præcipuè in viventibus conſtituit, à quâ illæ in plantis & animalibus non amplius viventibus medicamentorum petitorum vires fluunt. Huc facit quod alibi & in tract.de Calido innato per Sperlingerum ſuum edito fol.45.ait, Calidum innatum in omnibus actionibus ſeſe non habere inſtrumentaliter licet animæ inſerviat in actionibus vitalibus & naturalibus. Quia anima rationalis per mumiam, per cranium, per cutem poſt hominum mortem, mortem depellere non tentet.

LXVII. Hic, lector candide, obſervabis confuſiſſimum opinionum Chaos, præterquam enim quod elementa hic ſtatuit materiam calidi innati remotiorem , quod ubique antea negavit & plane illud non eſſe ex elementis originaliter ſtatuit, materiam mediam ab ultima & proxima quæ formæ ſpecificæ ſubjicitur in plantis & animalibus differre ait; cùm utrobique tamen dicat eandem eſſe Calidum innatum

tum in viventibus & animalibus. Hac ſalva animam manere, hac abolita animam aboleri inquit, & ſui mox oblitus Calidum innatum (quam nunc vocat materiam mediam) forma ſpecifica non amplius præſente manere poſſe, in plantis & animalibus demortuis, in quo, poſt mortem plantæ & animalis, vires medicamentorum, uti purgandi, venenis reſiſtendi, epilepſiam curandi, ſuperſint.

LXVIII. Primo itaque cum dicit mediatam materiam & ſubjectum formæ ſpecificæ, in animalibus eſſe Calidum innatum, manifeſtè ſibi contradicit: cum immediatum animæ in viventibus domicilium & ſubjectum velit eſſe hoc Calidum innatum, uti contendit lib. 1. Inſt. c. 5. & multis aliis in locis, quæ brevitatis cauſa allegare ſuperſedeo.

LXIX. Manifeſtè ſibi contradicit in hoc, quod animam viventium tam animalium quam plantarum ſalvo calore nativo poſſe aboleri & abſcedere ſtatuat, cum tamen paulò antè dixerit materiam proximam non niſi uni formæ ſubſtantiali & ſpecificæ ſubjici, cum quâ ſimul ſit & ſimul intereat forma. Et hanc materiam eſſe corpus Calido innato & influente perfuſum in animalibus & plantis, licet in his calor influens actu non percipiatur, perire tamen deſtitutas idoneo ſuo ſubjecto humido alimentari, quod Sennerto eſt ſuperelementaris eſſentiæ lib. 1. Inſtit. c. 5. & humidum radicale ſpiritusque inſitus ſeu Calidum innatum plantarum intelligitur.

LXX. Manifeſtiſſimè omnium ſibi contradicit in hoc, quod occultas qualitates à materia media quæ ſit humidum & Calidum innatum quod ſuperſtes eſſe poſſe ait in viventibus, tam plantis quam animalibus,

libus, remota & defuncta eorum forma ſpecifica, occultaſque vires dependere aſſerit, cum tamen omnem qualitatem tam manifeſtam quam occultam à forma provenire antea aſſeruerit. Vbi iterum animadvertenda ejus inconſtantia & turpis contradictio, quod occultas qualitates quas lib. 1. inſtitut. c. 5. à Calido innato, quia ſit ſuper elementaris naturæ, dependere aiebat, lib. 5. Inſtitut. p. 1. c. 2. à forma quadam ſpecificæ ſubordinata, in Calido innato quod ejus proximum (non animæ ut ante quoque dixit) ſubjectum ſit, fieri ſtatuat.

LXXI. Demum vana eſt, neque in viro conſtanti & erudito toleranda contradictio, cum omnes qualitates tam occultas quam manifeſtas, ait oriri à formis, & nihilominus potentias & impotentias naturales & in his occultas qualitates non formis ſed corporis individui & partium corporis certis diſpoſitionibus adſcribit: ita quod quidam averſentur certos cibos & ad caſeum nauſeent, id ab impotentia naturali & peculiari naturali diſpoſitione provenire ſcribit. Potentia autem & impotentia naturalis, quæ Philoſophis uſitato vocatur potentia ſecunda à certa diſpoſitione, quæ qualitas eſt, dependet. Sed de hac re ſuperius uberius actum.

LXXII. Cum vero D. Sennert. velit omnem qualitatem produci à forma licet ſæpe in hoc ſibi contradixerit, videndum quam putet formam & quomodo in deſignanda hac forma ſibi conſtet. lib. 2. Inſt. part. 1. c. 4. ſcribit. Quamvis in rebus naturalibus formæ omnes actiones determinent, tamen quia qualitates elementorum à quibus manifeſtæ

illæ

illæ calefaciendi, refrigerandi, humectandi, & ſiccandi actiones fluant à forma rei ſpecifica & eſſentiali non pendent , non appellantur à tota rei ſubſtantia : *Sed illæ tantum actiones à tota rei ſubſtantia fieri dicuntur, quæ manent ab occultis proprietatibus, quarum proxima & unica cauſa eſt forma rei ſpecifica.*

Huic è diametro contrarium docet lib. 5. inſtit. pag.1.cap.2. ubi occultarum qualitatum & mirabilium facultatum & operationum & actionum à tota ſubſtantia cauſam ſtatuit non formâm ſpecificam, ſed aliam ei ſubordinatam quâ pro ſubjecto utatur, quæ ſpecifica abolita & defuncta formale officium aggrediatur, & in Calido innato, quod pro immediato ſubjecto habet, generet occultas qualitates, & mirabilium operationum & actionum, quæ totius ſubſtantiæ nominentur novatoribus , ſit cauſa.

Verum quam hæc barbara, abſurda, abſona & fabuloſa ſit opinio paulò ante ad oculum demonſtravimus.

LXXIII. Et ut novarum D. Sennerti opinionum nulla poteſt ſine negatione & convulſione receptorum indubiæ veritatis principiorum conſiſtere, ita neque hæc de origine qualitatum occultarum à forma ſubordinata dependentium ſine labe veritatis produci queat. Regula autem & principium ſolidæ veteriſque Philoſophiæ hoc eſt. *quod forma ſpecifica dat eſſentiam & ſpecificam differentiam & qualitates proprias & formales, ad quas referuntur occultæ.*

Omnem autem qualitatem dependere ab aliqua forma ut cauſa efficiente, certum eſt; omnem etiam

partis

partis corporis formam eſſe ſubſtantialem, ipſe D. Sennert. lib. de Galen. cum Chym. conſenſ.& diſſen. imo & ſpecificam docet eſſe ibidem cap. 12. fol. m. 348. Quæ itaque propter certas diſpoſitiones oriuntur partium, eas à forma earundem dependere, omnino verum eſt: Hæc autem qualitas talis eſt, ut ſine ſubjecti corruptione formæque interitu adeſſe vel abeſſe queat, ut videmus in iis qui nauſeant ad caſeum, vel certos cibos: & cum tempore mutatâ illâ qualitate adſueſcunt eorundem uſui: quocirca nec ægri ſunt cum averſantur ejuſmodi res, nec ſaneſcunt cum ceſſat eorum faſtidium. Neque enim omnis impotentia naturalis eſt à morbo; & illa ſaltem inter res præter & contra naturam referenda quæ ex diſpoſitione morboſa dependet. Poſſe etiam alias induci qualitates in corpus quæ à forma ſpecifica corporis non dependeant, omnino verum eſt. Poſſunt enim manifeſtæ intendi uti in febribus calor & ſiccitas & per venena induci & gigni qualitates venenatas: ſed hæ tamen omnes à ſua ſpecifica dependent forma, quæ propagat ſuas qualitates, quatenus in alio ſubjecto ſimiles producit. Prout itaque qualitas venenata inducitur corpori per venenum, ita & per Alexipharmacum generatur in eo qualitas veneno reſiſtens, quomodo Mithridates adverſus venena ſe munivit, nulla enim qualitas eadem numero de ſubjecto in ſubjectum migrat.

LXXIV. Cum itaque omnis qualitas dicente D. Sennerto lib.6.prax.p.1.c.3.fol.m. 25. præſupponat formam: quæcunque illa ſit in corpore, ab aliqua forma ex ſubjecta materia eſt producta; ſive præfuerit illa qualitas in materia corporis, uti elementorum

torum qualitates, quæ ab eorundem formis dependent & per illas inſunt: ſive per alias ſupervenientes ſpecialiores formas, aut intermedias in materia genitæ ſint, ſive hæ formæ ſint ſpecificæ totius ſive ſubſtantiales & ſpecificæ partium, ſive extrinſecus ab aliarum rerum formis mediantibus ſuis qualitatibus inductæ & eductæ, qualiter fit à venenis vel alexipharmacis; Generatur itaque omnis qualitas, ſeu occulta ſeu manifeſta, à forma ſpecifica.

LXXV. Sed revertamur ad qualitates quas D. Sennertus ad ordinem vel claſſem quartam retulit. Has ait eſſe in rebus naturalibus quæ antea vixerant, ſed jam non amplius vivant. Quales paſſim ait apparere in plantis & animalibus, quibus loco medicamētorum utimur; apparet enim quod vivis animalibus & plantis non utamur in medicina: pro exemplo adfert cornua alcis ad epilepſiam utilia, & cornu cervi & os de cornu cervi, contra venena; & cranium humanum contra epilepſiam, & Rhabarbarum, elleborumque habens vim purgandi, & radices pæoniæ tenentes virtutem contra epileſiam.

LXXVI. Harum rerum vires commemoratas eſſe ait D. Sennertus in rebus jam demortuis nec amplius vivis. Ita ait cadaver Rhabarbari purgare (lib. 5. inſt. p. cap. 2. fol. mihi 808.) non ipſum Rhabarbarum, neque enim cadaver Rhabarbari eſt Rhabarbarum. Nulla enim ipſi planta vivens venit in uſum: cum autem nulla qualitas & virtus inſit cuipiam rei niſi per aliquam formam, peculiarem commentus eſt formam per quam hæc qualitas inſit rerum cadaveribus, vel demortuis rebus. Hæc dicitur illi ſubordinata cum ſpecificâ initio creata & deinceps

ceps propagata, vel ab eadem in ſubjecto genita ut ſpecificæ, dum res in vivis eſt, ſit ſubjectum & materia proxima, per quam toti corpori inſit, & inhæreat, eaque pereunte formale officium relicti corporis ſeu cadaveris arripiat, & in illo generet qualitates occultas, & admirandas quæ ſunt actionum totius ſubſtantiæ cauſæ. Hanc formam proximè ineſſe Calido innato eamque pro materia propria, & immediata habere & in illa has qualitates producere & cum illa ſeparari poſſe, ut quintam eſſentiam conſtituat, docet.

LXXVII. In qua opinione primò ingens notanda abſurditas; ait enim animam rei ſeu toti corpori ineſſe. Vt revera & merito eſt, ineſſe verò ei per hanc formam ſubordinatam; Ergo & illam toti ineſſe oportet, ſiquidem per illam anima inſit, & illa quidem toti inſit. Atqui D. Sennert. lib. 6. prax. p. 1. cap. 3. fol. 25. ait formam hanc ſubordinatam quæ remanet anima pereunte, non habere pro ſubjecto totum corpus ſed partem ejus, quæ eſt Calidum innatum, cum quo ita arctè hæret, ut cum illo ſeparari à toto & quintam eſſentiam conſtituere poſſit. Ex quo ſequitur animam & formam ſpecificam totum illud corpus cujus fuit anima, ſecundum omnes partes non informaſſe, videlicet illas, quas ſubordinata forma non occupavit, vel illam formam ſubordinatam non fuiſſe adæquatum ſubjectum & materiam proximam formæ ſubjectam per omnes corporis totius ab anima informati partes. Vel animam informàſſe aliquas partes hac mediante ſubordinata, & aliquas immediatè, vel aliquam partem fuiſſe informem: quæ omnia cum abſurda ſint, meritò abſurdior

dior eſt commentitia & phantaſtica opinio Sennerti; unde hæ abſurditates neceſſariâ conſequentiâ profluunt.

LXXVIII. Verum æqualis abſurditas & falſitas oritur ex poſitione exemplorum diſſimilimorum quæ adducit. Refert enim qualitates oſſis de corde cervi, cornu cervi, ungulæ alcis & ſimilium ad eas quas in quarta claſſe qualitatũm occultarum ſtatuit.

Harum cauſam dicit non eſſe formam ſpecificam, neque ab illa dependere, ſed eſſe jam dictam ſubordinatam quæ fuerit οἰκεία ὕλη ſpecificæ & ſubjectum formæ ſpecificæ in toto ſubjecto, & materia per quam illa informavit & inhæſit toti. Verum cum quælibet pars corporis habeat formam ſuam ſubſtantialem, uti & ipſe D. Sennert. in Tract. de Gal. cum Chym. conſenſ. & diſſenſ. docet & per ſubordinatum ſuum Sperling. in tract. de formar. origine fol. 5. & pluribus in eo locis tradit, & per hanc formam cujuſlibet partis peculiarem & ſpecificam ſeu harum partium formas, ſeu ſimul omnes vel aliquas anima non inhæſerit, vel informarit totum, ſanè qualitas illa occulta non eſt in ungula alcis, cornu cervi &c. Deinde ſtatuendum foret, formam totius ſpecificam ineſſe per ſubordinatam & ſubordinatam per harum partium formas, quia forma ineſt per formam, quod quælibet forma requirit materiam ab alia differentem, & materia à materia differat per formam; & ſic in infinitum juxta D. Sennert. lib. 6. prax. p. 1. cap. 3. Aut deſtructo toto formam totius ſubordinatam manere in parte qualibet cadaveris animantis, quemadmodum manſit in cadavere Rhabarbari ejuſque qualibet parte. Et ut Rhabarbarum

eſt ſuperſtes per formam ſubordinatam, ita & animal quodvis demortuum ſit ſuperſtes per ſuam formam ſubordinatam, in toto corpore officium formæ præſtans, & admirandas actiones (quales ſunt in cornu cervi, ungula alcis &c) efficiens poſt obitum & abitum formæ ſpecificæ. Et ſi illa virtus ſit à forma ſubordinata, & hæc ſit in toto corpore ſeu illis partibus quæ calidum humidumque nativum habent, juxta illos. habent autem omnes quatenus vivunt vel vixerunt, atque id per omnes animalis partes ſit diffuſum, neceſſum eſt non ungulam alcis, non cornu cervi, ſed carnem, venas, omneſque partes iſtius corporis iſta virtute præditas eſſe, quemadmodum Rhabarbarum in qualibet totius corporis parte continet vim purgandi, licet etiam (uti ajunt) in minutiſſimum dividatur pulverem.

LXXIX. Et demum ex hac nugaci opinione ſequitur, partium formas ſubſtantiales quas etiam ſpecificas facit D. Sennert. loco citato, non eſſe cauſas ſuarum qualitatum & propriarum accidentium, & eſſe ocioſas; ſed cum id ſit falſum, ſequitur virtutem ungulæ alcis non à forma ſubordinata, quę inſit omnibus ex æquo partibus per Calidum innatum, ſed per propriam formam ſubſtantialem, quæ ei ſpecifica & ultimata eſt, ineſſe.

Accedit demum jam ante notata & commemorata contradictio, quod D. Sennert. illas qualitates libro 1. Inſtitut. cap. 5. non deduxerit & oriundas eſſe dixerit à formis ullis, ſed à Calido innato & ſpiritu inſito quatenus ſunt materia naturæ ſuperelementaris.

LXXX. Demum videndum nunc an vis purgandi

gandi pendeat & oriatur à formâ ſpecificâ Rhabarbari vel an cadaver Rhabarbari purget. Si cadaver Rhabarbari purgare dicatur, cadaver autem rei non ſit amplius res ipſa, quia perdita eſſentia ſpecifica rei, omnino eſſentia perit, unde cadaver Rhabarbari non amplius eſt ipſum Rhabarbarum, barbarè ſtatuit Rhabarbarum purgare, qui ei quod amplius Rhabarbarum non eſt, ſpecificamque Rhabarbari formam depoſuit, eâque exûtum jam cadaver factum eſt, vires purgandi adſcribat & purgare dicat.

LXXXI. Vanum proinde eſt quærere an Rhabarbarum, Mechoaca, folia Senæ & ſimilia purgent, quia Rhabarbarum, Mechoaca, Sena non amplius ſunt id quod eſſe dicuntur, ſeu non ſunt amplius Rhabarbarum, Mechoaca, Sena.

Succeſſit enim alia forma, quæ ſubjectum fuit & materia formæ ſpecificæ, quæque ea excedente & pereunte formale officium arripuit. Quod autem eſt illud officium? videlicet generare qualitates proprias occultaſque & inde producere admirandas potentias & facultates, quibus actiones totius ſubſtantiæ (novatoribus dictas) efficiat. Hæc itaque forma eſt ultimata reique exiſtentiam tribuit & tuetur. Quæcunque forma eſt ultimata & rei exiſtentiam tribuere nata eſt, & inſuper proprias ingenerat qualitates, ea ſpecifica eſt; hæc enim ſunt de natura formæ ſpecificæ. Adde quod omnis corruptio fit vel in ſua principia, vel eſt cum nova generatione conjuncta, cum res vivens corrumpitur in ſua principia tum fit cadaver quod in elementa deinceps diſſolvitur. Si verò in locum prioris formæ ſuccedat alia forma, illud ſubjectum quod recepit ſuccedentem formam

non eſt cadaver rei prioris; ita pullus non eſt cadaver ovi, nec vermis ex equo mortuo natus eſt cadaver equi. Proindè Rhabarbari materia, dum pereunte formâ ſpecificâ aliam accipit formam formale officium in toto perficientem, non eſt cadaver Rhabarbari; Res enim propriam & ultimatam habens formam, quæ ei exiſtere jam largitur, & proprias qualitates ingenerat, & actiones mirandas operatur, ea cadaver nec ratione formæ præcedentis nec ratione ſui eſt vel dici poteſt, quod cadaver ut cadaver nullam habeat formam, qualitates ſpecificas generantem, & actiones quas elementorum conditionem ſuperare ait D. Sennertus edentem, exiſtentiam tribuentem, quæ omnia formæ ſpecificæ munia ſunt propria, licet ei in Phyſ. tribuat D. Sennertus formam ex elementaribus formis conſutã, qualis miſti ut miſti, quæ tamen non eſt talis naturæ qualem hanc vult eſſe, quę illi ſubordinata dicitur, quod eam ſuperelementaris conditionis fecerit, cujus omnes eſſe ſtatuit quotquot non ſunt ex harum coalitu natæ; tales verò ait eſſe formas miſtorum quâ miſta ſunt. Et ſanè ubi una pereunte formâ ſuccedit altera, formale officium perficiens unius corruptio eſt alterius generatio, quod fit cum res non corrumpitur in cadaver & ex hoc in ſua principia, ſed materia quæ prioris formæ fuit ſubjectum, recipit aliam formam quæ novus ipſius actus eſt, & ἐντελέχεια.

LXXXII. Sed & ex eo liquidò liquet, Rhabarbarum, quo utimur pro purgante; quodque vires purgandi adhuc habet, non eſſe cadaver Rhabarbari: quod omne id quod vivit, vivat beneficio ca-

lidi

lidi innati, quod οἰκεία ὕλη eſt animæ in viventibus, ut ait D. Sennertus libro ſexto prax. capite tertio, folio. 18. & 19. *cum quo ipſa ſimul eſt & ſimul interit.* ſic libro primo Inſtitutionum cap. quinto fol. mihi 30. *ait vitam animatarum conſiſtere in calido & humido innato, & hæc duo eſſe proprium animæ domicilium, & humidum quidem mediatum, calidum verò innatum immediatum & proximum quod οἰκείως animæ ſubjicitur, ut ſi hoc ſubjectum corrumpatur animam ipſam è corpore migrare & cum morte permutare neceſſe ſit*, hactenus D. Sennertus.

LXXXIII. Quod ſi ita ſit, ut humidum ſit mediatum ſubjectum animæ & immediatum calidum ipſum innatum, juxta D. Sennertum, ſanè ipſe ſibi vehementer abſurdeque contradicit, cum Libro quinto Inſtitutionum parte 1. cap. ſecundo, folio m. 812. ſtatuit immediatum ſubjectum formæ ſubordinatæ eſſe ſpiritum inſitum calidumque nativum & humidum radicale, quod in demortuis animalibus & plantis ſupereſt, & in hiſce balſamum naturale vocatur. Siquidem calidum animæ ſubjectum proximum & immediatum, humidum vero mediatum ibi dicebat, & hic Calidum innatum, immediatum Subjectum formæ ſubordinatæ, mediatum verò animæ, & formam ſubordinatam immediatum animæ ſubjectum ponat.

LXXXIV. Nec minoris momenti contradictio eſt, quod poſito hoc ſubjecto caloris nativi, eoque ſalvo, animam & vitam poni & corrupto ſeu perdito perdi; & animâ pereunte vitâ calidumque innatum haut ſupereſſe, ſed ſimul perire, ſimulque ſtare

 decer-

decernit, & hic è contrario ſuperſtite & ſalvo calore nativo & humido primigenio, plantarum proprio, plantas poſſe mori & fieri cadavera ſcribere non erubeſcat.

LXXXV. Verum ut res vivens vivit per calorem innatum, ita moritur per ejus exſtinctionem & corruptionem, & ut vita eſt per integritatem caloris nativi (inſtrumentaliter) ita mors eſt per exſtinctionem & corruptionem caloris nativi; & cum per mortem res vivens fit cadaver, & mors obrepit per exſtinctionem & corruptionem Calidi innati, ſalvo calore innato ſpirituque inſito & humido primigenio, in quibus vita conſiſtit, teſte D. Sennerto, & quibus poſitis ponitur & corruptis perit, nulla res poteſt fieri vel eſſe vel dici cadaver. Quid enim abſurdius quam ſtatuere rem mortuam & cadaver eſſe, ſalvo calore nativo, cùm mors oboriatur per exſtinctionem caloris nativi, in cujus integritate vita conſiſtit. Sed in novâ Sennerti Philoſophiâ & ſecta Sennerto-paracelſica defenditur, vitam perire & fieri cadaver ſive adſit ſive abſit Calidum innatum.

Quod perfrictâ & depudicatâ fronte contra ipſam veritatem ejuſque regulas immobiles, & orthodoxæ antiquitatis conſenſum, novæ ſectæ pullaſter & Ganymedes Sennertianus Sperlingerus, perque illum ipſe D. Sennertus in tractatu de Calido innato contra me ab illis conſarcinato fol. 61. ſcribere ſuſtinuit.

LXXXVI. Sed ex his omnibus jam ſatis liquet, Rhabarbarum ipſum purgare, non quatenus eſt cadaver, ſed quatenus adhuc formam ſuam habet, per

quam

quam eſt Rhabarbarum, à qua & eſſentia & ſpecifica ejus differentia & proprię qualitates dependent. Vbi enim ſunt operationes peculiares & qualitates propriæ earum actionum immediatè cauſæ, ibi ipſam cauſam ſpecificam eſſe neceſſe eſt. Et ut tritici ſemen, quo veſcimur, mortuum non eſt neque cadaver eſt, teſte Scaligero, ita Rhabarbarum quo utimur cadaver non eſt.

LXXXVII. Ordo nunc poſtulat ut examinemus ſextam occultarum qualitatum Claſſem, quo refert malignos & venenatos humores, qui in corporibus animalium præter naturam generantur, in quorum cenſu ſunt venenum canis rabidi, ſcorpionum, ſerpentum, peſtilens, elephantiacum, D. Sennert. lib. 6. prax. p. 2. cap. 2. 3. an & quomodo venenati humores in corpore noſtro generentur explicare molitur, cũ rejectis ſolidæ & antiquæ veritatis & optimorum auctorum ſententiis infallibilibus ſua adducit paradoxa, eaque his verbis introducit, fol. ibidem 92. cum ergo quomodo venenum in corpore noſtro generetur nondum explicatum videam, tentandum, an hęc glacies frangi, eâque fractâ in veritatis pelagus perveniri poſſit. Cum autem omnis error qui in corruptionibus corporis noſtri fit, vel efficienti vel materiæ adſcribendus ſit: Ab efficiẽte quidem tale quid fieri poſſe aliquando, concedo, ſed rarius, ubi ſcilicet antea à veneno maligna aliqua qualitas & diſpoſitio corpori vel parti alicui impreſſa eſt, quæ affluentes humores ſibi ſimili diſpoſitione inficit & corrumpit.

Frequentiſſimè verò venenatos humores in corpore noſtro generari poſſe puto materiæ ratione.

Cum enim in ſingulis coctionibus novæ miſtiones fiant, neque formâ unâ ſublatâ, omnes ſubordinatæ pereant, neque (utor verbis Octaviani Roboreti, Medici Tridentini de febr. petech. cap. ſeptimo, ne ſolus novator videar) in qualibet rei mutatione & corruptione fiat reſolutio ad materiam primam: verùm quando aliquid corrumpitur, forma tantum, determinatumque illius formæ, quæ corrumpi dicitur, temperamentum ſeu ſubjectum cum ſuis accidentibus pereat; aliæ verò formæ ſubordinatæ cum propriis ſuis quoque accidentibus integræ manere poſſint: accidit ut ſæpe aliqua forma manifeſtetur & ſeſe exſerere incipiat, quæ antea latebat. Hactenus Doctor Sennertus.

LXXXVIII. Statuit itaque venena in corpore noſtro generari vi cauſæ efficientis vel materiæ, ratione cauſæ efficientis quando à veneno maligna qualitas & diſpoſitio corpori vel parti impreſſa affluentes humores ſimili diſpoſitione inficit & corrumpit. Inquinatio autem hæc & corruptio illi fit, quod omnis forma ſit ſui multiplicativa per diviſionem. Vide, candide lector, quomodo falſa ſua & nova ſed rancida & abſurda principia in uſum ducere, & pro doctrinæ ſuæ fundamentis in novâ ſectâ ponere non erubeſcat. Niſi enim formarum hanc multiplicationem per ſui diviſionem hic & ubique adſtruat, generationem æquivocam & productionem formarum ex potentiâ materiæ admittere cõgitur; Verum rancidum hoc & ſcuticâ dignum

dignum novæ ſectæ axioma, ſecunda & tertia diſputatione exploſum & evectum eſt, ut ejus vanitatem hic amplius demonſtrare ſit ſupervacaneum.

LXXXIX. In generatione veneni quæ fit ex multiplicatione formæ per ſui diviſionem, forma Veneni transfertur cum vel ſine ſubjecto. Cum ſubjecto, ſi transfertur totum vel pars, nihil generatur novi: Si de ſubjecto in ſubjectum demigret forma, neque enim pars formæ ſine parte ſubjecti emigrare poteſt, venenum generans privatur ſua forma & deſinit eſſe venenum: Vel forma veneni multiplicatur per diviſionem ſine ſubjecto, quomodo D. Sennertus vult multiplicationem & propagationem illarum fieri: Hoc ſi fiat, forma primò eſt diviſibilis, quod ſine ſubjecti ejus parte dividatur & fiat apoſpaſma & tranſeat: ſi cum parte ſubjecti forma tranſit, venenum non generatur in corpore ſed inde defertur, quæſtio verò eſt de eo: quomodo venena generentur in corpore.

XC. Verum nobis nocere nequit venenum, niſi humores & ſubſtantiam ipſam corrumpat & in ſuam quaſi naturam convertat, aut ſaltem niſi ſuas qualitates eidem ingeneret & imprimat: *Quia omne agens, etiam Doctore D. Sennerto teſte in Phyſic. libro tertio, capite ſecundo, folio mihi 216. agendo cupit ſibi ſimile reddere patiens, eandemque ipſi naturam & eundem actum tribuere; &* vetus

& vetus atque indubitatæ ſit veritatis regula, *quod omne alterans aſſimilet ſibi alteratum vel qualitate vel ſubſtantiâ, corrumpit ergo dum ſibi ſimile reddit*. Simile ſibi reddit generando in corpore formam ſuam aut qualitates venenatas. Exigua enim, inquit Galenus libro primo de ſem. capite 16. portio deleterii veneni totam celeriter mutat corporis ſubſtantiam: ſed quomodo immutat? Sanè non introducendo ſuas eaſdem qualitates numero, quia D. Sennert. inquit lib. 5. Inſtit. p. 1. c. 2. nulla qualitas tranſit, vel emigrat ſine ſubjecto: Ergo multo minus (uti jam demonſtratum eſt) Forma ſubjecti à qua illa qualitas dependet. Cum itaque forma non propagetur per diviſionem ſui immediatam, vel emigrationem de ſubjecto in ſubjectum, quod fieri non poſſet ſine proprii ſubjecti corruptione & tota veneni generantis deſtructione: Et ſi cum ſubjecto dividatur & ſic immittatur pars diviſa, non fiet generatio veneni in corpore, ſed veneni generati immiſſio: quod niſi ſubſtantiam & qualitates corporis alteret ſibique ſimile procreet, venenum in corpore noſtro non generat, ſequitur quod per modum multiplicationis formarum, & hac ratione ab efficiente cauſa, non generetur venenum, vel in continente corpore vel ejus partibus, vel in contentis humoribus & ſpiritibus.

XCI. Quæritur itaque quomodo corporis noſtri ſubſtantia fiat venenata, aut veneni naturam aut qualitates contrahat, & quomodo ex ſanguine & ſemine fiat & generetur venenum? Ad quod rectè reſpondetur, Quod velut omne agens agat ut ſibi ſimi-

le

le reddat patiens, & omne alterans aſſimilet ſibi alteratum qualitate vel ſubſtantiâ, ita venenum non ſuas eaſdem numero qualitates corpori communicando & humoribus, vel in id transfundendo; non formam ſuam totam vel partem per diviſionem transferendo in corpus & humores, generet in corpore ſimilia ſibi venena; ſed ſimiles ſibi qualitates numero diverſas in diverſo ſubjecto producendo, & ſibi ſimilem formam educendo & generando, generet in corpore venenum, & corpus humoreſque venenatos reddit. Id verò non aliter præſtare poteſt, quam ex ſubjecti potentia ſimiles qualitates & formam educendo. Cujus ſententiæ veritas ſudes eſt in oculis D. Sennerti & conſocialium, & interitus novæ rancidæque regulæ de nova formarum propagatione.

XCII. Hactenus vidimus, quomodo vi cauſæ efficientis D. Sennertus annixus ſit docere qualiter in corpore generentur venena, idque ex novæ ſuæ ſectæ regulis & fundamentis falſiſſimis: reſtat ut diſpiciamus quo pacto ratione materiæ ſomniet in corpore noſtro generari venena. Hic duas profert opiniones: prima eſt, quod venena inſint; quia res una poſſit habere multas formas ſubordinatas, ex quarum numero ſit venenorum forma vel ſubſtantia; formas verò ſubordinatas recedente priore cui ſuberant, venire ad actionem, vel, ut alibi loquitur, ad officium formale. Et ſic, quod primò notabis lector, non generatur in corpore animalis quod veneno inficitur venenum, ſed præfuit in materia corporis noſtri venenum; & cum nulla

forma

forma ſubordinata veniat ad actionem vel formale officium (juxta novæ ſectæ placita) niſi ſpecifica cui ſuberat prius fuerit defuncta vel receſſerit, ſequitur nullum animal, dum adhuc vivit & ſpecificâ ſuâ potitur formâ veneno infici, ſed tunc demum quando priore vel ſuperiore aut ſpecifica forma, cui ſuberat ſubordinata, perierit: tunc enim forma aliis ſubordinata actiones ſuas exſerit, alioquin homo ſemper paſſionibus ex veneno torqueretur, niſi priorum & ſuperiorum formarum dominio coercerentur; quia ſemper hæ in corpore præfuerunt formæ ſubordinatæ.

XCIII. Altera opinio eſt, quod humores & corpus noſtrum conſtent ſimul ex veneno ut principio materiali, quod dum cæteris miſtum ſit, & corpus ipſum adhuc integrum, nec per corruptionem in partes ſuas materiales ex quibus conſtet, ſolutum ſit, non noceat nulloſque ſuæ virulentiæ actus exſerat: verùm ubi per putredinem & corruptionem corpus fuerit ſolutum, quod tum demum à partibus ſuis ſegregatum & ſui juris factum venenum ſæviat & venenatas nocendi vires exſerat, naturamque noſtram depeculetur & corrumpat.

XCIIII. Vbi primò notandum, quod D. Sennertus iterum, ut ſemper, antiquitatis veritati obſtrepens, & paradoxologus & novator ſtatuat, venena per corruptionem humorum vel corporis in corpore non generari, vel fieri ex corruptione rerum ſubſtantiali, vel qu[illegible]tiva, ſed jam antea actu

cor-

corpori inhærentia ſoluto per corruptionem in partes unde compoſitum erat & conſtabat totum, produci: At quæſtio erat, quomodo venenum in corpore generetur: quod generatur in corpore, id actu non præfuit in corpore, neque fuit ejus pars materialis.

Deinde hoc pacto non poteſt corpus infici veneno quin prius totum vel pars veneno infecta, ſit in ſua principia per corruptionem reſoluta, ut ſic pars venenata, ex qua conſtabat vim operandi & virulentiam ſuam exſerendi conſequatur. Et ſic nullum corpus vivum & antequam plene in ſua principia reſolvatur fit venenatum vel veneno corripitur.

XCV. Et ſi ex his ſufficienter & luce meridiana clarius appareat, novitatum Sennertianarum falſitas, tamen penetratius rem, in gratiam Lectoris excutiemus, & novorum D. Sennerti novæque ſectæ principiorum vanitatem ob oculos ponemus.

Corpus compoſitum per miſtionem plurium genitum, cum perit, ſolvitur in ſua principia materialia, ex quibus erat compoſitum. Principia illa materialia ex quibus generatur, actu eſſe oportet antequam res ex iis generetur, & in eadem rem ex iis generatam reſolvi oportet cum perit. Principia illa ſunt conſtitutiva & eſſentialia corpori ex principiis generato: qualis itaque eſt materia, tale materiatum; qualia materiæ principia eſſentialia,

talis

talis eſt eſſentia corporis. Loquimur verò hic de materia immanente, non tranſeunte: Sic enim D. Senn. in auctario Epit. Phyſic. c. 1. fol. 15. diſtinguit materiam. Immanens materia eſt quæ ſub qualibet mutatione ſubſtantiali manet, & in quæ res ubi corrumpitur, ſine novæ formæ aſſumptione, deperit: talis materia ſunt Elementa corporis miſti. Tranſiens illi eſt quæ non manet in re effectu, ſed mutatur & aliam accipit formam, ita quidem ut priorem recipere non poſſit. Ita cibus eſt materia chyli, chylus ſanguinis, ſanguis corporis humani. Principia verò rerum naturalium ipſi ſunt duplicia, alia communia, quæ omnibus ex æquo inſunt; alia propria quæ cuique rei peculiaria ſunt. Communia principia eſſe materiam immanentem dicit, & de illa veram eſſe regulam: *Res qualibet reſolvitur in ea, è quibus conſtat.* Quocirca loco citato fol. 28. theſi 38. concludit, miſcibilia communia manere in miſto, proxima verò generationis principia in animato omni manere nulla. In his enim, inquit D. Senn. nomen & natura & definitio mutatur, quia totum mutetur in totum, ut ſanguis in carnem & proinde regreſſus & reſolutio non datur ad proxima principia. Ita ex ovo fit pullus, & omnia ovi in pullum mutantur, omnemque potentiam amiſerunt, quâ regreſſus fieri & ex pullo iterum ovum fieri poſſit.

XCVI. Hactenus D. Sennert. in Auctar. Epitom. Phyſ. cap. 1. fol. 18. theſi 38. Proinde tenendum rem omnem naturalem generari per miſtionem: miſtio enim & generatio, dicente D. Senn. lib de Gal. cum Chym. conſenſ. & diſſ. cap. 12. fol. mihi 349. parum differũt, & certe nulla generatio illi fit ſine miſtione.

Miſtionis

Miſtionis materia illi ſunt, fol. ibid. 352. elementa, quæ verè, propter qualitates, in quibus excellit calor ſunt corpora miſcibilia, quia miſtio juxta Ariſtotelem eſt miſcibilium alteratorum unio. Calor verò juxta Sennert. in Epito. Scient. natural. lib. 3. c. fol. mihi 236. & 237. omne miſtum generat per conjunctionem & definitionem humidi cum ſicco. aitque eandem generationis & conſervationis miſti eſſe cauſam, & tam diu miſtum in ſuo ſtatu naturali durare, quamdiu debita & juſta humidi & ſicci permiſtio ſub juſti caloris dominio perſiſtit: ut itaque à calore generatur miſtum per miſcibilium alteratorum & colligatorum unionem, perque eundem conſervatur, ita illo pereunte & exeunte, omne corporis miſtum, & omne corpus naturale perit: deficiente & corrupto calore oritur putredo. Res itaque omnis naturalis (in recto tamen ſenſu uſurpatis verbis naturalis & violenti) naturaliter perit ex putredine & violenter per combuſtionem. Vti enim mixtum generatur per ſyncriſin Elementorum & humidi cum ſicco, opera caloris, eoque conſervatur; ita perit per diacriſin miſcibilium corporum ſeu Elementorum, pereunte calore emphyto ſyncriſin totius conſervante. Cum itaque res nulla generetur niſi per miſtionem, & miſcibilium nulla alia ſit materia quam Elementa, neceſſum eſt rem omnem ex Elementis generari; & in ea tanquam omnis miſtionis partes, per putredinem reſolvi.

XCVII. Res itaque omnis naturalis compoſita, per putredinem in illa reſolvitur principia ex corruptione caloris, ex quibus opera ejuſdem caloris per miſtionem erat generata, &, deinceps conſervata.

Nullum

Nullum miſtum generatur niſi ex Elementis, & ſola Elementa ſunt materia miſtorum corporum, neque calor alterius generis quam elementaria corpora miſcere poteſt, neque in alia agere, quia juxta D. Sennert. contraria in ſe agentia ſunt unius generis & ejuſdem ſubjecti: Nullum corpus ſublunare compoſitum eſt, quod non ſit per miſtionem genitum. Imò D. Sennert. tria principiah Cymicorũ dicit eſſe prima miſta; Ergo omne corpus ſublunare ex elementis conſtat & componitur, & in illa reſolvitur, tanquam immanentem.

XCVIII.. Hinc verum eſt, quod res quęlibet in ea reſolvitur ex quibus componitur: quæ regula dextrè intelligenda propter novatorum, omnes diſciplinas corrumpentium, falſam explicationem. Non in quod quidq; proximè reſolvitur ex eo erat compoſitum, ut partibus materialibus, ut in eas reſolveretur, neq; id ex quo quid proximè generatur, ex eo erat compoſitum. Siquidem lac ſolvitur in tres partes, videlicet ir caſeum, butyrum & ſerum, neq; tamẽ ex his partibu proximè ſed ex ſanguine generatur, in quo nec caſe ũs, nec ſerum, nec butyrum. Neque ex ſanguine prius generatur lac, butyrum & caſeus, ut ex horun mixtione generetur lac, ſed cum generatur lac e ſanguine, talis producitur ſubſtantia quæ per ſepara tionem in tales partes dividi poſſit. Par eſt ratio ge nerationis ſanguinis: hic generatur ex chylo, nequ tamen in chylo ſunt actu bilis, pituita, melancholi quemadmodum elementa ſunt in eo & omni miſ tanquam partes miſti. Vti enim elemẽta ſunt part miſti immanẽtes, & ſub qualibet mutatione ſubſta tiali manentes, primæ, medię, & ultimę miſtorũ, qu

ex

ex iis generatur & conſtat omne miſtum, ita ſanguis & lac non generantur ex iſtis partibus tanquam corpora miſta, neque hæ partes in quæ ſecernuntur ſunt horum, ut miſta ſunt, principia: Deinde non conſtat quippiam eo, ex quo per ſubſtantialem mutationem generatur, neque ejus forma & eſſentia manet in generato, nec in illam reſolvitur, totum enim in totum convertitur: & prioris natura & definitio perit, neque manet ejus forma, ſed ita perit, ut res ex eo genita cum perit priorem formam recipere nequeat. unde pereunte ſanguine non fit ſolutio ſanguinis in chylum, cibum, & priora, ex quibus immediatè primum & dein mediatè genitus eſt. Corpus itaque naturale compoſitum non reſolvitur in id ex quo per mutationem ſubſtantialem eſt proximè vel remotè genitum, neque ex iis partibus in quas proximè per ſecretionem quandam diſpeſcitur, generatum eſt, ut principiis miſti materialibus, ſed reſolvitur in ea principia materialia ex quibus res omnes primò generantur & ultimò reſolvuntur: intermedia enim corpora ex principiis primis genita principiorum rationem nullatenus ſuſtinere queant.

IC. His præmiſſis, Sennertiani dogmatis abſurditatem & blaſphemiam facile cognoſcet candidus Lector. Partes rei in quas per corruptionem reſolvitur, neceſſariò fuerunt illa materia aut principia ex quibus res genita eſt, & quibus conſtitit, & quæ eſſentiam rei materialem conſtituerunt; ſanguis & ſemen per corruptionem ſolvuntur in partes aliquas quæ ſunt merum venenum: ergo ſanguinis eſſentia & ſubſtantia conſtat partim ex veneno, & veneno-

ſum quid eſt. Sic thrombus ſanguinis in corpore corruptus, & extra vaſa putreſcens fit venenum, quia ex venenata parte in quam per reſolutionem ſolvitur, conſtat. Sic pars corporis in gangrænam corrupta, fit ſæpe venenata; ergo ex veneno genita: & cadavera inhumata in peſtilentem & venenatam abeunt corruptionem, ut aërem inficere & peſtem excitare poſſint. Conſtant itaque juxta D. Sennert. tam principia noſtræ generationis & corporis humani & animalium eſſentialiter ex veneno & ſunt venenoſa, quia per corruptionem & putredinem, quæ eſt corporum naturalium ultima, & in ſua principia, ex quibus nata & coalita ſunt, reſolutio, ſolvuntur: *quæ itaque ſunt partes in quas res reſolvitur, eadem ſunt principia ex quibus erat generata. qualia principia eſſentialia, talis rei eſſentia. Principia venenata rem venenatam conſtituunt.* Atque hæc eſt prima & maxima quæ ex hoc trifætido D. Sennerti commento ebullit abſurditas. Verùm ne id mireris, lector honorande, qua enim bruta audacia & quo fundamento nixus hominum & animantium corpora ſtatuit ex veneno conſtare, vel ex partibus venenoſis, eſſentiam eorundem conſtituentibus; eadem barbarie in tractatu de Formarum origine ſub perſonati ſui Sperlingeri nomine D. Sennert. fol. 27. effutire non erubeſcit, majora animantium corpora continere omnium iſtorum animantium corpuſcula, ſuis formis conſtantia, quæ ex iiſdem per corruptionem generantur: quorum numerum fermè infinitum eſſe aſſerit: adeò ut equus ex ſcarabæis penè innumeris, aliiſque beſtiolis & vermibus qui per corruptionem ex ejus cadavere ſæpe proſiliunt

penè

penè infinitis actu conſtet: ait enim ibidem fol. 31. has formas ſubordinatas cum ſuis materiis, ſeu animalcula iſta facere ad conſtitutionem corporis, talique eguiſſe corpore canem, leonem, equum &c. de qua blaſphemia in creatorē ſuperius uberius egimus.

C. Deinde & hoc notandum quod D. Sennert. l. 6. praxeos cap. 3. dum affirmat generari in corpore venena id probare nititur (verioribus Rudii & aliorum doctiorum ſententiis ſine cauſa rejectis) ex eo quod corpora noſtra ex principiis venenoſis, ex quibus velut partibus generata ſint & coalita, conſtent. Quod ſi verum ſit, venenum non generatur in corpore, ſiquidem principia materialia immanentia ex quibus generatur corpus, & in quæ reſolvitur, non generatur in corpore, neque enim elementa ex quibus generatur, & in quæ reſolvitur corpus, in corpore generantur. Cum igitur quęritur, quomodo venena generantur in corpore, ineptiſſimè reſpondetur, Corpus ex venenis, de quorum generatione in corpore quæritur, conſtare, tanquam principiis materialibus, neq; etiam in ſemine, neque in ſanguine, neque cum illis ut inſit generatur in iis venenum. Sed pergamus in excutienda opinione & dogmate D. Senn. de veneni in corpore generatione. Vbi falſus eſt in tradenda hac doctrina, ita varius & inconſtans & ſibi pro ſuo more temulente contrarius eſt. lib. v. 1. praxeos par. 2. cap. 3. generationis veneni in corpore cauſam ſtatuit, & in eo ponit, quod ſit ex formis ſubordinatis, has ſub variarum ſubſtantiarum & formarum aliarum atque aliarum ordine ſibi ſuccedentium informatione cum ſuis propriis accidentiis manere poſſe; quia cū aliquid corrumpitur forma

tantum determinatumque ejus formæ quæ corrumpi dicitur temperamentum ſeu ſubjectum cum ſuis accidentibus pereat, manentibus illæſis aliis formis ſubordinatis, cum ſuis accidentibus.

CI. Quomodo verò hæ formæ ſubordinatæ in corpus deveniant, demonſtrare nititur hoc ipſo, lib. VI. prax. part. 2. cap. 3. quod animalia plantis & animalibus venenatis veſcantur, uti conſtat ſturnos cicutam, & anates bufones, gallinas araneam, & ciconiam & lupos piſces devorare ſerpentes, quibus cum iterum cibi loco utatur homo, fieri ut venenata illa ſubſtantia, quæ in plantarum & animalium alimentum ſubiit, *etſi per varias coctiones in varias formas ſit mutata*, tandem in hominis alimentum cedit & aliis miſta ſæpe longo tempore non nocet: at ubi ab aliis ſecreta fuerit, & ſola extiterit (exemplum ponit paulo poſt in ſemine & ſanguine) homini nocere incipit, & venenum evadit, & præcipuè ſi copioſius & ſæpius tale alimentum ſumptum ſit. Hactenus opinio & verba D. Sennerti.

CII. Primum dogma in hac opinione quod eſt de formis ſubordinatis, ſecunda, & tertia, & quarta hujus operis diſputatione falſitatis & immenſæ abſurditatis ſatis ſuperque convictum & exploſum eſt. Et hic ſeipſum ſuiſque verbis jugulat. Si enim in qualibet mutatione & corruptione (intellige ſubſtantialem) ultimata forma corrumpitur, nulla in re ulla poteſt amplius eſſe forma, quam quæ corruptæ proximè ſuccedit. Dum enim in variis rerum ſibi ordine ſuccedentibus corruptionibus, ea quæ prima in miſto & compoſito corpore, eſt ſpecifica, perit, illiſque ſuccedens, & in ordine mutationum omnes

ſimiliter

ſimiliter proximè præcedens per alterius generationem corrumpitur, quod unius generatio ſit alterius corruptio, nulla iſtarum formarum à prima ad extremam uſque in re manere poteſt; nullaque è prioribus ſic manet in re quapiam, ut pereunte aliqua ſubſequentium illæ in re deliteſcentes & ſubordinatæ, prodeant.

CIII. Verùm uti varius eſt, & inconſtans, alium, quo formæ illæ venenorum, quas hic è ſubordinatarum claſſe vult eſſe, veniant in corpus, & formæ ejuſdem ſubordinentur, adfert modum. Ait enim cum cibis & alimento ex animalibus & plantis conquiſito & parato perferri in corpus dum homo comedat animalium plantis venenatis aut veneno imbutis nutritorum & venenatis beſtiolis vel animalculis paſtorum carnes; ſubſtantiam illam *venenatam per varias coctiones in varias formas mutatam,* tandem in alimentum cedere homini; unde venenum in humores, ſemen, & ſubſtantiam corporis noſtri perveniat, neque prius quam ab aliis quibus miſtum eſt ſubſtantiis, per corruptionem earum ſeparetur, noceat.

CIV. Futilis hujus commenti abſurditas ut eluceat, ſciendum, quod omne alimentum fiat per ſubſtantialem mutationem, in qua pereunte forma cibi chylus, chyli ſanguis, & ſanguinis generetur caro. quodque omnes hæ alimentorum formæ ſibi mutuò ſuccedentes ſecundum D. Sennertum non ſint immanentes ſed tranſeuntes, uti ex paulo ſuprà allegatis D. Sennerti verbis conſtat. *Talis autem fit ibi mutatio ſubſtantialis ut totum vertatur in totum, veluti (dicente D. Sennerto) ſanguis in carnem & chylus in ſanguinem*

guinem, adeo ut regreſſus ad proximam formam non detur. Proinde ſi venenum primò in animalibus ſit verſum in alimentum, ex hoc in ſubſtantiam animalium, & hæc demum in alimentum & ſubſtantiam hominis ſit mutatum, & toties ſubſtantialiter converſum, certè venenum neque quoad formam, neque quoad qualitates à forma dependentes & propriæ, potuit in alimentum hominis neque in ipſam ſubſtantiam ejuſdem, ut venenum aut minimum de veneno participans, tranſire. Eſt enim in hac mutatione alimentorũ & generatione corporis ex alimẽtis, omnis forma, teſte ipſo D. Senn. ex numero tranſeuntium, non immanentium formarũ. *Adde quod in omni re quæ per ſubſtantialẽ mutationẽ ex alia re generatur, nunquã manet forma rei, ex qua generatur;* principia verò materialia, ex quibus res materialiter cõſtat, ſẽper & ſolũ & juxta ſubſtantiã & qualitates maneant.

CV. Quandoquidem itaque omnis generatio alimenti ex objecto, vel eo quod loco cibi eſt, & corporis ex alimento, fiat per tranſſubſtantialem mutationem, in qua neceſſario unius formæ generatio ſit alterius corruptio, & hæ formæ ſint tranſeuntes; nullnm nec in alimento hominis, nec in ſubſtantia ejus poteſt dari aut inveniri venenum; quia totum, ut ipſe D. Senn. ait, alimentum vel nutrimentum mutatur in totum nutritum, quatenus eſt nutriens; quod & ex ipſo D. Sennerto ſuis ſemet ipſum verbis jugulante conſpicuè deducitur: Ait enim venenum plantarum in nutrimẽtum primùm, deinde in ſubſtantiam corporum verti, hãc demum cibi loco venire homini, & ab eo pariter primò in alimentum, dein in ſubſtantiam verti, *& venenatam ſubſtantiam per varias mutationes*

tiones in varias formas mutatam, tandem homini, (ubi iterum variè mutatur) in alimentum cedere. Si itaque in varias formas, ipſo dicente D. Senn. ſubſtantia venenata jam fuit mutata, non amplius eſt venenum. Imò nihil poteſt fieri cum aliquo idem & ejuſdem eſſentiæ, quod non prius fuit ſimile; nihil fieri aliquid actu, niſi proxima potentia idem ſit, quod illud actu; atqui ſi venenum, manens venenum, fit alimentum, non eſt ſimile corpori, neque eidem aſſimilatur, neque in id convertitur ac mutatur ſi maneat venenum, quod ab eo viciſſim ſecerni, & ſecretum ipſi pernicialiter noxium eſſe poſſit. Vides in quæ opinionum, dum veterum diſciplinarum veritatem opprimere ſtudent, monſtra incidant.

CVI. Deferimur nunc eo ut excutiamus hanc opinionem, qua aſſerit venenum, quia aliis corporibus, eorumq; partibus materialibus ſit miſtum, non nocere, neque nocere quamdiu illis miſtum, quod forte putet propter miſtionum earum efficaciam & nocēdi qualitatem retundi & cohiberi, tum vero quando ſecernitur & ſeparatur, quod per corruptionem & putredinem fieri tradit, actum nocendi exerere & exercere in corpore. Exemplo ſanguinis, carnis, ovi, braſſicæ, cancri, putrefacti & per putredinem reſoluti, ita ut ſingulæ partes ſeorſim exſiſtant, rem demonſtrat lib. VI. praxios par. 2. cap. 3. quæ tum fieri venenata docet, cum per corruptionem partes ſingulæ ſeorſim exſiſtere incipiunt, tunc enim pars venenata ſui juris facta, nec aliorum miſtione cohibita, efferatur, & nocendi actum efficaciamque exſerit. Verùm hæc opinio æquè falſa ac rancida eſt, atque priores, quibus ſanam Me-

dicinam intoxicat, erant; veneni enim facultas & inſcrutabilis efficacia à nullo alio ad miſtionem concurrente corpore retundi poteſt, neque ita per miſti cæteras qualitates retundi, ut in corpore innoxiè conquieſcat, niſi natura ſua ſic ſit comparatum, ut ad tempus conquieſcat, & certo tempore efferatur, quod videmus in veneno rabidi canis, aliquando uſu venire. ratio eſt, quod qualem vim habet corpus noſtrum animatum, ut vertat alimentum in ſuam ſubſtantiam; talem habet venenum, ut noſtram ſubſtantiam corrumpendo vertat in ſuam naturam. *Omne enim agens agit, ut reddat ſibi ſimile ſuum patiens.* Vnde Gal.l.1.de ſem.c.16. inquit: *Minima portiuncula lethalium humorum ubi animalis corpus fuerit ingreſſa, tota id momento temporis immutat, ſibique ſimili affectione alterat.* Hactenus Gal. Sanguis corruptus in corpore, Galeno cæteriſque authoribus rei medicæ, vim deleteriam acquirit & ſemen quo naturæ familiarius in integritate ſua eſt, eo pernicioſius evadit per corruptionem, quod hyſterica fœminarum ſymptomata, & alia mala ab eo producta, demonſtrant: de quibus lib. v1. de loc. affect. ſub finem. Noſtri itaque corporis vel miſti partes, vim veneni cohibere nequeunt, quia potentia paſſiva ad venenum non potentia activa qua in id agant & cohibeant ſunt prædita. Adde aliam ex D.Senn. rationem, quod omnis actio ſit inter contraria unius generis, venenum & ſubſtantia corporis humani ejuſque humores & iſtorum corporum ut miſta ſunt, partes, non ſunt unius generis, quocirca nec in id agere aut ejus vim reprimere poſſunt.

CVII. Tandem dato uno abſurdo, vulgo ſequuntur

tur

tur innumera. Quandoquidem licet ſemen lib. vi. prax. p. 2. c. 3. dixerit maximè lædere & peſſima excitare ſymptomata, quia rei optimæ ſit peſſima corruptio, tamen gravia & atrocia illa fœminarum ſymptomata non oriri à ſemine quod ſit in vaſis ſuis, ibique contineatur, ſed ab aliis humoribus pravis circa vaſa genitalia, & tubam uteri collectis, ibidem ſcribit. Non oriri à ſemine in vaſis illa ſymptomata, ſtatuit, quia ſemen in ſuo loco non putreſcit & corrumpitur, multæque moniales & virgines & viri alii diu ſemen retinentes talibus ſymptomatis non infeſtentur.

CIIX. Verùm, Amice lector, quis mediocriter doctus credere potuiſſet Doctorem Sennertum qui vir tantus eſt & videri vult, tam puerilia unquam prolaturum fuiſſe? An ſemen in vaſis ſuis non poſſit corrumpi, quia illa ſunt proprius ſeminis locus? Certum eſt quod ſecundum Ariſtot. locus ſit conſervatio locati, quamdiu videlicet eſt naturaliter conſtitutus. Sanguinis locus ſunt venæ in quibus quamdiu ex bona & naturali temperie rectè habent, conſervatur, ubi vero præternaturaliter habent, corrumpitur. Et quid vetat cum in viduis virgunculiſque laſcivioribus propter abundantiam diffundatur in vicinum uterum & circa genitalia vaſa tubamque uteri, extra ſua vaſa præcipitatur & extra locum ſuum proprium ablatum putreſcat; quo minus ſymptomata excitet graviſſima, juxta Gal. quia ejus corruptio ſit peſſima: Et quod in viduis & virgunculis hæc mala per matrimonium & congreſſum, ſeminiſque uberiorem priuſquam corrumpatur effuſionem curentur, quod demonſtrat Gal. ex eo, quod & in ipſo

paroxyſmo curentur & excitentur hyſtericæ, ſi ſuo modo contrectatis muliebribus locis, erumpat ſemen, quod mali cauſam præbuit. Omnis effectus probat ſuam cauſam.

CIX. Quod autem propria humores continentia vaſa, qualia ſanguinis ſunt venæ & arteriæ, ubi conſtitutionem naturalem obtinent, etiam ſua contenta in ſtatu naturali conſervant; & ſi illam naturalem conſtitutionem amittant, & præter naturalem acquirant, eadem amplius regere nequeant, ſed corrumpi ſinant ipſe, D. Sennert. lib. VI. prax. part. 2. c. 3. docet exemplo venarum & arteriarum, quæ ſanguinis propria ſunt receptacula, & continentia vaſa & loca.

CX. Quomodo verò venenum in noſtro corpore generetur, id liquido patet ex generatione morbi venenati, quem D. Sennert. vocat in Inſtitution: morbum occultæ qualitatis & morbum totius ſubſtantię. Venenum enim, juxta eundem, inducit morbum quatenus vi ſuæ qualitatis ſimilem in corpore noſtro producit & generat qualitatem: id verò facit non propagando ſuam eandem numero qualitatem, ſed novam aliam, ſpecie ſimilem & numero diverſam in corpore gignendo. nulla enim qualitas eadem numero transfertur alio extra ſuum ſubjectum, neque niſi cum ſubjecto defertur: qualitas autem venenata D. Sennerto etiam venenum eſt.

CXI. Quod autem hoc modo venenum & qualitas venenata conſtituens morbum venenatum, quem D. Sennert. totius ſubſtantiæ nominat, in corpore generetur, ex ipſius D. Sennerti verbis & ſententiis apertis demonſtrabimus, ſimulque videbimus

mus, an qualitas ſpiritalis poſſit generare morbos venenatos:& ſi poſſit,quod neceſſario generet morbos excitando diatheſin & qualitatem materialem.

CXII. Omnis morbus temperiei & ſimilarium eſt qualitas materialis, & diatheſis partis affectæ:in quo genere ſanitas, in illo eſt morbus: ſanitas non eſt qualitas ſpiritalis & intentionalis, ſed materialis. Ergo & morbus.Omnis verò morbus venenatus pro ſubjecto habet partes ſimilares.

Omnis morbus ſimilarium eſt talis diatheſis, & qualitas, quæ illius ſit naturæ, ut ſublatâ ſuâ causâ poſſit habere permanentiam in parte affectâ ſive ſit factus ſivè fiens: in fiente enim aliquid jam factum eſt, & aliquid in futuro ut fiat. quod factum & per alterationem inductum eſt, habet permanentiam, quod in fieri eſt & generari, id à cauſa ſic dependet, ut eâ ſublatâ tollatur.Omnis morbus venenatus pro ſubjecto habet partes ſimilares, docente D.Senn.lib. 1.& lib.2. Inſtit. Iſte morbus Sennerto dicitur occultæ qualitatis & totius ſubſtantiæ , & oritur vel generatur à cauſa maligna & venenata.

Venenum verò morbum excitat quatenus malignam in corpore gignit qualitatem alterando & mutando: adeoque diatheſin imprimit pernicioſam. Id docet D.Sennert.lib.2. Inſt. p.1.c.4.fol. mihi 139. cum inquit:*ubi maligna & venenata qualitas corpori occurrit, illud afficit, alteratque & ſibi ſimilem affectionem in eo excitat.* Rem demonſtrat exemplo veneni canis rabidi, *ubi diſtinguit inter ipſum venenum canis rabidi, & diſpoſitionem ab illo veneno introductam. Illud ait eſſe cauſam, hanc vero diatheſin à veneno introductam, quæ morbus*

morbus eſt, rem probat ex Gal.lib. 1. de ſem.cap.16. ubi ait: *minima portiuncula lethalium venenorum quæ δηλητήρια vocantur, ubi animalis corpus ingreſſa fuerit, totum id momento temporis immutat ſibique ſimili affe-ctione alterat. Idem paulo poſt de peſtilenti veneno dicit, aſſeritque illud malignam diatheſin in corpus inducere.*

CXIV. Venenum itaque dum introducit morbum, id agit alterando, & ſibi ſimilem affectionem & qualitatem generando, unde diatheſis præter naturam, quæ morbus dicitur. Generat itaque venenum morbos, non propagando vel infundendo ſuam eandem numero qualitatem, quæ ſine ſubjecto non tranſit, nec extra ſuum ſubjectum eſſe poteſt, utpote à forma propria proximè dependens; ſed ſimilem in alio ſubjecto producendo & generando, quod exemplo lethalium venenorum ex Galeno ſatis demonſtrat D. Sennert.

CXV. Quæcunque venena poſſunt inducere corpori malas qualitates, ut generentur morbi, eadem etiam poſſunt per has imprimere humoribus, eoſque corrumpere & in venenatam naturam convertere, ut fiant morborum cauſæ. Generantur itaque venena in corpore ut plurimùm etiam à cauſis externis, idque in continentibus & contentis. Corrumpuntur verò humores in corpore, vel quia à cauſa externa, prava qualitate inficiuntur, vel quia vaſa quibus aſſervantur ſunt male diſpoſita, vel quia ex materia prava ſunt geniti, ut ſuâ naturâ facile in corruptionem venenatam vergant.

CXVI. Hic quæritur, an etiam à ſpiritali qualitate morbus & diatheſis venenata induci poſſit in corpus: primò certum eſt cum venenum canis rabidi inducit

ducit malignam qualitatem, idque non propagando ſuam propriam & eandem numero qualitatem, ſed ſimilem, docente D. Senn. generando in corpore, eam ex potentia materiæ educere, ſiquidem non ex nihilo eam generat, non ex ſe ipſa & ſua eſſentia eam deducit, dividit, & propagat.

Deinde omnis morbus eſt qualitas materialis, & omnis morbus ſeu manifeſtæ ſeu occultæ qualitatis in parte ſimilari inducitur & generatur à qualitate materiali, neque eſt qualitas proximè à forma generata, ſed à qualitate quæ à forma in ſubjecto veneni proximè dependet producta eſt, ut patet ex eodem D. Senn. lib. 2. Inſtit. part. 1. c. 4. fol. m. 139. Sed ſpiritalis qualitas materialem juxta D. Sennert. generare nequibit, quia genere diverſa eſt, & daretur æquivoca generatio quam ille non admittit: ſi verò inducit, id faciet alterando & corrumpendo, alioquin nocere non poteſt. Si alterat, qualitatem inducit materialem, & venenoſam per corruptionem ſubjecti. Qualitas egreſſa ſubjectum, ſic à forma dependet, ut remoto ſubjecto, ea unà removeatur. Et ſic dependet à forma, venenoſi morbi diatheſin inducendo.

CXVII. Cum verò omnis morbus ſimilaris debet habere permanentiam in affecta parte, qualitas venenata debebit eſſe generata in ſubjecto vel à corpore ubi morbum inducit, vel pendebit à ſuâ adhuc forma. de ratione enim morbi in parte ſimilari eſt, ut ſublata cauſa, effectus ſeu diatheſis manere poſſit. Si itaque generavit ſibi ſimilem diatheſin, illa ibi perſiſtere poteſt; ſi vero qualitas occupat ſubjectum, ita ut in id ſit propagatum, ſine generatione

per

per alterationem & corruptionem naturalis diſpoſitionis in parte, & quatenus à forma adhuc dependet, illa permanentiam habere non poteſt, remotâ ſuâ causâ ſeu forma à qua dependet. Quocirca poſita cauſa ſua ſeu forma ponitur, & remota removetur omnis qualitas ſeu materialis, ſeu ſpiritualis, niſi in parte ſit per generationem ſimilis impreſſa, non enim manet niſi præſente ſubjecto à cujus forma generatur & immanet ſi ſit materialis, vel à quo dependet & effluit ſi ſit ſpiritualis & intentionalis. Non manet alibi ulla qualitas, niſi quatenus ita dependet à forma, vel quatenus à qualitate formali in alio ſubjecto eadem ſpecie & numero diverſa generata eſt. *Producere enim formam in materia eſt materialiter agere & producere aliam formam materialem in materia in qua recipiatur & dependeat in eſſe, & in conſervari, quæ tantum ab agente dependet in fieri.* Multiplicatio ſpiritalis eſt productio ſpeciei ſeu formæ ſpiritalis, in ſubjecta materia à qua non dependet ab eſſe & conſervari, ſed ab agente à quo producitur, docente Zabarella lib. de ſenſu agente cap. 5. *Omnes*, idem aſſerit, *qualitates primas, tum realiter tum ſpiritaliter poſſe propagare ſuam ſpeciem, cæteras ſenſiles qualitates tantum ſpiritaliter ſuam ſpeciem ſeu imaginem in ſenſoriis præſentare docet. Nullam verò ſpeciem ſeu activarum qualitatum ſeu reliquarum ſenſilium imprimi ſenſui quam ſpiritalem.* unde facile liquet *ſpiritales qualitates ferri in objecta ſenſuum:* Et quatenus ſunt ſpiritales ita dependere à ſuâ cauſâ generante, ut non maneant in ſenſorio & ſubjecto remota cauſa. Proindè ſi qualitas ſpiritalis malignam in corpore generat qualitatem, quæ diatheſim morboſam conſtituat, eam oportet eſſe & mate-

materialem & permanentiam habere & ex potentia materiæ eſſe productam, & generatione æquivoca genitam: ſic torpedo piſcis, mediante baculo vel conto quo contrectatur, ſtuporem inducit manui, per continuitatem conti propagata venenata labe, ſive ea ſit qualitas nuda, & uti vocare volunt ſpiritalis, ſive effluvium ſubſtantiæ tenuiſſimæ & maximè inſenſibilis. Per continuitatem iſtius baculi vult Rondeletius propagari hanc lucem, non aliter ac per baculum in camino erectum fumus aſcendit & flamma. Et cum certum eſt & decretum in doctrina Semertiana omnem morbum occultæ qualitatis, quem ille totius ſubſtantiæ vocat, eſſe venenatum, & generari quia venenatam qualitatem ſibi ſimilem in parte affecta inducit, idque alterando & conſtitutionem naturalem corrumpendo, unde diatheſis illa & affectus qui morbus nominatur, ſatis patet neceſſe eſſe ſpiritalem qualitatem veneni, ut morbum inducat, talem in parte affecta debere qualitatem generari, qua naturalis diſpoſitio corrumpatur & præternaturalis diatheſis inducatur quæ morbum definiat.

CXVIII. Verum enim verò ad ſpiritales qualitates confugere cum de venenorum potentiis quibus naturam noſtram corrumpant & morbos inducant, agimus, eſt incerta per incerta demonſtrare velle & inextricabilibus labyrinthis ingenia juventutis circumretire.

CXIX. Ego ſane hac vice hanc litem meam non faciam, nec diſpiciam an ulla qualitas à corpore fluens ſit purè immaterialis, & an ſpiritalis dicatur quod ſit omnino immaterialis, an verò propterea quid

quid diminutæ ſit entitatis ſi cum his, quæ vulgo materiales dicuntur, comparetur? Et cum eſſentiam ſequatur agendi poteſtas, an tantæ poſſint eſſe efficaciæ, quales ſunt lethalium venenorum. Neque nos movet quod dicitur de ſono, quod duriſſima corpora penetret, non enim ille extra ſuum orbem defertur, & cum mediante aëre deferatur, nullibi percipietur extra aërem & quo aër penetrare nequeat, neque in locum adeò arctè clauſum, ut aeri ſit inacceſſibilis & impenetrabilis, penetrare, neque ibi qui audiat eſſe poteſt.

CXX. Cum itaque in dubium trahant quidam an ſubtiliſſima, & omnem ſenſum fugientia effluvia communicent venenata animalcula, uti ſerpentes, & baſiliſcus & ſimiles venenatæ beſtiolæ & torpedo; an verò ſolam ſpiritalem qualitatem de ſe propagent, & tamen ſi nocere & morbos inducere debeant ut pravam venenatam qualitatem & naturæ corruptricem corpori & humoribus inducant, neceſſum ſit, vanum eſt de his qualitatibus controverſias huc pertrahere: quinimo cum Gal. dicat, & cum eo D. Senn. ſtatuat in Inſtitutionibus quod venena deleteria molis exiguæ, quale eſt ſcorpii, canis rabidi, ſerpentis, luis peſtiferæ ingentes celerrimè in toto corpore mutationes & corruptiones facere nata ſint, & tamen ſint effluvia & corpora omnem ſenſum fugientia, & ratione tantum ex affectis ſuis pernicialibus perceptibilia, quid vetat ejuſdem conditionis eſſe effluvium & halitus quos baſiliſcus exſpirat & torpedo diffundit, quis hanc vim potius dicet per ſolam qualitatem ſpiritalem, alteratis per continuum intermedii corporis partibus, an verò per efficacia

cacia effluvia venenoſa & indicibilis virtutis deferri? Pelops Galeni præceptor in medio relinquit, an id quod ab extremo pedis digito exſurgit ad cerebrum, ibique Epilepſiam concitat, ſit qualitas alteratis per continuitatem partibus eò propagata, an aura venenata vel halitus pravus eo conſcendens. Videtur tamen magis eò inclinare ut ſtatuat eſſe effluvium corporeum, Galen. lib. 3. de loco. affect. c. 7. ſic inquit: *Fit etiam ſed rarò tertium morbi comitialis genus. Nec refert utrum genus an differentiam nominaveris, cum à parte aliqua cui id forte fortuna accidit, incipit affectus, qui deinde, ſentiente ægro ad cerebrum uſque aſcendit. Hoc genus primum vidi in puero qui tertiumdecimum ætatis annum agebat, cum equidem adoleſcens etiamdum cum optimis ejus tempeſtatis medicis adveniſſem, ad idoneam ipſius curationem inveniendum, audivi tum narrante puero diſpoſitionem ipſam à crure initium capere, mox illinc rectà per femur & immanentes illi lumbos aſcendere, ac per latera ad cervicem, donec ad cerebrum perveniret, quod cum primum tangeret, ipſum haudquaquam ſibi conſtare. Interrogantibus autem medicis quale eſſet id quod ferebatur ad caput, nihil habuit puer quod reſponderet. Alius deinde adoleſcens compos mentis (quippe qui ſatis poterat, & ſentire quod fiebat, & alteri enarrare) dicebat veluti frigidam quandam auram eſſe, id quod aſcendebat. Vnde ex duobus alterum Pelopi præceptori placuit, aut quod qualitas quædam, alteratis per continuationem partibus aut ſpiritalis quædam ſubſtantia tranſmitteretur. neque mirandum eſſe dicebat tam validam vim eſſe humori, qui in affecta parte præter naturam genitus fuiſſet, ut perniciosarum ferarum venenis poſſit comparari. Quis enim crederet vel ſcorpionum vel phalangiorum ictibus totum*

 corpus

corpus tanta ac tam enormi mutatione affici? niſi ſæpenumero id accidere videret, præſertim minimam quandam rem feris in ipſum demittentibus. Quum itaque phalangium aliquem momordit, quamvis parvum ſit animal, exiſtimare tamen debemus, venenum ex ipſius ore in ictum corpus deſcendiſſe. Porro marinæ turturis, quemadmodum & terreni ſcorpionis aculeus in partem extremam acutiſſimam illam quidem finitur, ubi nullum foramen eſt, per quod venenum dejici poſſit, neceſſe tamen eſt ut excogitemus ſubſtantiam quandam eſſe aut ſpiritalem aut fluidam quæ ut mole minima, ita facultate quam maxima eſt. *Etenim cum nuper quidam ictus eſſet à ſcorpione, videor mihi (videri,* inquit, *quod grandine percuſſus ſim, qui ſubinde omnino infrigidatus, ſudor etiam frigido accedente, ſed tandem debitis adhibitis remediis, non ſine negocio ſervatus eſt.* Itaque Pelops non impoſſibile eſſe inquit, in corpore ſimilem aliquam eſſentiam generari non accedente cauſa extranea, quæ ubi nervoſam aliquam partem occupaverit, per continuas partes uſque ad nervorum principium vim ſuam tranſmittit, ſive id per alterationem ut ipſe dicebat, fiat, ſive ſpiritali eſſentiâ veluti aurâ ad ipſum delata. Sæpenumero enim infigente aculeum ſcorpione; aut in nervum aut venam aut arteriam, manifeſtè videmus percuſſos vehementiſſimis infeſtari accidentibus. Atqui ſcorpionis aculeus totam cutem penetrando, ad profundum uſque poteſt pervenire. Phalangiorum verò parvorum ictus ſolam afficit ſuperficiem, unde conſtat interdum à ſola cute veneni vim ad totum corpus deferri, quippe tota cutis & continua eſt & nervoſa. Proinde haudquaquam impoſſibile eſt cum ex icta parte per totam ipſam celeri-

celeriter diſtributa fuerit veneni vis. Eam inde eodem rurſus contactu, in ſingulas ſubjectarum ei partium recipi, mox ex illis in alias continuas, atque iterum ex his quæ afficiuntur in alias, quumque ad dominantium partium aliquam pervenerit totum, mortis periculum homini inſtare. Quicquid ſit, ſufficit Medicis nihil generare hujuſmodi morbum venenatum, quod non pravam in parte diatheſin & qualitatem per diſpoſitionis naturalis corruptionem inducat, ſive id ſpiritalis, ſive materialis ſit veneni qualitas. Neq; etiam huc facit quomodo cœleſtes influentiæ agant in inferiora & res maximas & rerum ſympathias & antipathias & ipſa ſub terra metalla, dicente D. Sennerto in Phyſ. Epit. generent. Sed de his ſuperius in diſp. 2. & 4. uti & de viribus & actionibus cæli in hæc inferiora prolixius & nervoſius actum eſt.

CXXI. Supereſt ut meam & antiquæ veritatis de cauſis & origine occultarum qualitatum ſententiam contra D. Senn. inſultus defendam, & quod rectum verumq; ſit in clarâ luce ſtatuã; ut æquus lector intelligat, quid cum idoneis rationibus deſtituantur novæ ſectæ conditores, rem calumniis & fraudibus aggrediantur: id quod ad oculũ clare demonſtrabo.

CXXII. Mea eſt hæc in ſcriptis meis ſat clare & dilucidè poſita ſententia, quod omnis qualitatis materialis cauſa efficiens ſit forma, quæ ipſam generet non ex ſuâ eſſentiâ, ſed ex ſubjectæ materiæ potentia, & cum qualitates ſint primæ vel à primis ortæ, earumque opera producta, & poſt primas aliæ ſecundæ, tertiæ, quartæ, ad quas occultæ plerumque referuntur à veræ Peripateticæ Philoſophiæ profeſſori-

bus, tenendum primas immediatè à formis elementorũ produci in materia prima. Ex conjunctione enim formæ ignis cum materia prima, teſte Zabarell. oritur ſummus calor, cæteras omnes exceptis quibuſdam aliis, elementa prima ſequentibus qualitatibus, qualia gravitas & levitas, ex materia miſtorum, quæ ſecunda dicitur, formæ beneficio educi.

CXXIII. Cum verò natura rerum generatrix ex ordinatione divina, res omnes materialiter ex elementis primiſque corporibus gignat, & ad id quod optimum & ſummum eſt in ſublunaribus tendat, in quo acquieſcat, quod eſt homo: omnia enim ſunt propter hominem; non ex ipſis elementis ejus & animalium ſtatim producit corpus, per miſtionẽ primam, ſed variis intercedentibus mutationibus & rerum miſtionibus ſibi gradum facit ad hujus generationem; fiunt enim ex elementis primò miſta, potẽtiâ ad animal magis remotâ prædita, ex miſtis animata, fruges, plantæ, fructus, ex his cibus; ex cibo chylus, ex chylo chymus; ſanguis, ſemen, animal. *Natura non procedit ab extremo ad extremum niſi per media:* oportuit itaque has ſubſtantiales mutationes omnes intercedere priuſquam ex elementis fieret animal. Mutatio ſubſtantialis accidit in generatione; generatio rerum fit per miſtionem, ſiquidem D. Sennerto lib. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſenſ. capite 12. fol. mihi 340. miſtio & generatio parum differunt, aut certe nulla fit generatio ſine miſtione: toties autem nova fit miſtio, ut per varias has mutationes, ſub variis formis, neceſſario ordine ſibi ſuccedentibus, præparetur materia ad recipiendam nobiliſſimam formam, ad quam natura contendit. Requirit

quirit enim nobilior forma ſubjectum proprium, & omnium optimè diſpoſitum. Diſpoſitio pro forma recipienda eſt in qualitate materiæ, non in forma, ut inſaniunt & garriunt novæ ſectæ ſtructuarii. Forma enim ut forma eſt, uti nunquam immediatũ per quod inſit, formæ ſubjectum eſt, ita & in hoc generationis ordine, nulla forma ſpecialis ſequentis formæ ſubjectum eſſe poteſt. Cum enim ex re quapiam per ſubſtantialem mutationem res alią, veluti ex chymo ſanguis, ex ſanguine caro, ex ovo pullus naſcitur, omnem formam priorem perire adveniente ſequente, propter quam in re præceſſerant priores, perire neceſſe eſt. Pereunt itaque neque immanent hæ formæ materiæ tranſeuntis, nec eſſe poſſunt ſubjecta formarum ſequentium & multo minus nobilioris ultimatæ, in qua natura deſinit ulterius progredi.

CXXIV. Inſtituuntur variæ hæ mutationes ſubſtantiales ut materia magis magiſque elaboretur ſub variis formis, & exquiſitiorem conſequatur diſpoſitionem pro formis ultimis & nobilioribus recipiendis. Cum autem formæ miſtorum corporum primis elementorum formis ferantur præſtantiores & quælibet forma aliã requirat diſpoſitionẽ, vel à præcedente generante, vel à ſe ipſa in ſubjecto productã ſequitur quamlibet formam peculiares generare in ſubjecto diſpoſitiones & qualitates, quas omnes ſub formis ordine ſuccedentibus perire non convenit. Siquidem per has diſponitur materia ut fiat ſubjectum formæ maxime nobilis & extremæ, in quo deſinat. Cum enim formę illę intermedię non maneant, ſi cum ipſis omnes ab illis in materiam inductæ diſ-

poſitiones& qualitates perirent, fruſtra fuiſſent ſapientiſſimæ naturæ tot labores & viciſſitudines; & poſſet res quælibet immediate ex elementis & elementari materiâ non toties alteratâ & variis formarum qualitatibus recuſa & imprægnata, animalia, & humanum corpus proxime generari. Quod verò priorum formarum recedentium qualitates, ſub formarum ſequentium dominio non omnes pereant, ſatis clare & evidenter patet in rebus per ſubſtantialem mutationem ex aliis generatis. Etſi enim forma ſanguinis non maneat in carne, tamen caro rubicat propter ſanguinem ex quo generata eſt, & partes ſpermaticæ albicāt quod ex ſemine natæ ſint. Quod ordine in omnibus ſibi mutuò ſuccedentibus mutationibus videre eſt, non omnes & comprimis eas quæ ad diſpoſitionem ſubjecti pro recipienda forma ſeſequenti faciant, haut perire, ſed neceſſariò manere; unde qualis cibus, talis chylus & ſanguis, & piper calidiorem, lactuca frigidiorem producit & pituitoſiorem ſanguinem: neque enim quiſquam dicet formā piperis & lactucę manere in ſanguine, ſed eò propagari qualitates rerum ex quibus generatus eſt, extra dubium eſt. Vide Gal. lib. 3. de Temp. ſub finem. 22.

CXXV. Cum itaque in qualibet ſubſtantiali mutatione, fiat nova miſtio, idque propter novam diſpoſitionem ad novam formam, nova autem diſpoſitio ſit qualitas nova, & quælibet forma ſuæ naturæ convenientes generet qualitates, ex ſubjectæ materiæ potentiâ, & alias atque alias ſibi peculiares diverſæ & præſtantioris naturæ aliaſque præter primas, neceſſariò ſequitur ex harum omnium inexplicabili contemperatione & hidioſyncraſia indicibiles

oriri

oriri qualitates & diſpoſitiones, magnarum ſupra primas qualitates ſæpè virium, quarum cum eſſentia & generatio occulta ſit, haud immeritò ad occultas referuntur, ab his mirãdas ſæpe perfici actiones dixi, cum propter virtutem propriam, tum formas quarum opera ut inſtrumenta diriguntur, quod & hæ manifeſtatas qualitates etiam ad ſuperiora ſua virtute peragendum uſurpare poſſint.

CXXVI. Quocircà ludunt & illudunt, cavillantur & inſaniunt qui dicunt & ſcribunt D. Freitagiũ ſtatuere ex primarum qualitatum in primis corporibus varia contemperatione & miſtione oriri occultas qualitates. Hanc meam ſententiam ſufficienter deduxi in aliquot diſputationibus meis, ut videre eſt in diſputat: de morbis ſubſtantiæ theſi 49. 50. & 51. Demonſtravi id etiam ex Ludovico Mercato in Diſputat. De Principiis rerum naturalium in genere theſi 13. & 14. in quâ hæc ex Mercato attuli. Qualitates primæ quatuor habent conditiones: *prima eſt,* (ſunt verba Lud. Mercati) *quod ſint cauſæ univerſales omnium tranſmutationum: ſecunda, quod non fiant ex aliis; tertia, quod ſint verè activæ alteratione activâ & corruptivâ; quarta, quod ſint mutuo activa & paſſivæ, ut poſſint eſſe cauſæ miſtionis.* Vnde Mercato optimo jure dicuntur primæ qualitates & cauſæ cæterarum omnium qualitatum, non perfectivæ, cum ſint minus perfectæ cæteris rerum miſtarum, ſed diſpoſitivæ, quod ex diverſa earum mixtione diverſimodè diſponatur ſubjectum ad formam ſubſtantialem, & alias qualitates quæ ſequuntur, uti annotarunt libro ſecundo de generat. Divus Thomas, Alexander, & Philoponus; quodque harum qualitatum quælibet per ſe ſit

principium alterationis ad generationem ordinatæ, aliæ verò non niſi in quantum primarum conſortio participant.

CXXVII. *Quapropter hæ qualitates ſunt primæ prioritate cauſalitatis effectivæ, quâ perficiunt alterationem tendentem in mutationem rei, hoc eſt, ſunt ordinatæ ad generationem vel corruptionem, & ſunt primæ quia cauſantur omnes reliquas, ipſæ verò cauſantur à nullis: talis equidem naturæ ſunt prima contraria & principia; primæ ergo qualitates inſunt elementis propter formam; ſecundæ, propter primas immediatè; tertiæ quidem rebus per primas, ſed mediate, videlicet intercedentibus pluribus miſtionibus, & operatione formæ.* Vnde juxta Mercatum, *qualitates miſti, quæ immediate ſequuntur formam miſti, ſunt perfectiores elementorum qualitatibus, ſiquidem ea qualitas ſit perfectior, quæ nobiliorem formam ſequatur.* Perfectior autem eſt forma miſti quam elementi. Nec valet elementorum qualitates eſſe cauſam illarum quę ſunt in miſto, ac ex ſequenti, ut cauſę perfectiores erunt. Nam *qualitates illæ ſe habent tantum ut cauſæ inſtrumentales, at inſtrumentum non eſt perfectius ſuo effectu.* Supereſt igitur ſtatuere *primas illas quatuor qualitates ſenſibiles, priores eſſe in genere cauſæ materialis. Quod patet, quia omnes formæ ſubſtantiales mixtorum ut ſic, ſupponunt has qualitates diſponentes materiam ut poſſint in ipſam induci tanquam in materiam diſpoſitam, quæ diſpoſitiones ſe tenent ex genere cauſæ materialis, quæ ut præcedunt formam ſubſtantialem, ita & accidentalem.* Hactenus Mercatus.

CXXVIII. Meræ itaque ſunt impoſturæ & figmenta, & fruſtra ſunt clamores D. Sennerti & Sennertianorum quibus lectori fucum facere & probare

volunt D. Freitagium ſtatuere aut ſcribere quod ex elementaribus qualitatibus variè miſtis & remiſtis oriantur occultæ qualitates.

CXXIX. Quandoquidem verò dixerim & ex veteri ſolidâ Philoſophiâ probarim, cauſas qualitatum efficientes eſſe formas in ſubjecto, neceſſum eſt formarum harum differentias conſiderare, ut novæ ſectę conditorũ & ſequaculorum calumnias & mendacia mihi affricta & afficta in clara luce ſtatuam.

Quæ de hiſce formis mea fuerit ſententia ex diſputationis de origine formarum quæ in hoc opere prima eſt, theſi. 21. 22. 23. ſatis liquet. Sunt verò hæc iſtarum theſium verba: Ex elementis hac ratione omnia ſublunaria quoad materiam & formam (animam humanam excipe) generari ex eo patet, quòd omnia viciſſim in elementa reſolvantur; ex quo pariter conſpicuè allucet; elementorum formas in miſtis non perire, ſed in his materiæ quandam vicem ſuſtinere. Cum autem in re miſtâ & ex elementis genitâ, plus ſit quam elementa, alia enim ineſt natura in miſtis, & miſtorum corporibus ex elementis ortis, quâ & ab elementis miſtiſque elemẽtatis, ex quibus nata ſunt, cœteriſque rebus invicẽ differunt, quę ipſis eſſentiam definit & conſtituit, actumque cum eſſentię tum exiſtentiæ largitur, quę ratione gemina differt à metallo, ut lapis ab herba. *Eſt enim materia Ens in potẽtia contrahibilitatis per formam*, ſequitur per miſturam aliquid genitum, quod altioris ſit naturæ quam elementaris, quod eſt miſti, rerumque ex elementorum miſtione miſtorumque remiſtione reſultans forma. *Rem autem tot ſubire miſtiones, ut nobiliores acquirantur formæ, ex naturæ ordinata ſtataq́ agendi lege*

 patet.

patet. Natura non ſtatim ex materia prima neque primo & immediate ex elementis generat animal, ſed multis intercedentibus miſtionibus, quarum priores fiunt propter poſteriores, ut nobiliores producantur rerum eſſentiæ. Per varias ſiquidem miſtiones, variaque rerum contemperatione materia ſic diſponitur, ut nobiliſſimæ formæ fiat capax ſubjectum. Tot enim formas miſtorum ordine remiſtioneſque ſubit, ut tandem nobiliſſimam quam natura intendit, adipiſcatur. Vnde formæ animalis, at demum humanæ nobiliſſimum eſſe ſubjectum, *& hoc ſupremum miſtionis gradum eſſe indeptum*, Philoſophi perhibent. Ex elementis enim naſcuntur miſta, ex miſtis vegetabilia, ex vegetabilibus cibaria, ex his chylus, ex chylo ſanguis, ex ſanguine ſemen, ex ſemine & ſanguine partes corporis organici, formam cum animantium tum humanam accipientis. Fiunt itaque iſtæ miſtiones & miſtorum remiſtiones non fruſtra, atque uti primorum corporum elementarium formæ & qualitates non abolentur, ſed in miſto ſub aliena forma materiæ quandam vicem ſubeuntes permanent, ita & diſpoſitiones & priores miſtorum qualitates ſub ultimatis: poſtremò miſtorum formis nobilioribus, non ita plane exſpirant; & uti propter rerum nobiliorum generationem varię fiebant miſtiones, ita qualitates novæ per novas formas acquiſitæ non omninò pereunt. Nobiliores autem ſunt formæ miſtorum quam elementares, & formas digniores ſequuntur qualitates præſtantiores, aliam & diverſam atque excellentiorem quam elementares virtutem habentes. Inflectuntur enim elementares in rerum variis ad optima tendentibus generationibus. Calor elementi hac ratione temperatur ut fiat animalis, neque urat,

ſed

ſed vivificet, præcipuè cum prꝺſtantioris formꝺ evadit inſtrumentum. Cæterꝺ à formis miſtorũ generatæ qualitates, partim ſub ultimatâ manent recedentibuſque iiſdem, in ſubjecto perdurant, veluti calor piperis in ſanguine, quo pacto in ſanguineis & carnulentis partibus, ſanguinis, & in ſpermaticis ſeminis qualitates obſervare eſt. Ex variarum rerum miſtione, quarum formarum qualitates non exſpirant ſub ultimata, occultarum qualitatũ rationẽ extruendam jamdudũ arbitratus ſum, quarũ actiones ſunt mirabiles *propter indicibilem variarum qualitatum à diverſis formis elementarium formarum naturam longè excedentibus, generatarum idioſyncraſian, præcipue ſi à forma dirigatur.* Ex hac miſtione & varia remiſtione ad formam ultimatam tendente, generationem perficiente, pulcherrima reſultat de rerum generibus & ſpeciebus ſpeculatio. Adſumit enim natura primo formas univerſales & eſſentiales genericas, dein particulares & exſiſtẽtiales. In & ſub illis rerum genera & eſſentiꝺ perpetuant: Et nè his pereuntibus deficerent, in illis conſervantur ad æternitatem quandam. Vti itaque ex communibus elementorum & miſtorum materiâ, animalium corpora tam brutorum quam hominum producuntur, ita commune habent genus. *Redolet enim genus materiam.* Et ut per certas formas viciſſim eſt diſtinctio generis in ſpecies; ita formæ ſpecierum in rationalibus & brutis, contrahunt illud & determinant & definiunt, ut ex eſſentia generali in certum ens ſpecificum contrahatur, fiatque rationale & irrationale exiſtens in ſingularitate. Proinde actus qui largitur eſſentiam non dat protinus exiſtentiam, ſed qui exiſtentiam adfert,

quia

quia generaliorem determinat, & quaſi aliquid potentiæ habentem definit, potiorem naturam & eſſentiam impertiri dicitur, cujus merito ſpecificam habet ab aliis differentiam, & operationes omnes ſimulque nobiliores ſpeciei peculiariter convenientes perficit. Roſa tempore hyemali hæret in principiis eſſentialibus quibus per formā ultimatā actuatis conſequitur eſſentiam particularem & exſiſtentiam & omnia quæ ſpeciem roſæ propriè comitantur. In ſemine animantium principia ejus deliteſcunt, materiæ vicem ſuſtinentia, ex cujus potentia exorta forma, quæ actu non inerat, prognaſcitur animal.

CXXX. His poſitis & definitis patet, formas de quibus agimus, eſſe in triplici differētia, alias univerſales eſſentiam formalem ſed genericam & materiæ quandam rationem ſimul redolentem, largientes, has dare eſſentiam non exiſtentiam; earum vi rerum genera & ſpecies perpetuare. Secundi generis formæ ſunt, quæ à materiâ ſuâ inſeparabiles cum eadem rebus omnibus generatis eſſentiam materialem, ſuo vero corpori, cujus ſunt actus eſſentiam formalem & ſpecificam & exiſtentialem tribuunt, tales ſunt elementorum. Tertii generis formæ ſunt rerum mixtarum ex elementaris materiæ potentia productæ & natæ, eſſentiam, ſpecificam differentiam, & exſiſtentiam rebus largientes; quarum una ſaltē in ſubjecto cujus eſt forma, eſſe poteſt, quibus perditis res reſolvitur in elemēta; niſi corruptio cū nova generatione ſit cōjuncta, ita ut unius corruptio ſit alterius generatio, qualiter ex ſanguine fit caro & ex ovo pullus.

CXXXI. Hæ formæ partim à rebus quarum ſunt formę, ſunt inſeparabiles, uti formæ generales eſſentiam

tiam non exiſtentiam largientes,quæ cùm rerum eſſentiis ſunt perpetuæ; aliæ & eſſentiam formalem & exiſtentiam ſuo ſubjecto largientes,& cum ſuo ſubjecto eſſentiam materialem cunctis ſublunaribus largientes, adeò arctè ſuæ materię inhęrent ut ab ea ſeparari univerſim nequeant. Inter has generales ſummas & ultimas elementorum ſunt rerum miſtarum formæ ſubſtantiales ex elementarium materiæ potentia productę, quę etiamſi omnes ſint ſpecificæ & exſiſtentiam largiantur, & generalibus atque etiam ultimis elementorum formis ſint nobiliores,tamen ſeparabiles & corruptibiles ſunt,& quia ſint ultimatæ,& rerum per ſubſtantialem mutationem genitarum, quarum unius generatio eſt alterius corruptio,earum duæ vel plures in una materia vel ſubjecto miſti corporis ſubſiſtere nequeunt.

CXXXII. Quod verò natura ad rerum generationem primò aſſumit formas generales,& his mediantibus ad ſpeciales & ultimatas procedat,& quod eadem primò ad rerum generationem accipiat materiam generalem, ex eadem variis intermediis formis, diſpoſita,dedolata,aptata,contracta,ut ultimatę formæ nobilioris fiat ſubjectum ultimatũ & οἰκεία ὕλη, id ex ordine generationis rerum ſublunarium patet & ſuperius probatum eſt.& quomodò natura primò aſſumat formas generales,& his mediantibus ad ſpeciales & ultimatas progrediatur,docet Zabarella lib. de Generat. & interi:c.2.idque tradit ex Aver.lib.1. Metaph.comm.17. ubi ait:Materiam prius recipere formas univerſales, deindè proprias & particulares; quoniam forma generalis materiæ officio fungitur, eſt enim tanquam præparatio materiæ ad recipiendum

dum formam ſpecialem. Clarius idipſum inculcat M. Cornelius Martini; ſui ſeculi Philoſophus celeberrimus in Metaphyſ: folio 131. ex Averrhoe, qui ait; *Materiam primò recipere formas univerſales, demum mediante illa formas alias uſque ad individuales. Genus eſſe unum in forma media inter actum & potentiam in multis, & ſic eſſe ens in potentia contrahibilitatis, quoniam per plures differentias contrahi poſſit ad plures ſpecies. Hoc pacto formam animalis habere potentiam contrahibilitatis; quia contrahatur* per formam hominis, & reliquarum formarum ſpecificarum, quæ ſunt multò perfectiores. Vndè fit quod forma generalis det actum generalem & cum potentiâ commiſtum, ſed exiſtentiam tribuere nequeat; forma autem ſpecifica det actum ſpecificum & exiſtentiam, per quam res ultimam perfectionem aſſequuntur, neque indigent aliâ formâ ſpecifica ad exiſtendum aut qua perficiantur. Hujus generis ſunt ultimatæ & ſpecificæ.

CXXXIII. Vbi notandum quod formæ, quæ Doctori Sennerto dicuntur ſubordinatæ, non ſunt univerſales, & pluribus communes, & potentiam contrahibilitatis habentes, exiſtentiam tribuere non valentes, quales ſunt Zabarellę & veris Philoſophis Ariſtotelicis, ſed illæ quæ latitent ſub ſpecificis, & ab iis vel ſunt genitæ atque ita toti formæ ſpecificæ ſubjecto inſint, vel non in toto inſint, ſed tamen ſpecificæ dominio ſubditæ, quarum illæ, recedente totius ſpecifica, officium formæ in toto arripiunt, & exiſtentiam præſtant, cæteræ pariter ad formale proprii corporis, quod vel connatum habent vel ſibi fabricant, cui exſiſtentiam propriam tribuunt, munus progrediuntur. Sed & ſubordinatæ

formæ

formæ quas Zabarella cæterique veri Philoſophi univerſales vocant, ſpecificâ & ultimatâ recedente, non accipiunt officium formale, neque tunc exiſtentiam rebus tribuunt, ut demortuo homine vel Petro idem exſiſtat ſub animalis forma. Toto itaque coelo differunt formæ ſubordinatæ Zabarellæ generales, & formæ ſubordinatæ à D. Sennerto in nova ſecta phantaſticè confictæ, de quibus ſuperius uberius.

Quod autem formę iſtæ generales reale & eſſentiale quid ſint in rebus, neque ſaltem nudi mentium conceptus ſupra demonſtrarum eſt.

CXXXIV. Omnes itaque qualitates materiales tā occultas quam manifeſtas generari à formis tanquā cauſis efficientibus, & earum vi ex ſubjectæ materiæ potentiâ educi demonſtratum eſt, ſiquidem nec ex ipſarum formarum ſubſtantia, vel eſſentia, per diviſionem vel aliam ſeparationem fluunt, neque ex nihilo fiunt, nec aliundè immittuntur: unde nihil niſi materiæ unde producantur potentia relinquitur.

CXXXV. Habent verò in rebus permanentiā, vel propter formas inſeparabiles & immanentes, quales ſunt elemētares, vel quia à formis tranſeuntibus generatæ ſunt, ut materiā aptent diſponantq; pro nobilioribus formis recipiendis: ſunt autē qualitates vel rebus materiatis omnibus communes, & generales, quales ſunt primæ & immediatæ; quædā per primas genitę, & hæ dependent à formis elementaribus, vel ſunt generales, ita ut inſint totius alicujus generis omnibus ſpeciebus & individuis per naturā generis ſeu formę genericæ; vel ſunt ſpeciales & particulares individuorū & rerū per miſtiones ex elemētari materia generatarū, quo proprietates formales & qualitates occultæ

occultæ referuntur, ſeu ſimplices ſeu ex plurium non primarum indicibili temperie natæ.

CXXXVI. Hæ generantur in formis non permanentibus ſed tranſitoriis, & inſunt cuilibet rei potiſſimum per formam ſpecificam & ultimatam, quarum quædam ſublatâ formâ ſimul pereunt, quædam manent, quod in ſubjecto altius inſitę ſtabiliori alteratione inhęrent. Sic caro rubicat, quod ex ſanguine nata ſit, & partes ſpermaticę albicant, quod ex ſemine fuerint natæ, & lactuca frigidiorē vino ſanguinem producit. Cum itaque formarū tranſeuntium quælibet relinquat peculiarem in ſubjecto diſpoſitionem pro receptione ſequentis, quod priores ſint propter ſequentes, ut earū opera diſponatur materia, tot formarum operis elaborata, ad formā nobiliſſimā quò natura tendit, & quęlibet forma etiā certas ſibiq; peculiares in ſubjecto generet qualitates, ex quarū numero ſunt formales proximè vi formæ genitæ, quælibet autē diſpoſitio & qualitas, ut re ipſa & eſſentia ſua ab alia differat, & eò nobilior eſt, quò à nobiliore forma eſt producta: ita etiā vires obtinet potiores, & ſublimiores. Neque eſt quod regerat quiſpiam, tales qualitates ex potentia materiæ oriri nō poſſe, cū vel omnes formas rerū ſublunarium (exceptâ anima rationali) harum qualitatum cauſas & maximarum virium ex potentia materiæ oriri demonſtratum ſit.

CXXXVII. Hæc mea de qualitatum origine & cauſis eſt fuitque ſententia ex veritatis priſcæ Philoſophię Canonibus & Axiomatibus deprompta: Cōtra hanc antiquæ & ſolidæ Philoſophiæ contemptor & novæ ſectæ inſtaurator inanis Doctor Sennertus neſcio qua fronte inſurgit, eamque paſſim in ſcri-

ptis

ptis ſuis, nempe in Inſt. & lib. de Galen. cum Chym. conſenſ. & diſſenſ. & ex profeſſo lib. 6. med. pract. part. 1. cap. 3. vellicat & obtruncare molitur, & cum ſolidis rationibus quibus veritatis regulas oppugnet deſtituatur, ad mendacia & falſa teſtimonia devolvitur: ait enim lib. VI. part. 1. cap. 3. me ſcribere in qualibet miſtione novam educi formam, & ſemper manentibus priorum gradibus alios advenire, & ſimul cum his novas qualitates emergere. Hoc poſito, quærit unde oriantur in qualibet miſtione illæ formæ, qualitatum autores. Oriri autem reſpondet vel ex elementaribus formis variè miſtis, & ſic merè eſſe & manere merè elementares, nobilioremque elementis effectum edere non poſſe; vel eſſe nobiliores elementaribus formis, & hinc neceſſariò ſequi non ſimpliciter eſſe ab elementis, adeoque ab agente ejuſdem ſpeciei potius induci quam educi; quia nullum detur agens æquivocum, & nulla forma educatur è potentia, quæ merum ſit figmentum: Et ſi elementorum formæ educantur è materiâ primâ, & ex his miſtis aliæ formæ, atque ex his iterum aliæ, omnes conſequenter è materia prima orientur, adeoque ex variè miſtis & remiſtis nil niſi elementare producetur, quia in miſtione alia atque alia & multivaria aliam naturam non induent nec eſſentiam mutabunt. Et hoc dicit eſſe verum de miſto ſimpliciter dicto, & poſtea ſubjicit quæ de gradibus & remiſtione formarum dicta ſunt, mera eſſe figmenta, quod formæ non recipiant magis & minus, ſed earum eſſentia ἐν ἀτόμῳ conſiſtat. Diſtinguit autem inter miſtum ſimpliciter, de quo prius egit, dictum, & improprie ita dictum. (Hanc quam loco

citato, videlicet lib. v. praxeos part. 1. cap. 3. fol. 16. affert diſtinctionem, repetit ex lib. de Galen. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 12. fol. mihi 348.) per hoc ait intelligi ſpeciem corporis naturalis, verbi gratiâ adamantem, magnetem, ferrum, aurum, corall. De hoc inquit, ex Scaligero exerc. 30. ſect. 20. omnem formam cujuſcunque perfectè miſti, etſi non ſit anima, tamen eſſe naturam quintam aliam à quatuor elementis, quod paulò poſt ex alleg. Scal. exerc. 307. ſect. 12. ulterius probare nititur. Examinemus nunc Sennertianæ opinionis falſitatem & fraudes, & quæ in recenſenda mea opinione profert mendacia.

CXXXIIX. Primo ais me dicere in qualibet miſtione novam educi formam, & ſemper manentibus priorum gradibus alios advenire & ſimul cum his novas qualitates. Secundum illud (de eo enim primò deſpiciemus) eſſe falſum, quia formæ (ait autem me de elementaribus loqui) non recipiant magis & minus, & conſiſtant in indiviſibili. In hoc ſecundo effato duo non ſine turpitudine & dedecore ſui nominis committit abſurda: ut nihil aſperius dicam, primum eſt ingens & ſeſquipedale mendacium quod de me ſpargit; & quo mihi affingit, me ſcribere & ſentire ex miſtione formarum elementarium juxta intenſionem & remiſſionem vel ablationem & additionem, & acceſſionem graduum produci & oriri rerum formas. Vbi, quo loco, D. Sennerte, hoc dixi vel ſcripſi niſi probaveris, quod publicè de me non veritus es ſcribere, pro conviciatore procaciſſimo merito à bonis omnibus habeberis. idem facit quod à te didicit tuus Sperlingerus. Qualis præceptor, talis Diſcipulus; qualis Profeſſor, talis Auditor.

tor. Pudetne te tam turpis convicii & mendacii macula canos tuos collutulare? Eſtne ille tui ſenii candor & ad mortem piam meditatio, de quâ pagellas promulgas.

CXXXIX. Alterum abſurdũ eſt, quod, quam mihi affingit & affricat & exagitat opinionem & deinde ut falſam refutat, de ortu formarum, ex coalitu formarum elementarium, eandem ipſe amplectatur & doceat lib. 3. ſuæ Epit. ſcient. natur. cap. 3. fol. m. 229. ubi diſertis verbis inquit: Quamvis in miſtis formæ elementorum non penitus pereant, ſed eorum gradus aliqui manent reliqui, illi tamen non ſunt diſtincti à forma miſti, ſed collecti unam formam miſti conſtituunt. Inſpice lector textum & verba ipſa D. Sennert. Hanc & Zabarellæ opinionem ſuperius in corollariis Diſputationis de rerum principiis materialibus in ſpecie, examinavimus. Vide lector quod illam quam mihi de origine formarum elementarium aſſuit, & affingit, & affictam flagellat & refutat, opinionem, ipſemet ponit, proponit, amplectitur & docet. Conſidera, quot contradictionibus iſtius viri ſcripta abundent & exundent. Expendendum nunc primum illud effatum: ait me ſcribere, *in quavis miſtione novam formam educi:* unde exſculpit & perſuadere ſimplicioribus annititur, me ſtatuere formas rerum ab elementorum formis variè miſtis & remiſtis provenire, adeoque omnes eſſe elementares. Sed quo candore hoc ſcribis D. Sennerte & quâ conſequentiâ hoc ex meis quæ profers verbis deduces & concludes? Nunquid ut rerum fiat generatio nova requiritur miſtio? ita ut ad generationem rei ſemper neceſſaria ſit miſtio? Nunquid tu

ipſe dicis lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 12. fol. 349. Miſtionem & generationem parum differre aut certe nullam generationem ſine miſtione fieri? omnis autem generatio fit per novæ formæ productionem: Ergo verum eſt, quod in omni miſtione (ſcil. perfecta & ad generationem rei cedente) nova educatur forma: falſum verò eſt quod inde deduxit D. Sennertus; ſi ex miſtione nova, producatur nova forma, hanc formam ex elementorum formis conſarcinatis & miſtis neceſſario fieri, id enim potius ex ſententia Sennerti, ſi ita concludere velimus, ſequetur cum dicit omnem miſtionem & generationem parum differre, quam ex verbis meis. Quocirca verum eſt quod in omni generatione ſubſtantiali fiat nova elementorum miſtio, & in ſuccedentibus ordine generationibus toties eorundem remiſtio, ut novæ formæ debitum præparetur ſubjectum; falſum verò quod ex nova miſtione orientes formæ fiant ex coalitu & miſtione formarum elementarium quod nemo vel exſculpit ex meis iſtis verbis, quæ initio profert D. Sennert. lib. VI. prax. p. 1. c. 3. fol. 15. ubi ait me ſcribere in qualibet miſtione formam novam educi, & contrarium plane ex proxime ſequentibus patet, ubi dico naturam primò aſſumere formas generales ſive eſſentiæ ad generationem, & illas univerſales non perire, non aboleri, ſed inſtar materiæ & ſubjecti ſub ultimatis exiſtentiæ formis. Quis ex eo producet me dicere ex univerſalium formarum (qualis eſt animalis) miſtione fieri formas exſiſtentiæ?

CXL. Sed ille procedit nugando & calumniando, & concludit porrò, Si forma non eſt ex Elementis

tis, ergo erit originis nobilioris; & ſi nobilioris originis eſt (inquit) jam non ſimpliciter (ergo concedit aliquo modo) ex elementis erit: & ſubdit, ſi hoc velim me ſentire ſecum.

CXLI. In hujus nobilioris formæ originem inquirit, negando vi naturæ eam educi ex elementis, ſed ab agente ejuſdem ſpeciei induci & materiæ communicari, & non ab agente æquivoco educi ex potentiâ materiæ, quæ merum ſit figmentum, quia ſequeretur ex potentia materiæ primæ oriri formas elementorum, & ex his miſtis alias formas, & ſic conſequenter omnes ex potentia materiæ primæ, adeoque omnes eſſe Elementares.

CXLII. Hic attendendum quam fraudulenter diſputet D. Sennertus: novæ ſuæ ſectæ principia rancida, falſa, trifœtida toti veritati & antiquitatis veritati è diametro contraria ſuperius 2. & 3. & 4. diſputatione abunde refutata, pro fundamento ſuæ probationis ponit, videlicet omne agens ſeu generans eſſe univocum, nullum æquivocum, & potius inducere & communicare materiæ formam quam educere. Hæc autem inductio & communicatio D. Sennerto fit per diviſionem formæ generantis in generatum, *ita ei lapis generat lapidem, quia omnis forma eſt multiplicativa ſui*, lib. de Gal. cum Chym. conſ. & diſſ. cap. 9. fol. 232. *ita anima canis filii eſt pars animæ canis patris* juxta D. Sennert. & ſemen rei eſt avulſum quid juxta formam & materiam à re generante vel cujus eſt ſemen. Opinionem ſuam confirmat ex Scaligero dicente: formam perfectè miſti, quale eſt adamas, magnes, ferrum, eſſe quintam eſſentiam, qui Exerc. 307. deinceps concludit animas & formas

 non

non conflari ex formis elementaribus. Verum hic D. Sennerto primò opponimus ſuum Scaligerum, qui ex Cardano quærit ubinam viderit, quod lapis generarit lapidem: Deinde æquivocam rerum generationem & materiæ potentiam omnino aſtruere & urgere Scaligerum, nemini obſcurum eſt, qui vel à limine ſalutârit ipſius ſcripta, ex quibus loca plurima id docentia & probantia ſuperius produxi. Videatur ſaltem ſect. 6. n. 2. fol. 25. Data generatione æquivocâ ut muris ex fimo, neceſſariò concedenda materiæ potentia.

CXLIII. Neque ille rerum formas, licet non omnium, ex potentia materiæ oriri it inficias, uti ſupra multoties probatum. Etſi igitur animas & rerum formas neget ex elementaribus formis eſſe conflatas, tamen aliquas ex potentia materiæ oriri aſſerit, quam tamen D. Sennert. pro mero figmento habet. Et quamvis Scaliger hoc ipſo, quod animas neget ex elementorum formis eſſe conflatas velit aſſerere, non eſſe eas ex elementari materiâ oriundas, falſus eſt, contra ſacram Scripturam & in omnes omnium Eccleſiarum & totius antiquitatis Theologos injurius, quæ teſtatur omnes animas ex elementari materiâ primò productas, & vi benedictionis divinæ in omnem porro ſeculorum durationem producendas, ſolam humanam inſpirando ex nihilo conditâ, qualem etiam cæterarum ex nihilo formarum originem D. Sennertus per Sperlingerum defendit & adſtruit contra ſacrarum literarum oracula quæ ſolam humanam ex nihilo primitus creatam & cæteras ex materia elementari etiamnum oriri docet.

Et ut ex ſuperioribus contrà D. Sennert. propo-
ſitis

ſitis pauca repetam, cum neget generationem æquivocam & materiæ potentiam, explicet mihi & deducat quomodo ab anima ex cibo fiat chylus, ex chylo fiat ſanguis, ex ſanguine lac & caro, & ex ſemine & ſanguine generentur (ut ille docet) partes omnes corporis. Sanguinem verò ille lib. 5. Inſtit. p. 1. cap. 2. & lac & alibi cum ſuo Sperling. parteſque corporis habere formam ſubſtantialem non ex elementaribus conflatam affirmat & docet. Si omnis generatio fit à generante univoco per diviſionem ſuę formę, lac & ſanguis erunt animata, & oſſis, quatenus per ſuam propriam & ſubſtantialem formam os eſt, forma erit anima, cum tamen defuncta anima os & caro per propriam formam ſubſtantialem ſint & maneant talia, teſtibus ipſis novatoribus. Verum, hæc ſuperius ſufficienter diſcuſſa ſunt.

CXLIV. Deinde D. Sennertus ex hypotheſi falsâ & mihi affictа conatur defendere quod non omnes formę proveniant ex elementari potentiâ. Quia inquit ex potentia materiæ primę oriuntur formæ elementorum, ex harum miſtione cæteræ rerum formæ: ergo nullæ formæ erunt elementaribus nobiliores, neque vires & qualitates habebunt & proferent ſupra elementorum naturam. Verum hypotheſis illa Sennertiana falſa eſt; non enim dicimus ullas formas rerum miſtarum ex elementarium formarum conflatu naſci, licet ex potentia materiæ omnes tam miſtorum quam elementorum, ex quorum conflatu corpora & materia miſtorum compingitur, formas oriri ſtatuamus, quam ſententiam ex ſacrarum literarum decretis productam, & ſtabilitam & ſanioris Philoſophiæ rationibus de-

 monſtratam,

monſtratā abundè, novę ſectæ (ſi Diis placet) conditor pro figmento traducere nō erubeſcit. Quomodo verò omnes omnium rerum ſublunarium formæ ex elementaris materiæ potentia producantur, abundè in ſuperioribus diſputationibus primis, probatū eſt.

CXLV. Cæterùm cum dixiſſem qualitates non ſaltem primas, ſed & ex primarū varia temperatione in variè miſtis ortas ſupra naturæ ſuæ vires producere actiones, ſi à nobiliore & potentiore formâ pro inſtrumētis uſurpentur & dirigantur. Iterum D. Senn. & Veteris Philoſophię veritati & indubitatis ſempiternumq; veris principiis obſtrepere nō veretur, dicendo, nullā qualitatē à formâ illâ ita dirigi poſſe, ut agat ſupra virtutem ſuæ ſpeciei, nec formas uſupare ullam qualitatem ad alias actiones quàm ſui generis: quocirca animam non facere nec facere poſſe ut calor plus vel amplius agat quam calefaciat, eamque in generatione chyli, ſanguinis, & ſeminis, tantum uti calore ad calefaciendum, & quatenus calefaciat, vim chylificam quâ fit chylus, ſanguificam quâ generatur ſanguis & ſeminificam ēſſe animæ, & lac has operationes uti ſunt tales ab illâ perfici. Vide D. Sennert. in Inſtitutionib & lib. de Gal. cum Chym. conſenſ. & diſſenſ. c. 10. & lib. 6. prax. part. 1. cap. 5. imo inſtrumenta nullas accipere vires à ſuo principali quibus agant, ſed ſaltem ſuæ naturæ facultates uſurpare dum à principali dirigantur.

CXLVI. Hic iterum amice lector duo notabis: Primum negationē axiomatum veræ veteriſque Philoſophiæ, & diſputationem contra recepta antiquæ veritatis principia, & quod nulla novæ ſectæ Sennertianæ regula poſſit introduci, quin fiat cum ruina

recepto-

receptorum veteris Philoſophiæ principiorum; ſecundo turpes & non unas de una re contradictiones.

Primum quod attinet, vetus eſt & indubitatæ veritatis regula, quod calor dum ſequitur formam ignis, faciat opera ignis & urat, dum verò dirigitur ab anima faciat opera animæ. Si enim facit opera animæ, plus facit quam quod calefaciat: & quod plus præſtat quam calefacere, id ex ſe non habet, ſed ex anima. Deinde indubitata eſt pariter veritatis regula, quod uti nulla ſubſtantia agit, niſi per qualitates, ita nullum accidens agit niſi in virtute ſubſtantiæ. Hæc veteris diſciplinæ axiomata & principia collabi & everti neceſſum eſt, ſi D. Sennerti opinio ſtare debeat, quâ aſſerit nullam qualitatem ita dirigi poſſe à ſuâ ſubſtantiali formâ vel anima, ut ſupra ſuæ naturæ vires agat. Si enim agit accidens & qualitas in virtute ſuæ ſubſtantiæ, non agit virtute propria, & ſi hâc virtute agit, majora perficit quam à ſuæ ſpeciei & naturæ viribus proficiſci poſſunt. Non poteſt autem agere in virtute ſubſtantiæ, niſi eam à ſubſtantia accipiat. Proindè aut hæc regula falſa eſt, aut falſum quod D. Sennert. in tractatu de Calido innato & de morbis ſubſtantiæ per ſuum Sperlingerum obſtrepit, clamando qualitates & inſtrumenta nullas accipere vires à cauſis quibus diriguntur principalibus; Clarius res ex eo pateſcit quod inſtrumentum totum juxta logicos canones ſubſervit actioni principalis agentis à quo dirigitur: & ab eodem accipit determinationem. *Hinc inſtrumentaria cauſa eſt quæ elevatur ad effectum ſe nobiliorem efficiendum. Uti dum calor generat animal. Verùm quia inſtrumentum ad*

 actiones

actiones iſtas non ſufficit, agit in virtute principalis agentis: Vnde principalis dicitur Philoſophis uti virtute propria, inſtrumentalis virtute principalis, vis verò inſtrumētorum quam à principali accipiunt duplex eſt; externa vel interna: externam à principali accipiunt, cujus vi movētur: ita calamus & ſerra externā vim accipiunt à motore. Vis interna conſideratur potiſſimum in qualitatibus à ſubſtantiis dependentibus, quatenus à formis generantur in ſubjecto, earumque eſſe ſit ineſſe; qualis itaq; eſſentia talis operatio. Quocirca vim internā habēt à formâ; *Vnde dicit Thomas inſtrumentū agere diſpoſitione ad virtutem agentis principalis.* Quocirca non valet argumentum à cauſis inſtrumentalibus vim ſaltem externam accipientibus à principali, ad illas quæ vim internam à forma & ſubſtantiis quibus innaſcuntur & inſunt, accipiunt.

CXLVII. Ideoque ſtultum eſt argumentari à dolabro & ſerra ut inſtrumentis fabrorum, ad calorem innatum, quatenus eſt inſtrumentum animæ. Etiamſi enim illa nullas accipiunt vires præter motum externum, à cauſa principali tamen veriſſimum eſt animam organis & his quorum forma eſt, & quibus pro inſtrumentis utitur, eorumque qualitatibus, quas vel in ſubjecto generavit, vel per quarum diſpoſitionem ineſt, & quarum operam ad actiones ſuas expediendam adhibet, communicare vires & virtutem, quâ ad operandum utuntur; pes inſtrumentum itionis ambulat virtute ſibi ab anima communicata; ventriculus chylificat virtute animæ, & oculus inſtrumentum videndi videt virtute animæ. Proindè agit inſtrumentum in virtute ſui principalis, & hac inſtructum, peragit ſuâ naturali & propriâ vir-

virtute majora. Adeo ut falſus ſit Sennertus dum per ſuum ſubornatum Sperling. in tract. de Calid. innat.fol.56.& de morbis ſubſtant. non veretur aſſerere, inſtrumenta non accipere vim à principali ſuo, quia penna nullam vim à ſcriptore, nec canis venaticus à venatore, nec malleus à fabro accipiat. Vide & ride ineptos diſputatores à baculo ad angulum argumentantes.

CXLVIII. Et dum aſtruit, inſtrumentum ſeu qualitates animæ ſubſervientes non poſſe ita inſtrui & dirigi, ut ultra virtutem ſpeciei agat; & veræ Philoſophiæ ejuſque principiis veriſſimis indubitatis infallibilibuſque obſtrepit & incaſſum cingitur. Siquidem præter propoſita, contra quæ inſurgit antiquitatis principia, & hæc infallibiliter æternumque vera ſunt. 1. *Accidens eſſe eſſentialiter ſubordinatum ſubſtantiæ in eſſe & conſequenter in actione.* 2. *Accidens accipere à ſubſtantia totam virtutem.* 3. *Ideò ſequi tale agere quale eſt eſſe: quia accidens ſit ens entis; unde agere accidentis ſit principaliter ſubſtantiæ; Accidentis vero inſtrumentaliter.*

CXLIX. Exemplum de anima utente calore quo ad id demonſtrandum utitur D. Sennert. paſſim, & lib.6.prax.part.1.cap.3.fol. 13. veritatem rei aperiet & D.Sennertum falſimoniæ arguet, verba ejus hæc ſunt: Quamvis natura calore, ut inſtrumento generali ad plures actiones utitur, tamen illæ actiones primariò calori, non ſunt adſcribendæ; ſed animæ quæ chylifica vi chylum, αἱματοποιητικῇ ſanguinem, σπερματοποιητικῇ ſemen generat. Et ſicut ſerrâ, quiſquis eâ utitur, non aliud fit quam ſectio: ita calor ille nihil aliud agit quam calefaciat, quanquam pro principalis

principalis utentis ratione nobilior effectus ſequatur. hactenus D. Sennertus.

CL. Ex his ſequitur, quod omne id quod præter calefactionem confertur ad generationem chyli, ſanguinis, ſeminis &c. proficiſcatur & immediatè fiat ab animâ. Calefactio eſt itaque à calore, chylificatio, ſanguificatio eſt ab anima. Si autem non immediatè anima ſed per calorem chylificat & chymificat, neceſſum ut calori hanc vim quam præter calefactionem uſurpet, impertiat: Quod omnino fieri neceſſum eſt; cum anima nullas immediatè edat actiones, exceptis quæ per emanationem à forma dicuntur perfici, niſi per qualitates & cumprimis quas extra ſuum ſubjectum quod informat, mediantibus ſubjecti organis perficit; *Et quia nulla ſubſtantia operetur ſine qualitatibus*, neceſſum eſt chylificationem, chymificationem & ſeminificationem & ſimilia fieri operâ & vi caloris innati, ut proprii & proximi animæ inſtrumenti, ab anima tali virtute inſtructi, qui & hæc & alia vitalia opera animæ, cæteraque ſuâ indole & ſpecie, ſi ſeorſim ut qualitas ignis conſideretur, perficere & expedire non poſſit.

Idem liquidius pateſcat ex hoc, quod anima in genere ſit omnium actionum cauſa; Actionum ſpecies ſint ab organo: & bonitas vel imbecillitas actionum à temperie & conſtitutione organi. Vnde eſt quod dicitur, ſi oculus eſſet in pede, anima videret in pede, & ſi ſenex oculum juvenis haberet, videret ut juvenis. Si itaque anima quod chylificet & coctionis illam ſpeciem, quæ chylificatio dicitur, producat, à ventriculo ejuſque temperie, & diſpoſitione habeat, nec ſine illa chylificare poſſit, neque ſine

epate

epate ſanguificare poſſit, ſequitur quod anima non immediatè, ſed mediantibus his organis earumque diſpoſitione tanquam inſtrumentis, quæ ſua virtute inſtruit, eas actiones perficiat. Hinc Scaliger. exercit. 250. ait, Accidentibus dat forma ut ſint; formæ dant accidentia, ut ſic agat; velut calor (ſcilicet ſic inſtructus & directus) animæ.

CLI. Id ipſum confirmat ipſe D. Sennertus lib. 6. p. 1. c. 3. cum potentiam duplicem facit, aliam eſſentialem aliam naturalem, quarum illa fluat immediatè à forma, & cum eadem ſit immutabilis, nec gradus recipiat; Hæc verò ſit accidens ſubjecti, à diſpoſitione & temperie pendens, ſitque mutabilis: De illa eſſentiali potentiâ ait, quod ſine naturali in actum erumpere nequit, & ſine naturali ad agendum vim nullam habeat, unde in certis membris, certas operationes perficiat, coquat in ventriculo, recoquat in jecore, perficiat in venis: Ex quo ſole clarius adparet tantum abeſſe quod anima ſine calore innato in certis partibus commenſurato, definitoque chylificare, chymificare & ejuſmodi actiones immediatè perficere, ut nihil horum ſine illis & nullam ſpecialem actionem qualis eſt chylificatio, chymificatio, &c. immediatè ſine calore in organis definito perficere poſſit.

CLII. Idem teſtantur Philoſophi Ariſtotelici omnes, qui dividunt potentiam in primam & ſecundam, uti paulo ante ex Clar. Iacobi Martini Metaphyſ. lib. 2. fol. m. 1023. recenſui.

CLIII. Primam dicunt immediatè fluere ex forma ſubjecti: ſecunda ipſius definitur quod ſit diſpoſitio temperamenti & organorum, per quam prima

illa

illa perducitur in actum, quo pacto ad viſionem perficiendam non ſufficit potentia prima videndi animæ, ſed requiritur ipſum organum in quo generalis ipſa potentia animæ determinetur, quod eſt oculus; ſecundò diſpoſitio oculi per quam anima benè vel malè videt. Cum itaque actus ſpecialis ejuſque bonitas dependeat ex potentia & diſpoſitione temperieque organi ſanè illum non immediatè ab anima fieri, neque illam producere chylificationem uti eſt anima, generali ad omnes actiones potentia prædita, ſed quatenus organo ejuſque calore definito utitur, unde chylificatio ut chylificatio non tam à potentia prima & anima generalem vim largiente ad omnes actiones, quam ſecunda quæ eſt diſpoſitio organi in calore ejus determinato conſiſtens, perficitur.

CLIV. Examinemus nunc contradictiones apud D.Sennert. de hac re in ſcriptis ejus occurrentes: Ipſe aſſerit nullam qualitatem agere ſupra virtutem ſuæ ſpeciei, etiamſi ab excellentiore forma & animà dirigatur, & calorem nihil amplius poſſe quàm calefacere. Huic primum è diametro repugnat quod definit lib.3.epit.ſcient.natural.cap.3. miſti generationem quod ſit mutatio ſubſtantialis facta à duabus qualitatibus activis, &c. Et paulò poſt, totam miſti generationem & præviam ad formam alterationem à calore primò & per ſe proficiſci ait: unde eſt quod Zabarella ait, primarum qualitatum aliam eſſe univocam, aliam æquivocam. Vnivoca eſt qua ſimilem ſibi qualibet gignit. Altera eſt, velut artificis in materiam & exercetur ſolummodo in miſtis.

CLV. Quod

CLV. Quod ſi ita ſit, calor plus poteſt & plus agit, quam calefaciat mirabilioreſque etiam non directus à formâ aliâ ad aliam vires habet, uti ipſe D. Sennert.lib.6.prax.part.1.cap.2.fol.10. de igne prædicat.

Altera contradictio ex hoc profluit quod contra ſuæ ſectæ fundamenta, regulam hanc veteris Philoſophię agnoſcat & contra me per ſubornatum Sperl. in tract.de morb.ſubſt.quæſt.4. reſp. prima uſurpat. Videlicet quod, *omne accidens agit in virtute ſubſtantiæ,* quod ſi ita ſit, uti revera eſt, revera omnis qualitas dum agit in virtute principalis, & virtutem illam à principali accipiet & ad ſpeciei ſuæ virtute majora perficiendum, à principali dirigetur.

COROL-

COROLLARIVM Primum.

ARiſtotelicæ Philoſophiæ inſuperabile axioma eſt, quod unius generatio ſit alterius corruptio, & generatio ſit progreſſio à non eſſe ad eſſe: Paracelſi, Severini & Novatorum nova novæ abſurditatis regula eſt, quod generatio ſit progreſſio ab eſſe ad eſſe; Qualis generatio ipſis ſit per diviſionem formæ generantis in generatum, quatenus canis pater dicitur generare filium, quia ex ſua ſubſtantia emittit partem formæ & partem materiæ cum ſemine, quod illis eſt apoſpaſma & avulſum quid ab anima & corpore generantis; unde Scaligero anima canis filii, eſt pars animæ canis patris. Tali modo omnem fieri generationem per formæ generantis diviſionem, ſuique multiplicationem fieri ſtatuunt; Ex quo deducunt omnem generationem eſſe univocam, nullam dari æquivocam, & nullam formam oriri è potentia materiæ, & nullum dari ens in potentia, & quicquid ſit id actu exiſtat ſive in ſe ipſo, ſive in generante, à cujus forma & materia per diviſionem ſeparetur.

Etſi hæc Novatorum dogmata abundè & multoties ſint ſuperius confutata, tamen commodiſſimè omnium hoc addi poteſt, quod ipſe D. Sennertus in auctario Epitomes Phyſic. cap. 1. fol. 15. diſtinguat inter materiam immanentem & tranſeuntem: Immanens illi dicitur quæ in re materiata manet, ſuam naturam retinet, ex cujus partibus actu inexſiſtentibus res compoſita eſt. Tranſiens materia eſt, quæ mutatur & formam accipit aliam, & ex qua (fol. ibid. 14) per ſubſtantialem materiæ tranſmutationem res generatur,

ratur, ita ut totum hoc mutetur in totum hoc (ſol. ibidem 18) adeo ut id ex quo per mutationem aliud generatur, nomen, naturam & definitionem amittat! hoc modo ex ſanguine ait generari carnem, ex ovo pullum: in hac ſubſtantiali mutatione formam quæ corrumpitur peritque & quæ generatur, ſeu nova producitur, eſſe ſubſtantialem ipſe D. Sennertus fatetur, & ſpecificam eſſe, negare non poteſt.

Quandoquidem verò hæc generatio non eſt progreſſio ab eſſe ad eſſe, ſed à non eſſe ad eſſe, & non fit per diviſionem formæ præcedentis & exiſtentis in materia ex qua res generatur, nec per diviſionem formæ generantis, ſiquidem anima generans carnem & ſanguinem, non generat illam per diviſionem ſui & avulſionem particulæ ſuæ in generatum tranſmiſſæ, unde D. Sennerte tuque Sennertiane Ganymedes, undè forma ſanguinis, carnis, & rerum per ſubſtantialem tranſmutationem generatarum? Certe non ex diviſione formæ generantis, non ex nihilo, quod & ipſe D. Sennert. negat, ergo nolens volens licet ringaris & rumparis, potentiam materiæ unde oriatur & æquivocam generationem admittere & exoſculari cogeris.

Veriſſimum itaque eſt quod in omni generatione in qua res generatur per ſubſtantiæ tranſmutationem, ut ex eo quod totum hoc vertatur in hoc totum, & unius generatio ſit alterius corruptio, omnis forma ex potentia materiæ educatur, & generatio ibi fiat æquivoca. Ita ex cibo generatur chylus, ex chylo ſanguis, ex ſanguine caro, & ex ovo pullus, ex pullo fit cibus, ſanguis, caro; Et hæ omnes mutationes ſunt ſubſtantiales, fatente etiam D. Sennerto. Illam verò opinionem qua generans dicitur univocè generare, videlicet per diviſionem ſui, ſuperius abundè refutavimus.

Sed quid ex iſta opinione abſurdi ſequatur paucis repetere non fuerit ingratum Lectori.

Forma generans dicitur ipſis generare per diviſionem ſui, & in qualibet parte eſſe & manere eſſentiã totius & totã manere in qualibet parte. Re verò ipſa pereunte, cujus ſunt hæ formæ & actus formales, ubinam manent? an rediguntur in nihilum, hoc rerum natura non admittit, ut quod fuit hoc aliquid, pereat in nihilum, quemadmodum ex nihilo nihil generatur naturaliter. Manet itaque aliquid reale, ita ut vel redeat in potentiam materiæ unde educta eſt vi efficientis, (quod illi negant,) vel exiſtat ſeorſim & alibi per ſuam eſſentiam, idque actu quam vocant entitativo, quod adſtruunt; Et hinc beſtialium animalium illa immortalitas, & Pythagoriſmus, Epicureiſmus ſequitur, brevi Atheiſmum invectura.

Demum quod omnis generatio ſit mutatio à non eſſe ad eſſe, & quod omnis forma ſublunarium, anima excepta humana, ducatur ex potentia materiæ ſupra vidimus, & ſimul oſtendimus quod generatio unius ſit corruptio alterius. Quod & in æquivocis generationibus locum habet: Etſi enim generatio filii non ſit corruptio patris, tamen ex ſemine quod eſt potentiâ animal, & quo mediante pater generat, quodque unicum ad generationem confert, non ſit animal niſi corrupto ſemine, & ſic deinceps de cæteris ſtatuendum. Fit itaque omne quod ſit ex eo quod potentia eſt, ab illo quod eſt actu. Et juxta eundem Ariſtotel. I. de generat. Generatio eſt tranſmutatio, cujuſcunque tranſmutabilis totius in totum. Unde in omni generatione ex elementari corporum materia per miſtionem ortarum talem miſtionem ſubſtantialem fieri neceſſe eſt.

COROL-

COROLLARIVM
Secundum.

AN omnium corporum naturalium ſeu mundi detur una forma prima, generica & univerſalis? Id videtur ſtatuere D. Sennert. tract. de form. orig. per Sperling. contra me edito, fol.2. hæc opinio eſt Manichæorum hæreticorum; aut Platonis hoc aſſerente: Animam univerſi eſſe unam, & rerum particularium ſuam eſſe ſpecialem cuilibet; illis verò ſtatuentibus, unam eſſe animam univerſi & rerum omnium in ſingula corpora, ſive nobis dicantur inanimata, ſive animata, diſpertitam, quarum in quibus videlicet in animatis non appareant adeo luculenta indicia velut in animatis, eſſe tamen omnes rerum animas, univerſalis animæ particulas. Verum hanc ſententiam digne refutat Scaliger Exercit.6.n.2.fol.24. Vbi de anima mundi Platonica inquit: Si una forma mundus informaretur, aut reliquæ formæ omnes eſſent illius formæ partes, aut ab illa eſſentia informatæ. Quorum utrumque perabſurdum eſt; Non enim formæ inter ſe univocæ ſunt. Quædam ſunt materiales & ſecundum materiam diviſibiles, ut, elementorũ formæ: Aliæ non diviſibiles ſed communicabiles, ut ſpecies. Non enim equus in plures equos ſecari poteſt. Nonnullæ ſubſtantiã ſunt immateriales, conjunctione verò materiales, ut intellectus humanus: Aliæ ſunt penitus expertes materiæ ut mẽtes orbium cæleſtiũ. Quapropter plus quã genere differunt, atq; idcirco nequeunt unius eſſe partes. Multo minus vero audiendus erit, qui dicet formas informari. Hactenus Scaliger. Horum tamẽ poſtremum adſerunt novatores, dum formæ ſpecificæ ſubjectum in toto alteram

teram formam quandam ſubſtantialem eſſe eique materiæ vicem præſtare fingunt.

Ex his patet novam ſectam Sennerto-Paracelſicam ex Pythagoreorum, Democriti, Manichæorum, Paracelſicorum, Fratrum Roſeæ crucis, multorumque ab Eccleſia damnatarum opinionum & ſuperſtitioſarum opinionum colluvie eſſe conflatam, nihilque tam abſurde dictum & falſum quod non arripiatur & defendatur ab illis, dummodo ad novæ ſectæ conſtructionem faciat, aut Ariſtoteli & Galeno & principiis antiquæ veritatis repugnet.

COROLLARIVM Tertium.

SI forma ſubordinata dominio ſpecificæ ſoluta actu entitativo poteſt exſiſtere, ut ſcarabæi in ſterquilinio, quomodo non ipſa ſpecifica forma equi vel aſini exſiſtet, quæ potioris & præſtantioris eſſentiæ eſt? Deinde ſi illa exſiſtens ſibi fabricat corpus, cur non & aſini & equi exſiſtens & remanens ab ortu animalis ſibi novum fabricat corpus? & cum ex eruca fiat bombyx & ex bombyce necedalus, quia una anima diverſa horum corpora fabricat quæ ordine inhabitat, quomodo non anima equi exiſtens actu entitativo, depoſito & pereunte corpore equi generabit ſibi corpus aſini, bovis, vulpis, canis, leonis, & etiam Magiſtri talia comminiſcentis?

COROL-

COROLLARII
Quarti loco ſit caput 59 noctium mearum Medicarum.

ALii qui à Paracelſo alieniores videri volunt, prædicāt, ſe concedere quatuor noſtra elemēta, ex quibus omnia miſta conſtent & generando propagentur; mixta autem eſſe ſubjectum Alchimiæ, quæ reperiat in eorum interioribus eſſentiam triplici forma diſtinctam, ejus natura ut nihil ſyncerius dari poſſit, quæ cum elementa tranſcendat, quinta eſſentia ſeu ſpecies & forma vocatur. Hanc eſſe radicem & fundamentum poteſtatum, quod nihil habeat prius, quod ſit tale. Elementa quidem prima eſſe ratione ſimplicitatis corporeæ ſenſibilis, ſed non facultatum eſſentialium.

Hæc opinio licet à Paracelſo videatur aliena, tamen maximè ejus Paradoxis eſt conformis. Nuda enim ſtatuuntur domicilia cæterorum trium noſtra elementa, quaſi nihil activitatis & energiæ habeant, rerollaceis duntaxat qualitatibus prædita. Verum eſſentiam, quam illi quintam vocant, quæ facultatum omnium baſis ſit, non eſſe ex elementis quatuor compoſitam, ab illis haud demonſtratum eſt. Nos ſanè ex quatuor illis compoſitam, & in eadem reſolvi adſeveramus, & ſupra partim probavimus. At qualitatum natura accuratius nobis eſt inveſtiganda, & quibus potiſſimum principiis fundetur, indagandum, ut rei veritas luculentius pateſcat.

Certum eſt, ſubſtantiam non produci in eſſe, niſi à ſubſtantia. Ergo ſubſtantia naturalis prima erit & ſubjectum primum primi accidentis. Quocirca ſi calor vel frigus ſit

accidens, neceſſariò primum ac proprium ejus ſubjectum, erit aliqua ſubſtantia. Atque ſubſtantia prior eſt natura omni accidenti, neque ullum accidens ſuum tranſcendit genus, ut quod hic fuerit accidens, alibi fiat ſubſtantia. Quamobrem eſt & manet accidentis eſſentia inhærere, cum ſit ens per aliud. Nullum accidens accidentaliter (omne enim accidens non ineſt per accidens) ineſt cuipiam, quod non ſecundum eſſentiam fundetur in aliquo πρωτῷ δεκτικῷ à quo tanquam ſubſtantia immediatè fluat. Qualitates autem primas primò in elementis fundari, & ab earum formis tanquam agentibus per emanationem, in iiſdem eſſe productas, rectè & verè adſtruimus: agens enim per emanationem non eſt verè diſtinctum à patiente, à forma namque accidentia conſequentia emanant in eodem compoſito formato, non in aliquo externo. Extra enim non aliter agit forma, quam tranſmutando. Sic à forma ignis emanat in ipſomet igni ſummus calor, qui eſt ejus proprietas, & ſic in reliquis deinceps elementis; Dicuntur itaque primæ qualitates, quia immediatè profluunt à formis elementorum, & ſunt reliquarum qualitatum fundamenta, & ſic ſunt primæ ordine naturæ & cauſalitatis materialis.

Sunt enim cauſæ aliarum, non quidem merè perfectivè ſed diſpoſitivè. Nam ex diverſa earum contemperatione permixtionum diverſimode diſponitur ſubjectum ad formam ſubſtantialem, & ad alias qualitates, quæ ex illis ſequuntur. Et qualibet iſtarum qualitatum eſt per ſe principium alterationis ad generationem ordinatæ, aliæ verò minimè, niſi in quantum primas quodammodo participant. Habent itaque has quatuor conditiones, quod ſint univerſales omnium tranſmutationum, quod non fiant ex aliis, quod ſint verè activæ alteratione activa & corruptiva, quod ſint mutuo activæ & paſſivæ, ut poſſint eſſe cauſa

mixtionis

mixtionis. Sunt itaque primæ hæ qualitates, quia primo ab elementorum formis oriuntur , & in elementis tanquam primis ſubjectis primò & per ſe inſunt, cæteris verò mediate per hæc elementa , & quod in ultima corporum reſolutione talia corpora his tandem prædita inveniantur maximè ſimplicia.

Sed cur Paracelſici & quidam immodicè & mordicus chymiatri rejiciunt hæc à tota antiquitate adſerta elementa, & tria ſua ſubſtituunt principia? Quod, inquiunt, rerum naturalium quarundam vires ſuperant Elementorum quatuor conditionem. Coguntur itaque, cum de virtute quadam ſublimiore & occultiore quæſtio incidit, Galenici ſtatim ad occultas qualitates confugere, quod eſt ignorantiæ remedium. Neceſſum itaque fuit alia diverſa commiviſci principia, & ſpiritibus ſalinis, mercurialibus, & ſulphureis mirabilium virtutũ ſcientiam & officia adſignare.

Sed barda mehercule & barbara ratio, quæ judicio imbecilles, & veri ignaros facilè quidvis adſerere compellarit. Non imus inficias, rerum variè mixtarum diverſas eſſe qualitates, & potentiores perfectioreſque ſimplicibus & primis, quod plus ſit in compoſito, quam quolibet ſimplici ſeorſim, quod mixtiones & temperaturæ primarum qualitatum fiant propter alias formis accommodatiores, ut diſpoſitum ſit ſubjectum ad formæ receptionem, quæ & novas qualitates in eodem ſubjecto ſuis facultatibus exſerendis idoneas producit. Statuendum proinde, teſte Ludovico Mercato, quod qualitates mixti, quæ immediatè ejuſdem formam ſequuntur, ſint perfectiores elementorum qualitatibus. Nam ea qualitas eſt habenda perfectior quæ perfectiorem formam ſequitur. Sicuti potentia viſiva & imaginativa hominis perfectior eſt, quam equi; ita etiam perfectior eſt forma miſti, quam elementi. Nec valet, elemento-

rum qualitates eſſe cauſas illarum, quæ ſunt in mixto, ac ex conſequenti ut cauſæ erunt perfectiores. Nam qualitates illæ ſe tantum habent ut cauſæ inſtrumentales. At inſtrumentum perfectius non eſt ſuo effectu.

Supereſt igitur, ſtatuere quatuor illas primas qualitates inter omnes ſenſibiles eſſe priores in genere cauſæ materialis, quod patet, quia omnes formæ ſubſtantiales mixtorum, ſupponunt has qualitates diſponentes materiam, ut poſſint in ipſam induci, tanquam in materiam diſpoſitam, quæ diſpoſitiones ſe tenent ex genere cauſæ materialis, quæ ut præcedunt formam ſubſtantialem, ita & accidentalem. Ex quibus ſane liquet, quod inter principia mixtionis & generationis perperam diſtinguant Paracelſici. Nos ſanè cum de elementis loquimur, principia mixtionis & materialia tantum intelligimus. Si itaque omnes virtutes non à materia rerum miſtarum, ergo non erunt vera principia. Atque ita falſo concluditur, quia per generationem, hoc eſt, formæ introductionem, novæ naſcuntur qualitates & virtutes à forma oriundæ, quæ elementorum ſeu rerum miſcibilium conditionem longè ſuperant. Virtutes enim quæ inſunt rebus naturalibus, & elementorum conditionem tranſcendunt, nos non elementis ſeu materiæ rerum, ſed formis ejuſque qualitatibus adſcribimus. Quæ igitur veſania eſt propter diverſas in rebus naturalibus virtutes, videlicet à formis promanantes, quæque ſupra elementorum ſunt conditionem, negare, hæc eſſe mixtorum principia, ſimili pacto ſi argumentari velimus illorum principia negabimus. Ipſe enim Paracelſus, Severinus in Idæa & Quercetanus in defenſione Hermeticæ Philoſophiæ, ſtatuunt, corpus naturale conſtare materia & forma. Materia rei eſt ipſis triplex principium, Sal, Sulphur & Mercurius.

Vires rerum naturalium itaque erunt, vel ab his tribus princi-

principiis materiæ vicem gerentibus, & eorum exquiſita miſtione, vel ab ipſa forma. Si ab ipſis principiis tantum, tum fruſtra eſt & forma omnino otioſa, quæ tamen maxime energeticum eſt principium. Anima proinde rationalis in homine planè eſt otioſa, ſpiritibus omnia, ut illi docent, munia reverà expedientibus, & obeuntibus. Sed fortè dicant, ſufficere rem quamlibet per formam habere exiſtentiam. Reſpondeo, ut res ſe habet in eſſe, ita etiam in operari. A quo itaque habet eſſentiam ab eodem etiam profluunt operationes & virtutes: quid abſurdius, quam ſtatuere, ceſſante forma principia materialia agere. Si virtus quælibet, quæ viſitur in miſtis, in quolibet eſt principio, ſequetur, quamlibet virtutem cujuſlibet rei eſſe in quolibet miſto, ejusque principiis. Quandoquidem verò virtus Rhabarbari non inſit ſimplicibus materiæ principiis, ſanè erit ex temperatura vel forma Rhabarbari, cum præter materiam, quæ ſunt elementa, & temperiem ex horum miſtione reſultantem & formam, nihil detur in Rhabarbaro. Si dicas, in ſale Rhabarbari vel oleo, aut ſulphure mercuriove purgandi vim eſſe, illa hujus cauſa & principia virtutis erunt quatenus talia, iiſque primò & per ſe inerunt, quod falſum eſt; alioquin in omnibus rebus, quæ ex hiſce adſeverantur eſſe compoſitæ, extaret virtus Rhabarbari purgans. Omnis enim affectio ſuo πρώτῳ δεκτικῷ aſſignanda. Si itaque virtus Rhabarbari purgans ejus principio (pone) ſalino adſcribenda, illud primoque quatenus tale habebit illam virtutem vel ex mixtione cæterarum, qualis ſoli Rhabarbaro conveniens erat, vel quatenus tali ſubjiciebatur formæ. Si illud, tum omne ſal, prout concurrit ad rei cujuſdam conſtitutionem, eandem vim habebit: Atqui id eſt falſum. Si itaque non habet eam, ut purum principium, ſed ut determinatum ad Rhabarbari corpus, dic à

quo determinetur, per quam temperiem aut ſubſtantiam vel formam. Hoc enim dato, neque in ſale, neque ab eodem virtus illa primo. Si per mixtionem certam formæ Rhabarbari convenientem, jam non ſalino principio adſcribenda, niſi temperiem & formam otioſa & fruſtra eſſe velis. Ex quo & vanitas opinionis apparet, quod velint cuilibet rerum principio totius ineſſe virtutem, cum illa uni tantum ſubjecto per ſe primo ineſſe poſſit. Denique ſi uni principio (ex tribus) facultas totius inſit, fruſtra ſit compoſitio & mixtio cum aliis, formæque introductio. At ſi toti ineſt, primo propter formam cum tali temperie in tali materia, in nulla parte materiali ſeorſim conſiſtere poterit, quia à forma dependebat, quæ cum tali temperie tantum conſiſtere poterat. Si verò dicas, principia non amplius pura virtutes à forma, etiam abolita, quaſdam retinere in materia, nullus repugno. Vbi tamen notandum quaſdam qualitates à forma dependere, & alias propter illam ineſſe. Hæ abſente forma ſupereſſe poſſunt, & cum materia ſuperſtites, ſeſe viciſſim aliarum formarum dominio ſubmittere; illæ cum formis pereunt. Si itaque in principio aliquo, puta Rhabarbari, ſuperſit ejuſdem virtus, id nec purum putumque, ſed mixtionem corporis ſui, redolens, virtutem Rhabarbari ſuperſtitem habebit; vel talis erit pars, quæ quidem pro principio materiali venditetur, cæterum non ſatis ſeparata ſed formam Rhabarbari adhuc participans, ut extractum ejuſdem.

Verum enim verò in ſale vel extracto Rhabarbari chymicè præparato nondum periit (aſſerente de ſalibus idipſum Quercetano) forma, & ſi periiſſet ſanæ tamen Philoſophiæ experientiæque conſentaneum eſt, abolitis rerum formis nihilominus vires quaſdam in ſubjecto remanere, uti dictum. Non nego, ex Rhabarbaro cæteriſque vegetabilibus ſal &

olea

olea eorundem virtutem exprimentia chymicè educi, ſed illa non eſt in eodem ſale, vel ſulphure, quod eandem ante compoſitionem & miſtionem corporum, ut ſimplicia principia habuerint, ſed quod ut ſubjecta nondum formis ſpoliata aut eorundem facultatibus reſtibilibus adhuc imbuta referant. Hoc verò ſal & oleum, ſive Rhabarbari, ſive aliorum in ſimpliciora elementa, velut ignem, aërem & terram reduci poſſunt. Et quemadmodum hæc non erant principia & cauſæ primariæ tantarum virtutum, ſed ſubjecta recipientia formam & qualitates earundem auctores, ſic neque illa chymicorum principia, licet non ignorem, quod quo proximius ad naturam primorum elementorum accedat reſolutio (puta Rhabarbari) eo magis virtutem à forma impreſſam omittat.

Atque ut ita credam, ſolida ſuadet Philoſophia & occultarum qualitatum ratio, cujus ignorantiam nimis protervè nobis Paracelſici objiciunt, cum illi revera hic non modo Phormiones & Davi ineptiſſimi ſint, ſed noctuæ ad ſolem.

In rebus variè miſtis, ubi craſeos ex priore miſtione vires nondum penitus abolitæ ſunt, atque illorum, ut & elementorum in mixtis formæ nonnullæ incorruptæ manent, quæ rigore ſuo poſito, & materiæ quandam vicem gerentes ſub potioris dominio varia miſtione & generatione interveniente, ſe ſubmiſerunt, latens quædam vis exſurgit. Neque id fieri impoſſibile eſt, cum materia primò formas univerſales, iiſque mediantibus particulares, donec ad individuas perveniat, aſſumat, atque ita formas eſſentiæ, dein exiſtentiæ induat, & quidem priores propter poſtremas, quarum priorum vires non exſpirant ſub poſterioribus, ſed tanquam materialia ſub nobilioribus degant. Varia itaque miſtorum miſtio & inexplicabilis contemperatio, unioque

ſub

ſub extrema exſiſtentia formæ nobiliſſimæ dominio. Et cur natura tam varias miſtiones formaſque intermedias intendat, niſi ut nobiliori formæ materiam præparet? & quomodo materia præparata eſſe queat, niſi veſtigia illarum temperationum remaneant? Sic in homine, cujus corpus ſupremum miſtionis gradum conſecutum eſſe perhibetur, nobiliſſima forma præparationem materiæ requirebat exquiſitiſſimam. Quod in ejuſdem principiis & ſemine maximè conſpicuum eſt, cujus ut moles exigua, ita virtus ut maxima, diverſis diverſarum miſtionum temperiebus in occultam & efficaciſſimam quandam craſin conſpirantibus. Et licet in occultarum qualitatum tali deductione objici ſoleat, nihil agere ſupra virtutem ſuæ ſpeciei, adeò ut ex elementorum mixtione & varia craſi exſculpi non poſſint tam admirandæ vires, tamen ratione formarum quibus in generatione ſubjugantur, vel à quibus ita diriguntur, aut ſic diſpoſitæ ſunt. quarum inſtrumenta ſunt, talia perficiunt. Sequuntur enim inſtrumenta naturam & vim cauſæ principalis, à qua diriguntur. ſic calor ab anima directus nutrit, coquit, vivificat; ab igne urit; & formæ efficaces & potentes requirunt plerumque qualitates, ut inſtrumenta, ex varia indicibilique mixtione reſultantes, ſibi magis aptas.

Atque ſic paucis incidenter, de occultarum qualitatum natura, cujus ignorantiam conabantur objicere Paracelſici.

FINIS.

A01 1460873

Errata quæ inter operas typographicas obrepſerunt benignus lector ſic corrigat.

Fol. 12, linea 25, lege, *præſiſcinè*. f. 21, l. 23, pro *ſive*, lege *ſine*. f. 24, l. ultima dele, *quidam* f. 30, l. 1, lege, *ab eruditu ſcientiæ ſcuticam meretur*. f. 39, l. 2, pro *tergum*, lege *verbum*. f. 50, pro 28, lege 4, f. 55, periodo quarta, dele ſemel, *Contra omnem rationem*, f. 66, l. 13, lege *ventura*. f. 68 periodo tertia ſic lege: *In noſtra ab illuſtribus Groninga & Omlandiæ ordinibus*. f. 71, l. 2, lege *irruptus*. f. 77, l. 18, dele, *&*. f. 7, l. 11, ſic lege: *Emeritus emerito, rude donandus, rude donando bellum inferat*. Ibidem l. 20 diſpunge, *doctrinarum*. f. 79, l. 6, lege, *ſexto*, & ibid. l. 15, pro *jurandi*, lege *juvandi*. f. 85, l. 15, pro *ullibi*, lege *alibi*. f. 162, l. 12. pro *ſceleratiſſimas* lege *fœdiſſimas*. f. 161, l. 19, dele, *in*. f. 145, l. 3, pro *ineſſe*, lege *eſſe*. f. 176, l. 24, lege κτίζειν. f. 197, l. 25, lege *per omnes*. f. 234, primæ theſi hæc præmittenda ſunt: *An generatio rerum fiat quod formæ ſint ſui multiplicativæ, & multiplicentur per diviſionem ſui. & dividantur ad diviſionem materiæ, cujus ſunt formæ, adeò ut generatum producatur à generante dum aliquid de ſuâ materiâ & ſuâ formâ communicat?* f. 341, l. 27, lege, *materia formam non actuat*. f. 397, pro *unaque*, lege *vanaque*. f. 453, l. 17, lege, *neque ſemen ſcarabæi*. f. 472, l. antipen. lege, ὡς πρῶτον τινα. f. 499, l. 17, pro *ſit*, lege *fit*. f. 562, l. 17, lege *quæ facere queant materiam*. f. 785, l. penult. pro *à*, lege *in*. f. 787, l. 9, lege, *ipſa anima vitam rebus amplius ſervare nequit*. f. 881, l. 13, diſpunge, *hærentem*. f. 806, l. 10, & 11, lege *nulla verò corruptibilis forma perit niſi*. f. 933, l. 20, lege, *definitur per caloris*. f. 935, l. 10, lege *redolent*. f. 1046, l. 5, pro *calores*, lege *calor*. f. 1057, l. penult. pro *quærebat*, lege *gerebat*. f. 1089, l. 26, lege *male feriati*.

Si quæ præter notata, amplius ſuperſint ſphalmata typographica, ea pro ſuo, benevolus lector, candore, emendet & diſpungat.

A01 1460873

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google